







BREVIARIUM

AD USUM CONGREGATIONIS SANCTI MAURI,

ORDINIS SANCTI BENEDICTI, IN GALLIA.

PARS VERNA.



PARISIIS,

Ex Typographiâ PH.-D. PIERRES, Christianissimi Regis Proto-Typographi, nec-non Congregationis S. Mauri Typographi Ordinarii.

M. DCC. LXXXVII.

Cum Privilegio Regis, & Licentiâ Superiorum.



MONITUM.

NEMO nescit quantùm, à primoribus Ecclesiæ sæculis, studii ac laboris impenderint ii quibus divini cultûs instituendi munus obtigit, ut sua constaret publicis Officiis puritas & integritas; eaque accederet etiam concinnitas, quæ ad Cleri plebisque pietatem alendam, erudiendam fidem, fervorem accendendum maximè conduceret.

Hujusce spiritûs in Ecclesiâ perenniter vigentis nunquàm immemor Congregatio sancti Mauri, exquisitiorem Officiorum formam jamdudùm expetebat. Hujus votis & mandato, nunc tandem Breviarium novum ad normam San-Vitoniani expressum sistimus.

Quænam verò peculiaria huic nostro inserta sint, paucis est indicandum.

Amica, inquit S. Cyprianus, & familiaris est oratio Deum de suo rogare. Ideo ex puris Scripturarum fontibus hausta omnia cùm sint à nobis, uberrimo fluxu decurrunt: verùm ut ab illâ, quam Tertullianus appellat *Cædem Scripturarum*, abstineremus, cautio maxima fuit ne in prolixis Responsoriis, alia præter eam adhiberetur utriusque Testamenti connexio, quæ spontè sese obtulit, neque per vim fuit accersenda, aut à genuino sensu, verborum quasi lusibus, detorquenda.

Lectiones è sacris Codicibus excerptas ita disposuimus, ut per anni curriculum ad vigilias, præcipuæ Librorum veteris Testamenti partes legantur, & novum ferè integrum, in tertio præsertim Nocturno, ex Regulæ præscripto, servatâ communi huc-usque, in Officiis, Librorum annuâ partitione, recitetur. Quâ in re id solum proprium nobis ac singulare est, quòd intra Quadragesimam Librum *Job* legendum statuimus; neque immeritò: quippè, ut testantur sancti Patres, atque inprimis S. *Gregorius* magnus, quem secuti

sunt præstantissimi Scripturæ Interpretes, Christi patientis, imo & Ecclesiæ typus fuit Job, & Propheta.

Ut Fidei depositum, apertis quibus veluti scriniis continetur, recitantium oculis & mentibus jugiter obversetur, Lectionibus è sacra Scriptura depromptis, congruentes è sanctis Patribus, in secundo Nocturno Lectiones; & unoquoque privato aut feriali die, tertiam apposuimus; quò fit ut collatâ divinorum eloquiorum & Ecclesiasticæ Traditionis autoritate, Religionis probetur veritas, sanctitas effulgeat, necessitasque demonstretur; quatenùs nimirùm per angustos operis terminos licet. Nempè ex copioso purioris aquæ flumine rivulus emanans, ad ipsum fontem sitientes recurrere compellit.

Singulis quibusque diebus ad Primam unum affiximus è Canonibus authenticis, quibus publicâ & intemeratâ Conciliorum sanctione firmatur, quod privatim à sanctis Doctoribus traditum est.

Sanctorum quas vocant Legendas non temerè ac sine delectu congessimus: sed quas severioris criticæ leges probant, & quibus pietas ad æmulandum provocatur, eas tantum adhibemus.

Eadem in secernendis ad usus nostros tum veteribus, tum novis Hymnis cura nobis fuit, ut quos sublimitas sensûs, styli nitor, tenerioresque in Deum affectus ciendi vis potissimè commendant, cæteris anteponeremus. Doxologias verò, ne totidem verbis in Hymnis ejusdem rythmi semper repetitæ minus afficerent, variare, atque ornare pro virili studuimus.

Non desunt exquisitissimæ Precum formulæ, seu Collectæ, ex priscis ac melioris notæ Sacramentariis selectæ. In his maximè elucet percelebre illud S. Apostolicæ Romanæ Sedis effatum: LEGEM CREDENDI LEX STATUAT SUPPLICANDI.

Regulæ sancti Patris nostri Benedicti consonat omnis omnino, ut par est, Officii nostri Ratio; Triduo tamen ante Pascha excepto, in quo à pervetustâ Romanæ Ecclesiæ, Congregationis nostræ, totiusque

Benedictini Ordinis consuetudine recedere nefas duximus.

Ne plus æquo cresceret festivitatum numerus, non alia visum est admittere duodecim Lectionum officia, præter ea quæ sancivit usu suo Catholica Ecclesia, aut universus Ordo noster, salvis nihilominus Monasterii cujusque consuetudinibus ac juribus. Cætera tribus Lectionibus, inter utrumque Nocturnum, sub *ritu simplici* continentur.

Psalmorum distributionem, ut melius Gallicanis usibus consentiret, magis ad Regulæ mentem quàm ad ipsius apices exegimus. Quòd si cui molestiam facessat hæc novitas, is norit ipsum S. Legislatorem nostrum, quod hâc in re constituit, aliorum voluntati sub unâ quam explicat, conditione permittere. « Si » cui, inquit, hæc distributio displicuerit, ordinet si » melius judicaverit, dum omnimodis attendatur, » ut omni hebdomadâ, ex integro numero centum » quinquaginta Psalmorum psallatur, & Dominico » die semper à capite repetatur ad vigilias. » *Regula Cap. XVIII.*

Eâdem usi licentiâ, in feriis æstivalibus, pro unâ quam præscribit, brevemque Lectionem appellat S. P. Benedictus, tres suffecimus ad nocturnum officium. Id postulabat scilicet grandis illa documentorum series quibus inspergere Breviarium sategimus; quâ in re duces et magistros habuimus viros in Scripturis sacris, doctrinâ Patrum & Ecclesiæ Traditione versatissimos, Liturgiæ San-Vitonianæ Editores, quorum ad exemplar seriem illam contexuimus. Hanc illam primi non modico labore viam aperuerunt, neque exspectationem infausto exitu decepit experientia.

De consensione Breviarii nostri cum Regulâ S. Patris nostri Benedicti plura dicere supervacaneum est. Ad cætera pergamus.

Suus cuilibet hebdomadæ diei finis, pietati quasi scopus adsignatur divinorum operum varietate distinctus, eo modo quo *in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum.*

Dominica dies Deo creanti & Christo resurgenti dicata, Legis insuper novæ promulgationem recolens, uberem divinæ bonitati gratias agendi, & cum Servatore exsultandi materiem suppeditat. Feria secunda Dei erga homines immensam celebrat caritatem, quâ præsertim nos per Unigenitum suum filios adoptare dignatus est, naturæque divinæ consortes efficere. Feriâ tertiâ, Proximi dilectio præceptis informatur & exemplis Christi, qui pacis & concordiæ magister, docet nos unitatem, & *habitare facit unanimes in domo*. Feriâ quartâ, Spes in Christum roboratur, per quem accessum habemus ad Deum. Feriâ quintâ, Fides quam alit verus ille quo pascimur vitæ panis, celebratur. Feriâ sextâ, Christus in cruce Patri pro salute generis humani, quia ipse voluit, oblatus, invictæ patientiæ documentum præbet, & immensæ caritatis argumentum, ipse noster in laboribus & ærumnis adjutor fortissimus. Sabbato, ad promerendam mercedem bonis operibus adsertam excitamur; & sic perpetuam Ecclesiæ, Christi sponsæ, pacem in cœlis, oraturi semper & perennes acturi gratias Deo, hic quoque gratias agere numquam desinentes, suspiriis & desideriis prælibamus.

Atque hæc quidem de Breviarii quasi materiâ & formâ. Nunc præcipua quæ in eo tractantur doctrinæ Christianæ capita, servato, quo diversis anni Temporibus, Solemnitatibus & Festivitatibus, ordine sunt accommodata, summatim recolamus: quâ in re facem nobis præbebit San-Vitonianum Specimen copiosâ brevitate multa complexum.

VERNÆ PARTIS ARGUMENTUM.

Innumeris malis quibus humana premebatur natura, ut superiori parte dictum est, permotus Deus, ejusque miserans, *sic dilexit mundum, ut Filium Unigenitum daret, quem proposuit propitiationem per*

fidem in sanguine ipsius. Servi formam induit Christus Jesus, & mirabili Incarnationis mysterio Redemptionis nostræ opus aggreditur (1).

Naturâ filios iræ, & ad mortem genitos, vitæ, per regenerationis lavacrum restituit. Post Baptismum lapsos, ac lethali vulnere sauciatos rursus erigit, & medicamento pœnitentiæ sanat, ministrantibus hoc donum Sacerdotibus, quibus ligandi atque solvendi tradidit potestatem. Pœnitentiæ Sacramento, peccata reipsâ delentur, dum ea reus sincerè detestetur, Deumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiat. Initium bonorum operum, ait S. Augustinus, malorum est operum confessio; ideò imprimis exigit sancta mater Ecclesia, ut excussâ quàm diligenter conscientiâ, singula quæ perpetravimus peccata, cogitationes etiam, desideria, intimosque mentis affectus, contrito atque humili corde confiteamur; huic exomologesi nostræ addito vitæ veteris odio, novæ deinceps conversationis inchoatione, firmo denique rursus non peccandi proposito.

Divinæ justitiæ ratio postulat, ut aliter in gratiam recipiantur qui per ignorantiam ante baptismum deliquerunt, aliter vero ii, *qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritûs Sancti; deinde prolapsi sunt.* Inde laboriosus baptismus Pœnitentia vocatur à SS. Patribus, eaque, tanto severiùs exercenda, quanto magis, aut frequentius peccator à divinâ lege desciverit.

Alto vulneri, ait S. Cyprianus, diligens & longa medicina non desit; Pœnitentia crimine minor non sit. Prudens sit erga sontem, ac perspicax Dei Sacerdos, & præsertim in necessariâ Canonum pœnitentialium scientiâ versatissimus. Iis quasi facibus, ad perpendendam peccati cujusvis naturam, statum pœnitentis discernendum, propria huic admovenda

(1) Incarnat. Domini, 25. Mart.

remedia, sapiens medicus dirigatur. Nimia Sacerdotis facilitas delinquendi suggerit incentivum, nedum auferat. Hoc est non curare, idem ait S. Cyprianus: sed si dicere verum volumus, occidere. Caveant ergo Sacerdotes, ne salutarem ad Deum peccatoribus reditum crudeli indulgentiâ præcludant, & dum fructus pœnitentiæ intercipitur, pœnitentia ipsa tollatur (2).

Vir dolorum Christus Jesus languores nostros ipse pertulit, dum in humanis esset; nec verbis tantum, sed factis pœnitentes erudiit, omnes perpessus contumelias, opprobriis saturatus; quin & *factus pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, nobis relinquens exemplum, ut & sequamur vestigia ejus. Crucis ignominia, tota spes nostra, & pignus justificationis nostræ; si tamen compatimur, & peccato morimur, sicut & ille pro peccatis nostris mortuus est (3).

Completo prædicationis ministerio Christus, postquam discipulos sæpius à fermento & hypocrysi Pharisæorum cavendum monuit, potestatem habens ponendi animam, cùm hora ejus advenisset, principibus sacerdotum traditur. Hunc sub Pontio Pilato præside damnatum, neque reluctantem cruci affigunt. Ita justitiæ divinæ, cui placandæ nemo præter ipsum par alius erat, pro humano genere persolvit, *delens quod adversum nos erat chirographum decreti, affigens illud cruci, & exspolians principatus & potestates*. Sic totum Redemptionis opus sanguinis ejus effusione *consummatum est* (4).

Resurgit Christus *primitiæ dormientium*; surgamus & nos à peccato, sicut à mortuis hunc surrexisse non dubitamus. Certissimum Christi resurrectionis, comprobatur factum, cujus testes, neque fallaciæ,

(2) Hebdom. I. II. III. & IV. Quadragesimæ.

(3) Hebd. Passionis & Palmar.

(4) Trid. ante Pascha, & Fest. S. Crucis.

neque etiam credulitatis possunt insimulari. Ex tam insigni miraculo, Christianæ Religionis stat veritas, & divinitas, totaque fidelium sese spes erigit. *Consepulti sumus cum* Christo *per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus* : inde Baptismi necessitas, unitas, sanctitas, indelebilis caracter, mirabiles effectus (5).

Divini lavacri sanctificatione regenerati, inungimur, & obsignamur ad pugnam, ut Christi fidem intrepidi athletæ profiteamur, dignosque nos existimemus pro nomine ipsius contumeliam pati. In extremo mortis luctamine, infirmo opitulantur Presbyteri, *orantes super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & si in peccatis sit remittuntur ei.* Christus enim bonus ipse Pastor, qui invisibiliter quidem regit Ecclesiam *quam acquisivit sanguine suo*, in ipsâ veluti gratiæ suæ canales & signacula, instituit Sacramenta, ut ipsorum quasi consortio fideles visibiliter adunarentur.

Hic sese tandem exhibet Ecclesia; illa scilicet Fidelium Congregatio, qui tum internis fidei, spei & caritatis nexibus, tum conspicuis communionis vinculis sibi invicem, Christoque cohærent. Unius autem ejusdemque Ecclesiæ partes duæ sunt, quarum una antecessit, & cœlesti patriâ jam potitur ; altera in dies sequitur, donec aliquando cum Salvatore nostro conjuncta, in sempiternâ felicitate conquiescat. In Ecclesiâ militante duo sunt hominum genera, bonorum scilicet & improborum : ab eâ verò excluduntur Infideles qui nec Christum colunt, nec Deum verum noverunt; Hæretici, qui Ecclesiæ autoritate contemptâ, quod damnavit illa pertinaci animo defendunt; Schismatici, qui unitatis ruptis nexibus, adulterinas societates sibi constituunt aut sectantur; Excommunicati, qui Ecclesiam sæpius

(5) Hebd. Paschæ, & in Albis depositis, & Vigil. Pentecostes.

ipso, naturæ nostræ humilitas ad Dei Patris est provecta consessum; & per ipsum, quemadmodum consors divinitatis, ita & cœlestis hæreditatis particeps effecta est. Nos Christi membra, ait S. Augustinus, propter Ecclesiam quæ est corpus ejus, & cujus caput Christus est; hanc contra varios hujusce mundi turbines, errorumque procellas perpetuo tuetur subsidio, ac jugi Spiritûs sui fovet influxu. (8). Hunc & nos eodem ardore succensi quo flagrabant Apostoli, indefessâ prece postulemus, & indesinenter exspectemus promissionem Christi, quem *Advocatum habemus apud Patrem* (9).

Profectus in cœlum Christus Dominus, misit Spiritum Sanctum quem se missurum pollicitus erat. Eo repleti Apostoli, linguis repentè loquuntur omnium gentium, Jesum prædicant, errantes arguunt, Judæos ad pœnitentiam cohortantur, signis & prodigiis ubique corruscant; tantâ pollent animi firmitate, ut eos nec minæ superent, nec supplicia deterreant. Jam Evangelium annuntiant, miraculis comprobant, virtutibus exornant; idque tam celeri successu, ut priusquam obierint, per totum terrarum orbem Christiana Religio, stridente diabolo, mundo fremente, reluctante naturâ, disseminaretur (10).

Spiritus Sanctus nostræ salutis pignus & obses, Deus ipse, à Patre Filioque procedit. Divino caritatis afflatu corda succendit. Ab eo varia emanant donorum spiritualium charismata. Ab ipso, inquit S. Leo, est invocatio Patris; ab ipso sunt lacrymæ pœnitentium; ab ipso sunt gemitus supplicantium; & nemo potest dicere: Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto (11).

---

(8) Ascensio Domini cum Octava, & diebus intr. Octav.

(9) Dom. V. post Pascha & Trid. Rogationum.

(10) Pentecoste, Fest. & Commun. SS. Apostolorum.

(11) Octava Pentecostes.

In divinis laudibus primum ſibi locum vindicant ſacra illa Cantica quæ, à Pſalterio quo modulabatur illa David, Pſalmi nuncupantur. Hos autem, quamvis ad Vulgatam editionem ex Eccleſiæ uſu edere, ut par eſt, curaverimus: perpaucos tamen verſiculos in hâc editione ſubobſcuros, verbis tantisper immutatis, ad clariorem Textûs genuini ſenſum revocare (ſalvâ Tridentino Concilio debitâ reverentiâ) agreſſus eſt Vir de Re-Chriſtianâ optimè meritus, Laurentius-Stephanus Rondet, ſacrarum Litterarum Interpres. Atque ut de his neminem lateret, neque nos quiſquam ſacrilegæ ſacri contextûs adulterationis criminarêtur, ex his ſaltem præcipuos parentheſi conſignavit.

Inſuper hanc vocem DOMINUS litteris, ut Typographi vocant, capitalibus, in Pſalterii decurſu excudendam curavit idem, quoties præcelſum, ineffabile, & incommutabile IEOVAH Dei omnipotentis Hebræum nomen ſermo Latinus exprimit.

Cæterùm, ad Pſalmos quod pertinet, in his Chriſtum & Eccleſiam prædicari, loqui & orare, quiſquis non animadverterit, germanum Pſalmiſtæ ſenſum ſe neutiquam aſſecutum eſſe pro certo habeat: vix enim in iis, niſi utriuſque & verba & voces invenias. Ergo ad Chriſti & Eccleſiæ mentem, pſalmodiam nos inſtituere par eſt, ſi aliquem ex eâ fructum percipere velimus.

Nec quemquàm moveant maledicta & diræ quibus inimicos ſuos onerat Pſalmiſta Regius; vaticinia namque ſunt, ut fert primigenius ipſe textus, iſta malorum Chriſti & Eccleſiæ hoſtibus impendentium ob inflexam eorum pervicaciam; non vota, à quibus quàm alienus fuerit vir manſuetiſſimus ſexcentis in locis declarat, & totius vitæ ſeries teſtatur. Inſidiantem vitæ ſuæ regem Saülem quo pacto ultus eſt! Quibus gemitibus ac ſuſpiriis mortem ejus proſecutus eſt! Semei conviciantem ſibi, dum fugeret à facie Abſalonis filii ſui, quâ lenitate ſuſtinuit! Ipſo

TABULA TEMPORARIA.

Anni Domini.	*Aureus Num.*	*Epacta.*	*Indictio.*	*Lit. Dom.*	*Dom. post Epiph*	*Septuagesima.*	*Dies Cinerum.*
1787	2	xj	5	g	4	4 Feb.	21 Feb.
1788	3	xxij	6	f e	1	20 Jan.	6 Feb.
1789	4	iij	7	d	4	8 Feb	25 Feb.
1790	5	xiv	8	c	3	31 Jan.	17 Feb.
1791	6	xxv	9	b	6	20 Feb.	9 Mar.
1792	7	vj	10	A g	4	5 Feb	22 Feb.
1793	8	xvij	11	f	2	27 Jan.	13 Feb.
1794	9	xxviij	12	e	5	16 Feb.	5 Mar.
1795	10	ix	13	d	3	1 Feb.	18 Feb.
1796	11	xx	14	c b	2	24 Jan.	10 Feb.
1797	12	j	15	A	5	12 Feb.	1 Mar.
1798	13	xij	1	g	4	4 Feb.	21 Feb
1799	14	xxiij	2	f	1	20 Jan.	6 Feb.
1800	15	iv	3	e	4	9 Feb.	26 Feb.
1801	16	xv	4	d	3	1 Feb.	18 Feb.
1802	17	xxvj	5	c	5	14 Feb.	3 Mar.
1803	18	vij	6	b	4	6 Feb.	23 Feb.
1804	19	xviij	7	A g	3	29 Jan.	15 Feb.
1805	1	*	8	f	4	10 Feb.	27 Feb.
1806	2	xj	9	e	3	2 Feb.	19 Feb.
1807	3	xxij	10	d	2	25 Jan.	11 Feb.
1808	4	iij	11	c b	5	14 Feb.	2 Mar.
1809	5	xiv	12	A	3	29 Jan.	15 Feb.
1810	6	xxv	13	g	6	18 Feb.	7 Mar.
1811	7	vj	14	f	4	10 Feb.	27 Feb.
1812	8	xvij	15	e d	2	26 Jan.	12 Feb.
1813	9	xxviij	1	c	5	14 Feb.	3 Mar.
1814	10	ix	2	b	4	6 Feb.	23 Feb.
1815	11	xx	3	A	2	22 Jan.	8 Feb
1816	12	j	4	g f	5	11 Feb.	28 Feb.
1817	13	xij	5	e	3	2 Feb.	19 Feb.
1818	14	xxiij	6	d	1	18 Jan.	4 Feb.
1819	15	iv	7	c	4	7 Feb.	24 Feb.
1820	16	xv	8	b A	3	30 Jan.	16 Feb.
1821	17	xxvj	9	g	6	18 Feb.	7 Mar.

FESTORUM MOBILIUM.

Anni Domini.	*Pascha.*	*Ascensio Domini.*	*Pentecoste.*	*Festum SS. Eucharistiæ*	*Dom. post Pent.*	*Dom. prima Advent.*	*Littera Martyrol.*
1787	8 Apr.	17 Maii	27 Maii	7 Junii	26	2 Dec.	I
1788	23 Mar.	1 Maii	11 Maii	22 Maii	28	30 Nov.	C
1789	12 Apr.	21 Maii	31 Maii	11 Junii	25	29 Nov.	c
1790	4 Apr.	13 Maii	23 Maii	3 Junii	26	28 Nov.	P
1791	24 Apr.	2 Junii	12 Junii	23 Junii	23	27 Nov.	F
1792	8 Apr.	17 Maii	27 Maii	7 Junii	26	2 Dec.	f
1793	31 Mar.	9 Maii	19 Maii	30 Maii	27	1 Dec.	ſ
1794	20 Apr.	29 Maii	8 Junii	19 Junii	24	30 Nov.	M
1795	5 Apr.	14 Maii	24 Maii	4 Junii	26	29 Nov.	i
1796	27 Mar.	5 Maii	15 Maii	26 Maii	27	27 Nov.	A
1797	16 Apr.	25 Maii	4 Junii	15 Junii	25	3 Dec.	a
1798	8 Apr	17 Maii	27 Maii	7 Junii	26	2 Dec.	m
1799	24 Mar.	2 Maii	12 Maii	23 Maii	28	1 Dec.	D
1800	13 Apr.	22 Maii	1 Junii	12 Junii	25	30 Nov.	d
1801	5 Apr.	14 Maii	24 Maii	4 Junii	26	29 Nov.	q
1802	18 Apr.	27 Maii	6 Junii	17 Junii	24	28 Nov.	G
1803	10 Apr.	19 Maii	29 Maii	9 Junii	25	27 Nov.	g
1804	1 Apr.	10 Maii	20 Maii	31 Maii	27	2 Dec	t
1805	14 Apr.	23 Maii	2 Junii	13 Junii	25	1 Dec	P
1806	6 Apr	15 Maii	25 Maii	5 Junii	26	30 Nov.	l
1807	29 Mar.	7 Maii	17 Maii	28 Maii	27	29 Nov	C
1808	17 Apr	26 Maii	5 Junii	16 Junii	24	27 Nov.	c
1809	2 Apr	11 Maii	21 Maii	1 Junii	27	3 Dec.	p
1810	22 Apr.	31 Maii	10 Junii	21 Junii	24	2 Dec	F
1811	14 Apr.	23 Maii	2 Junii	13 Junii	25	1 Dec.	f
1812	29 Mar.	7 Maii	17 Maii	28 Maii	27	29 Nov.	d
1813	18 Apr.	27 Maii	6 Junii	17 Junii	24	28 Nov.	M
1814	10 Apr.	19 Maii	29 Maii	9 Junii	25	27 Nov.	i
1815	26 Mar.	4 Maii	14 Maii	25 Maii	28	3 Dec.	A
1816	14 Apr.	23 Maii	2 Junii	13 Junii	25	1 Dec.	a
1817	6 Apr.	15 Maii	25 Maii	5 Junii	26	30 Nov.	m
1818	22 Mar.	30 Apr.	10 Maii	21 Maii	28	29 Nov.	D
1819	11 Apr.	20 Maii	30 Maii	10 Junii	25	28 Nov.	d
1820	2 Apr.	11 Maii	21 Maii	1 Junii	27	3 Dec.	q
1821	22 Apr.	31 Maii	10 Junii	21 Junii	24	2 Dec.	G

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		FEBRUARIUS.
25.xxvj.	g	Prid.	4	*Prima dies Cinerum.*
xxv.xxiv	A	Non.	5	Agathæ, Virg. & Mart. an. 251. *commemoratio.*
xxiij	b	viij	6	
xxij	c	vij	7	
xxj	d	vj	8	
xx	e	v	9	Apolloniæ, Alexandr. Virg. & Martyris, an. 249. *commem.*
xix	f	iv	10	SCHOLASTICÆ, VIRGINIS c. an. 543. *festiv. ij. class.* (*si in Quadragesima, anticipatur.*)
xviij	g	iij	11	
xvij	A	Prid.	12	
xvj	b	Idib.	13	
xv	c	xvj	14	
xiv	d	xv	15	
xiij	e	xiv	16	
xij	f	xiij	17	
xj	g	xij	18	Symeonis Jerosolym. Ep. & M. an. 106. vel 107. *fest. simpl.* (*si in Quadragesima, commem.*)
x	A	xj	19	
ix	b	x	20	
viij	c	ix	21	*Ultima Septuagesima.*
vij	d	viij	22	
vj	e	vij	23	
*	*	*	*	*Dies intercalaris addendus in anno Bissextili.*
v	f	vj	24	MATTHIÆ APOSTOLI. 1. f. *festiv. iij. class.* (*si in Quadragesima, anticipatur.*)
iv	g	v	25	
iij	A	iv	26	
ij	b	iij	27	
j	c	Prid.	28	

In anno Bissextili Februarius est dierum 29, & festum Sancti Matthiæ celebratur 25 Februarii, & bis dicitur *Sexto Calendas*, id est 24 & 25; & Littera Dominicalis, quæ assumpta fuit in mense Januario, mutatur in præcedentem: ut si in Januario Littera Dominicalis fuit *A*, mutatur in præcedentem quæ est *g*; & sic de aliis.

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		MARTIUS.
				MARTIUS.
*	d	Kal.	1	
xxix	e	vj	2	
xxviij	f	v	3	
xxvij	g	iv	4	
xxvj	A	iij	5	
xxv	b	Prid.	6	
xxiv	c	Non.	7	Revocati, Saturnini, Felicitatis, Perpetuæ & soc. Mart. c. an. 204. *festum simplex.* (*si in Quadragesima, commemoratio.*)
xxiij	d	viij	8	*Primum Novilunium Paschale.*
xxij	e	vij	9	Quadraginta Mart. an. 320. *festum simplex.* (*si in Quadragesima, commemoratio.*)
xxj	f	vj	10	
xx	g	v	11	
xix	A	iv	12	
xviij	b	iij	13	
xvij	c	Prid.	14	
xvj	d	Idib.	15	
xv	e	xvij	16	
xiv	f	xvj	17	Gertrudis, Virg. an. 659. *commemoratio.*
xiij	g	xv	18	
xij	A	xiv	19	
xj	b	xiij	20	
x	c	xij	21	S. PATRIS N. BENEDICTI ABBATIS. an. 543. *festivitas j. classis.*
ix	d	xj	22	*Primum Pascha.*
viij	e	x	23	
vij	f	ix	24	
vj	g	viij	25	ANNUNTIATIO ET INCARNATIO DOMINI, *solemnitas ij. classis.*

Cyclus Epact.	*Litt. Dom.*	*Dies Mensis.*		MARTIUS.
v	A	vij	26	
iv	b	vj	27	
iij	c	v	28	
ij	d	iv	29	
j	e	iij	30	
*	f	Prid.	31	
				APRILIS.
xxix	g	Kal.	1	
xxviij	A	iv	2	Franciſci de Paula, Ord. Minim. Inſtit. an. 1507. *commem.*
xxvij	b	iij	3	
25. xxvj	c	Prid.	4	
xxv. xxiv	d	Non.	5	*Ultimum Novilunium Paſchale.*
xxiij	e	viij	6	
xxij	f	vij	7	
xxj	g	vj	8	
xx	A	v	9	
xix	b	iv	10	
xviij	c	iij	11	Leonis Magni, Papæ & Eccleſ. Doct. an. 461. *feſtum ſimplex.* (*Si in Quadrageſima, commemoratio.*)
xvij	d	Prid.	12	
xvj	e	Idib.	13	
xv	f	xviij	14	
xiv	g	xvij	15	
xiij	A	xvj	16	
xij	b	xv	17	
xj	c	xiv	18	
x	d	xiij	19	
ix	e	xij	20	
viij	f	xj	21	Anſelmi Cantuar. Ep. an. 1109. *commemoratio.*
vij	g	x	22	
vj	A	ix	23	Georgii, Mart. c. an. 303. *commemoratio.*
v	b	viij	24	
iv	c	vij	25	MARCI, EVANGELISTÆ. an. 68. *feſtivitas iij. claſſis.*

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		APRILIS.
				Ultimum Pascha.
iij	d	vj	26	
ij	e	v	27	
j	f	iv	28	
*	g	iij	29	Roberti Molifm. Abb. Ordin. Ciftercii Inftit. anno 1111. 21. Mart. *commemoratio.*
xxix	A	Prid.	30	
				MAIUS.
xxviij	b	Kal.	1	PHILIPPI ET JACOBI ALPHÆI, Apoft. 1. f. *feftivitas iij. claffis.*
xxvij	c	vj	2	Athanafii Alexandr. Ep. & Eccl. Doct. an. 373. *feftum fimplex.*
xxvj	d	v	3	INVENTIO S. CRUCIS. a. 326. *folemnitas iij. claffis.*
25. xxv	e	iv	4	
xxiv	f	iij	5	
xxiij	g	Prid.	6	Joannis ante Portam-Latinam. an. 95. *commemoratio.*
xxij	A	Non.	7	
xxj	b	viij	8	
xx	c	vij	9	Gregorii Nazianzeni, Conftantinop. Ep. & Ecclef. Doct. c. an. 391. *feftum fimplex.*
xix	d	vj	10	
xviij	e	v	11	*Prima Pentecofte.*
xvij	f	iv	12	
xvj	g	iij	13	
xv	A	Prid.	14	Pachomii, Abbatis. c. an. 349. *commemoratio.*
xiv	b	Idib.	15	
xiij	c	xvij	16	
xij	d	xvj	17	
xj	e	xv	18	

Cyclus Epact.	*Litt. Dom.*	*Dies Mensis.*		MAIUS.
x	f	xiv	19	
ix	g	xiij	20	
viij	A	xij	21	Mariæ Ægyptiæ, Pœnitentis (è 9. Apr.) v. vel vj. f. *commemoratio.*
vij	b	xj	22	
vj	c	x	23	
v	d	ix	24	
iv	e	viij	25	
iij	f	vij	26	Augustini, Cant. Episc. Angl. Apost. an. 607. *commem.*
ij	g	vj	27	
j	A	v	28	
*	b	iv	29	
xxix	c	iij	30	Felicis, Papæ & Mart. an. 274. *commemoratio.*
xxviij	d	Prid.	31	

Dominicâ primâ post Pentecosten fit officium de SS. TRINITATE. *solemnitas ij. classis.*

JUNIUS.

xxvij	e	Kal.	1	
25. xxvj	f	iv	2	Pothini, Lugdun. Ep. Blandinæ Virgin. & soc. Mart. an. 177. *festum simpl.* & *commemoratio* SS. Marcellini Presbyt. & Petri Exorcistæ, Martyrum, an. 304.
xxv. xxiv	g	iij	3	
xxiij	A	Prid.	4	
xxij	b	Non.	5	Bonifacii Mogunt. Ep. & Mart. Germaniæ Apost. anno 754. *commemoratio.*
xxj	c	viij	6	Norberti Magdeburg. Ep. Ord. Præmonstrat. Instit. an. 1134. *commemoratio.*
xx	d	vij	7	
xix	e	vj	8	

Cyclus

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		JUNIUS.
xviij	f	v	9	
xvij	g	iv	10	
xvj	A	iij	11	BARNABÆ APOSTOLI. 1. f. *festivitas iij. classis.*
xv	b	Prid.	12	
xiv	c	Idib.	13	*Ultima Pentecoste.*
xiij	d	xviij	14	
xij	e	xvij	15	
xj	f	xvj	16	
x	g	xv	17	
ix	A	xiv	18	
viij	b	xiij	19	Gervasii & Protasii, Martyrum. j. vel ij. f. *commemoratio.*
vij	c	xij	20	
vj	d	xj	21	Basilii magni Cæsar. in Cappadocia Ep. & Eccl. Doct. (c 14) obiit 1. Jan. 379. *festum simplex.*
v	e	x	22	Paulini Nolani Ep. an. 431. *commemoratio.*
iv	f	ix	23	Vigilia.
iij	g	viij	24	NATIVITAS S. JOANNIS BAPTISTÆ, *festivitas j. classis.*
ij	A	vij	25	Prosperi Aquitani. c. an. 456. *commemoratio.*
j	b	vj	26	Joannis & Pauli, Mart. c. an. 362. *commemoratio.*
*	c	v	27	
xxix	d	iv	28	Irenæi Lugdun. Episc. & soc. Mart. c. an. 202. *festum simplex* & *commemoratio*, Vigiliæ SS. Apostolorum.
xxviij	e	iij	29	PETRI ET PAULI APOST. an. 67. *festivitas j. classis.*
xxvij	f	Prid.	30	Commemoratio S. Pauli Apostoli. *festum simplex.*

JULIUS.

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis		
xxvj	g	Kal.	1	
25. xxv	A	vj	2	VISITATIO B. MARIÆ VIRGINIS. *solemnitas iij. classis.*
xxiv	b	v	3	
xxiij	c	iv	4	
xxij	d	iij	5	
xxj	e	Prid.	6	
xx	f	Non.	7	
xix	g	viij	8	
xviij	A	vij	9	
xvij	b	vj	10	Septem Fratrum, & S. Felicitatis matris eorum, Mart. c. an. 150. *commemoratio.*
xvj	c	v	11	TRANSLATIO S. PATRIS N. BENEDICTI. c. an. 633. *festivitas j. classis.*
xv	d	iv	12	De Octava, } S. Benedicti, *commemoratio.*
xiv	e	iij	13	De Octava,
xiij	f	Prid.	14	De Octava,
xij	g	Idib.	15	De Octava,
xj	A	xvij	16	De Octava,
x	b	xvj	17	De Octava,
ix	c	xv	18	OMNIUM SANCTORUM MONACHORUM Ordinis S. Benedicti, *festivitas ij. classis.*
viij	d	xiv	19	Thomæ Aquinatis, Presb. & Doct. (è 7. Mart.) an. 1274. *Canonizatio* 18. an. 1333. *festum simplex.*
vij	e	xiij	20	
vj	f	xij	21	
v	g	xj	22	MARIÆ MAGDALENES. 1. f. *festivitas iij. classis.*
iv	A	x	23	
iij	b	ix	24	
ij	c	viij	25	JACOBI ZEBEDÆI APOSTOLI. 1. sec. *festivitas iij. classis.*
j	d	vij	26	Joachim & Annæ, Parentum B. Mariæ Virg. *commemoratio.*

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		JULIUS.
*	c	vj	27	
xxix	f	v	28	
xxviij	g	iv	29	Lazari à Christo suscitati, & SS. Mariæ & Marthæ, sororum ejus, Christi hospitum. *festum simplex.*
xxvij	A	iij	30	
25.xxvj	b	Prid.	31	Germani Autissiodorensis Ep. an. 448. vel 444 *una* comm. S. Lupi Trecensis Ep. a. 478. *festum simplex.*

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		AUGUSTUS.
xxv.xxiv	c	Kal.	1	Petri ad Vincula. an. 44 & 63. *festum simpl. & commem.* SS. Septem Fratrum Machabæorum Martyrum a. 167. *ante Christum.*
xxiij	d	iv	2	
xxij	e	iij	3	
xxj	f	Prid.	4	Dominici Presbit. Ord. Prædicat. Instit. an. 1211 *commem.*
xx	g	Non.	5	
xix	A	viij	6	TRANSFIGURATIO DOMINI. an. 28. vel 32. *solemnitas iij. classis. commem.* S. Xysti Papæ & Mart. an. 258.
xviij	b	vij	7	
xvij	c	vj	8	
xvj	d	v	9	
xv	e	iv	10	LAURENTII DIACONI ET MART. an. 258. *festivitas iij. classis.*
xiv	f	iij	11	
xiij	g	Prid.	12	Martyrum Africanorum Typasian. pro consubstantialitate Verbi. v. sec. *festum simplex.*
xij	A	Idib.	13	
xj	b	xix	14	Vigilia.

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		AUGUSTUS.
x	c	xviij	15	ASSUMPTIO B. MARIÆ VIRGINIS. 1. ſ. *feſtiv. j. claſſis.*
ix	d	xvij	16	De Octava,
viij	e	xvj	17	De Octava, } Aſſumptionis,
vij	f	xv	18	De Octava, } *commemoratio.*
vj	g	xiv	19	De Octava,
v	A	xiij	20	Bernardi Claravall. Abb. & Eccl. Doct. an. 1153. *feſtum ſimplex. comm.* Octavæ.
iv	b	xij	21	De Octava, *commemoratio.*
iij	c	xj	22	Octava Aſſumptionis B. Mariæ. *feſtum ſimplex.*
ij	d	x	23	
j	e	ix	24	BARTHOLOMÆI APOSTOLI. 1. ſ. *feſtivitas iij. claſſis.*
*	f	viij	25	LUDOVICI IX. FRANCIÆ REG. an. 1270. *feſtivitas iij. claſſis.*
xxix	g	vij	26	
xxviij	A	vj	27	Cæſarii Arelat. Ep. & Eccleſ. Doct. an. 542. *commemoratio.*
xxvij	b	v	28	AUGUSTINI Hipp. Ep. & Eccl. Doct. an. 430. *feſtiv. iij. claſ. unà ſimul comm.* S. Monicæ viduæ, matris ejus. an. 387.
xxvj	c	iv	29	Decollatio S. Joannis Baptiſtæ. an. 28. vel 32. *feſtum ſimplex.*
25. xxv	d	iij	30	
xxiv	e	Prid.	31	

SEPTEMBER.

xxiij	f	Kal.	1	
xxij	g	iv	2	
xxj	A	iij	3	GREGORII MAGNI, Papæ & Eccl. Doct. (è 12 Mart.) an. 604. *ordinatio hâc die :* an. 590. *feſtivitas iij. claſſis.*
xx	b	Prid.	4	
xix	c	Non.	5	
xviij	d	viij	6	
xvij	e	vij	7	
xvj	f	vj	8	NATIVITAS B. MARIÆ VIRG. *feſtivitas ij. claſſis.*

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		SEPTEMBER.
xv	g	v	9	
xiv	A	iv	10	
xiij	b	iij	11	
xij	c	Prid.	12	
xj	d	Idib.	13	
x	e	xviij	14	EXALTATIO S. CRUCIS, imperante Heraclio. an. 628. *solemnitas iij. classis. commemoratio* S. Cornelii Pap. & Mart. (è 14) an. 252. vel 311. *Post Exaltationem S. Crucis, Feriis iv. vj. & Sabbato fiunt jejunia* IV. TEMPORUM. *Officium annotatur in Proprio Sanctorum.*
ix	f	xvij	15	
viij	g	xvj	16	Euphemiæ Calcedon. Virg. & Mart. an. 307. *commemoratio.*
vij	A	xv	17	
vj	b	xiv	18	Joannis Chrysostomi Constantinop. Ep. & Eccles. Doct. (è 14) an. 407. *festum simpl.*
v	c	xiij	19	Cypriani Carthag. Ep. & Mart. (è 14) an. 258. *festum simplex.*
iv	d	xij	20	
iij	e	xj	21	MATTHÆI APOST. ET EVANG. 1. f. *festivitas iij. classis.*
ij	f	x	22	Mauritii & soc. Mart. an. 286. *commemoratio.*
j	g	ix	23	S. Theclæ Virginis & primæ Martyris. c. fin. j. f. *commemoratio.*
*	A	viij	24	Lini. c. an. 78. & Cleti c. an. 78. Pap. & Mart. *commemoratio.*
xxix	b	vij	25	
xxviij	c	vj	26	
xxvij	d	v	27	Cosmæ & Damiani frat. Mart. c. init. iv. f. *commemoratio.*
25. xxvj	e	iv	28	
xxv. xxiv	f	iij	29	MICHAELIS ARCHANGELI, & omnium SS. Angelorum. *festivitas iij. classis.*
xxiij	g	Prid.	30	Hieronymi, Presb. & Ecclesiæ Doct. an. 420. *festum simplex.*

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		OCTOBER.
				OCTOBER.
xxij	A	Kal.	1	Remigii Remensis, Episcopi (e 13 Jan.) c. an. 533. *Translatio hâc die. c. an. 585. festum simplex.*
xxj	b	vj	2	
xx	c	v	3	
xix	d	iv	4	Francisci Assisinatis Ord. Fratr. Min. Instit. an. 1226. *commemoratio.*
xviij	e	iij	5	PLACIDI ET SOCIORUM Mart. vj. f. *festivitas iij. classis.*
xvij	f	Prid.	6	Brunonis Ord. Carthus. Instit. an. 1101. *festum simplex.*
xvj	g	Non.	7	
xv	A	viij	8	
xiv	b	vij	9	Dionysii Paris. Ep. Rustici & Eleutherii Mart. an. 275 vel 286 *festum simplex.*
xiij	c	vj	10	Cyrilli Jerosolymitani Ep. (è 18 Mart.) an. 386. *festum simplex.*
xij	d	v	11	
xj	e	iv	12	
x	f	iij	13	
ix	g	Prid.	14	
viij	A	Idib.	15	Theresiæ Virg. Ord. Carmelit. Instaurat. an. 1582. *commemoratio.*
vij	b	xvij	16	
vj	c	xvj	17	
v	d	xv	18	LUCÆ EVANGELISTÆ. 1. f. *festivitas iij. classis.*
iv	e	xiv	19	
iij	f	xiij	20	
ij	g	xij	21	Hilarionis, Abbatis. an. 371. vel 372. *commemoratio.*
j	A	xj	22	
*	b	x	23	Justini Philosoph. & Mart. (è 1. Aug.) an. 167. *festum simplex.*

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		OCTOBER.
xxix	c	ix	24	
xxviij	d	viij	25	
xxvij	e	vij	26	
xxvj	f	vj	27	
25. xxv	g	v	28	SIMONIS ET JUDÆ, APOST. 1. f. *festivitas iij. classis. com.* S. Anastasiæ Feminæ & Mart.
xxiv	A	iv	29	c. a. 305.
xxiij	b	iij	30	
xxij	c	Prid.	31	Vigilia Omnium Sanctorum.

NOVEMBER.

xxj	d	Kal.	1	OMNIUM SANCTORUM. instit. c. an. 835 *festivitas j. classis.*
xx	e	iv	2	COMMEMORATIO OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM instit. an. 998. *festivitas ij. classis.*
xix	f	iij	3	De Octava, *commemoratio.*
xviij	g	Prid.	4	Caroli Boromæi Mediolan. Ep. an. 1584. *festum simpl. commemoratio* Octavæ.
xvij	A	Non.	5	De Octava, } Omnium SS. *commemoratio.*
xvj	b	viij	6	De Octava, } Omnium SS. *commemoratio.*
xv	c	vij	7	De Octava, } Omnium SS. *commemoratio.*
xiv	d	vj	8	SS. RELIQUIARUM, inst. a. 1194. & Oct. omn. Sanct. *festivitas ij. classis.*
xiij	e	v	9	VITONI, VIRDUNENSIS Ep. c. an. 525. *festivitas iij. classis.*
xij	f	iv	10	
xj	g	iij	11	MARTINI TURONENSIS Ep. an. 397. *festivitas iij. class.*
x	A	Prid.	12	
ix	b	Idib.	13	Martini, Papæ & Mart. an. 655. *commemoratio.*
viij	c	xviij	14	
vij	d	xvij	15	
vj	e	xvj	16	
v	f	xv	17	Gregorii Thaumaturgi, Neocæ-

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		NOVEMBER.
				sareensis Ep. an. 270. *commemoratio.*
iv	g	xiv	18	Odonis Cluniac. Abb. x. f. *commemoratio.*
iij	A	xiij	19	
ij	b	xij	20	
j	c	xj	21	Præsentatio B. Mariæ Virginis. *festum simplex ; commem.* S. Columbani Abbatis. an 592.
*	d	x	22	Cæciliæ Virg. & Mart. ij. vel iij. f. *commemoratio.*
* xxix	e	ix	23	Clementis, Papæ & Mart. an. 100 *festum simplex.*
xxviij	f	viij	24	Chrysogoni, Martyris. an. 304. *commemoratio.*
xxvij	g	vij	25	Catharinæ, Virg. & Martyris. iv f. *commemoratio.*
xxv. xxvj	A	vj	26	Genovefæ Virg. an. 512. (ob. 3. Jan.) *Hodie Parisiis, Memoria Miraculi Ardentium.* an. 1131. *festum simplex.*
xxv. xxiv	b	v	27	*Prima sedes Adventus.*
xxiij	c	iv	28	
xxij	d	iij	29	
xxj	e	Prid.	30	ANDREÆ APOSTOLI. 1. sec. *festivitas iij. classis.*

				DECEMBER.
xx	f	Kal.	1	
xix	g	iv	2	
xviij	A	iij	3	*Ultima sedes Adventûs.*
xvij	b	Prid.	4	
xvj	c	Non.	5	
xv	d	viij	6	Nicolai Myrensis Episc. iv. sec. *festum simplex.*
xiv	e	vij	7	Ambrosii Mediol. Ep. & Eccl. Doct. an. 397. *festum simpl.*
xiij	f	vj	8	CONCEPTIO B. MARIÆ VIRGINIS. *festivitas iij. classis.*

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		DECEMBER.
xij	g	v	9	
xj	A	iv	10	
x	b	iij	11	
ix	c	Prid.	12	
viij	d	Idib.	13	Luciæ, Virg. & Mart. an. 304. vel 305. *commemoratio.*
vij	e	xix	14	
vj	f	xviij	15	
v	g	xvij	16	
iv	A	xvj	17	
iij	b	xv	18	
ij	c	xiv	19	
j	d	xiij	20	
*	e	xij	21	THOMÆ, Apost. 1. s. *festivitas iij. classis.*
xxix	f	xj	22	
xxviij	g	x	23	
xxvij	A	ix	24	Vigilia Natalis Domini.
xxvj	b	viij	25	NATALE DOMINI N. JESU-CHRISTI. *solemnitas j. classis.*
xxv	c	vij	26	STEPHANI DIACONI ET PROTOMART. an. 33. *festivitas ij. classis. commemoratio* Oct. Natalis Domini.
xxiv	d	vj	27	JOANNIS, APOSTOLI & Ev. an. 100. vel 104. *festivitas iij. classis. commemoratio* Oct. Natalis Domini.
xxiij	e	v	28	INNOCENTIUM MARTYRUM. 1. s. *festivitas iij. classis. commem.* Oct. Nat. Domini.
xxij	f	iv	29	De Octava } Natalis Domini.
xxj	g	iij	30	De Octava } Natalis Domini.
* 19. xx	A	Prid.	31	De Octava } Natalis Domini. *Commemoratio* S. Sylvestri, Papæ an. 335.

* Hæc Epacta 19 nunquam est in usu, nisi quando eodem anno concurrit cum numero aureo xix.

QUO MORE AC MODO

RECITANDÆ SINT.

HORÆ CANONICÆ.

Santolius Victorinus.

1. ALTERNO Jessæa choro quæ carmina psallis,
Æternas Gens nata Deo persolvere laudes,
Hic tibi servandas, quas scripsimus, accipe leges:
Qui formavit, habet, quibus audiat, & Deus aures.

2. Maxima debetur sanctis reverentia Templis.
Hæc habitat Deus, & præsenti numine replet.
Hujus ad aspectum, puræ sine corpore mentes
Terrificæ trepidant crebra inter fulgura lucis.

3. Si mordet te noxa gravis, vel limine in ipso
Ingressum paveas, sceleris neque conscius intres
Templa augusta: sacris Deus est penetralibus ultor.
Si quid at impuri contraxeris, elue labem
Confestim. Mundis oculis sint omnia munda.
Pectoris ille tui sacros habitare recessus
Plus ambit, quàm juncta simul certo ordine saxa.
Sic loca sancta, metu posito, lustratus adibis;
Et solves divina tuam in præconia linguam.

4. Ne venias, placare cupis si numinis iram,
Elatus caput, & bene-compto bellulus ore,
Promissoque capillitio, nec odoribus unctus,
Allicias spectantûm oculos; nec veste placebis,
Moribus at puris: decus est sibi splendida Virtus.

5. Ne rerum ſpecies violent ſacraria mentis,
Captivos ſenſus durâ ſub lege tenebis;
Acceptoque jugo, dociles tua juſſa capeſſent,
Mentis ad imperium. MULTÙM eſt componere ſenſus.

6. In toto ſedeat depicta modeſtia vultu;
Ut qui te videat, propiori numine tactus,
Sentiat eſſe Deum præſentem, & pronus adoret.

7. Ne nimiùm celeri confundas omnia cantu;
Sed paveas ad verba, ipſo dictata TONANTE.
Plena Deo ſunt verba. Moras ſervare memento:
Cantanti prodeſt, ſeu pectora feſſa ſubinde
Reſpirent, ſeu mens, quod profert lingua, revolvat,
Et ſacras voces arcano ruminet ore.
Ad numeros hilarem lentus ne protrahe cantum.
Nec te adeò recreet vocis ſonus: intima rerum
Scrutare, & ſenſus tecum meditare profundos.

8. Non incompoſitis lædas clamoribus aures;
Nec leviore ſono molles imitabere cantus,
Fractaque femineo ſupplantans verba palato,
Captabis plauſum indecorem: nam talia ſpernit
Vota, preceſque Deus. Puri ſuſpiria cordis,
Et tacitos gemitus attentis auribus audit.

9. At neque cantanti rictus diſtorqueat ora
Vaſtior, & rupto ſe vox de gutture trudat,
Unde ſolent reſonare immani templa boatu.
Non clamore Deus placatur. Ut audiat alto
E ſolio, nil vocis eget. Vos ſurda, Prophetæ,
Numina necquicquam valido pulmone vocaſtis.

10. Concordes animos monstret concordia vocum;
Par studium. Variâ pro conditione locorum
Ritè observentur, quæ sunt præscripta quotannis.

11. Absint bella, procul sacris discordia Templis;
Pro ritu ancipiti si quid peccatur, in ipso
Advertens culpam momento corrige, dum res
Et tempus tulerit. Si qui tibi fortè resistant,
Nec valeas solus te contra opponere turbæ:
Errorem permitte. Deo gratissimus error!
Mox cujus fuerat melior sententia, prudens,
Paulatim cum se malè-nata remiserit ira,
Errorem ostendas, & erit tibi gloria major.

12. Ne tibi longa nimis subeant fastidia cantûs,
Te super astra feras; propriis mens libera vinclis
Audeat interdum sedes percurrere sanctas,
Cœlestesque intrare domos. Te junge supernis
Obvius agminibus, Superisque admixtus, adora
Quem cœli prona aula canit, quem terque Beatum,
Terque canit Sanctum. Sic tu novus ætheris hospes,
Laudare incipies quem mox laudabis in ævum.
Pectus inundabit quàm pura & sancta voluptas!

Felix, si nondum exutus mortalia membra,
Has retinens leges, patrio præludis Olympo!

Cùm Domino psalles, psallendo tu tria serves:
Sit tibi cor sursum, bene profer, respice sensum.
Auscultando cane, simul incipe, desine plane.
Sit mens sublimis, pes junctus, visus in imis.



PRIVATÆ

PRIVATÆ ORATIONES

ANTE ET POST OFFICIUM DIVINUM.

Ante recitationem Officii Divini.

DOMINE, doce nos oráre: Ipse Spíritus póstulet pro nobis gemítibus inenarrabílibus. Miserére meî, Deus, & exáudi oratiónem meam. *Luc.* 11. *Rom.* 8. *Ps.* 4.

Ante Officium Nocturnum, & post Completorium, secretò dicitur:

PAter noster, qui es in cœlis, sanctificétur nomen tuum; advéniat regnum tuum; fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terrâ; panem nostrum quotidiánum da nobis hódie; & dimitte nobis débita nostra, sicut & nos dimíttimus debitóribus nostris: & ne nos indúcas in tentatiónem; sed líbera nos à malo. Amen.

AVe, María, grátiâ plena; Dóminus tecum; benedicta tu in muliéribus, & benedictus fructus ventris tui, JESUS. Sancta María, Mater Dei, ora pro nobis peccatóribus, nunc, & in horâ mortis nostræ. Amen.

CRedo in Deum, Patrem omnipotentem, creatórem cœli & terræ: Et in Jesum Christum Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum, qui conceptus est de Spíritu Sancto, natus ex Maríâ Vírgine; passus sub Póntio Piláto, crucifixus, mórtuus, & sepultus: descendit ad ínferos; tértiâ die resurrexit à mórtuis: ascendit ad cœlos; sedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis: inde ventúrus est judicáre vivos & mórtuos. Credo in Spíritum Sanctum, sanctam Ecclésiam Cathólicam, Sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem, vitam ætérnam. Amen.

Post recitationem Officii Divini.

SEdenti in throno, & Agno, benedictio, & honor, & glória, & potestas in sécula seculórum. Amen.

Soli Sapienti Deo, per Jesum Christum, honor & glória in sécula seculórum. Amen.

Veni, Dómine Jesu. Amen. *Apoc.* 5. *Rom.* 16. *Apoc.* 22.

ORATIO.

Ex antiquis Psalteriis, apud Thomasium.

SAlva nos, omnípotens Deus; & per mérita Dómini nostri Jesu Christi, & intercessiónem sanctæ Dei Genitrícis Maríæ, omniumque Sanctórum, esto nobis propítius & clemens; concessâque véniâ peccatórum, da nobis, deinceps velle, posse, & perfícere quæ tibi placent, & nobis expédiunt. Da nobis in tribulatióne solátium, in persecutióne auxílium, in omni tentatióne virtútem. Da nobis de prætéritis véniam, de præséntibus quoque malis emendatiónem; atque de futúris largíri nobis dignáre custódiam; Per eumdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

EXCERPTA

Ex Regulis generalibus Officii Divini.

I. Oratio Dominica *Pater*, & Salutatio Angelica *Ave*, secretò dicuntur ante Horas quaslibet, excepto Completorio. Si Hora jungatur Officio præcedenti, tunc ante ejus initium minimè dicuntur. In fine uniuscujusque Horæ, nisi aliud Officium sequatur, dicto *Benedicamus*, etiam secretò dicuntur: *Pater &c.* & *Ave &c.* Salutatio Angelica sola dicitur ante Offic. votiv. B. Mariæ Virg.

II. Quando, ad Horas & Vesperas, Laudum resumuntur Antiphonæ, quarta semper prætermittitur.

III. Cujuslibet Officii Collecta, semper ad Laudes præfigitur.

IV. Crucicul. † & asterisc. * tum in Lection. brev. tum in Collectis, cantûs modulationem indicant.



ABSOLUTIONES ET BENEDICTIONES

Dicendæ in Officio nocturno ante Lectiones.

DOMINICA.
Ut in Psalterio.

IN SOLEMNITATIBUS DOMINI.

IN I. NOCTURNO.

ABSOLUTIO. *II. Mach.* 1.

ADapériat Deus cor vestrum in lege suâ, & in præceptis suis, & fáciat pacem. ℟. Amen.

Benedictio. Deus Dómini nostri Jesu Christi, Pater glóriæ, det nobis spíritum sapiéntiæ. *Ephes.* 1. ℟. Amen.

IN II. NOCTURNO.

ABSOLUTIO. *Ephes.* 4.

OCcurrámus omnes in unitátem fídei, & agnitiónis Fílii Dei; ut non circumferámur omni vento doctrínæ. ℟. Amen.

Benedictio. Fílius Dei det nobis sensum, ut cognoscámus verum Deum. *I. Joan.* 5. ℟. Amen.

IN III. NOCTURNO.

ABSOLUTIO. *Rom.* 15.

DEus spei répleat vos omni gáudio, & pace in credendo; ut abundétis in spe & virtúte Spíritûs sancti. ℟. Amen.

Benedictio. Spíritus veritátis dóceat nos omnem veritátem. *Joan.* 16. ℟. Amen.

IN FESTIVITATIBUS SANCTORUM.
XII. Lectionum.

IN I. NOCTURNO.

Absolutio. Adapériat, &c.

Benedictio. Deus Dómini, &c. *ut suprà in Solemnitatibus.*

IN II. NOCTURNO.

ABSOLUTIO. *Act.* 26.

APeriantur óculi nostri, ut convertámur à ténebris ad lucem, & accipiámus sortem inter Sanctos. ℟. Amen.

Benedictio. Deus det nobis illuminátos óculos cordis, ut sciámus quæ sit spes vocatiónis ejus in Sanctis. *Ephes.* 1. ℟. Amen.

IN III. NOCTURNO.

Absolutio. Deus spei, &c.

Benedictio. Spíritus veritátis, &c. *ut suprà in Solemnitatibus.*

IN FESTIS SANCTORUM *Simplicibus, ut in diebus privatis III. Lectionum.*

ABSOLUTIO, *semper ut in Psalterio, Feriâ occurrente.*

1. *Benedictio.* Pater Dómini nostri Jesu Christi benedícat nos in omni benedictióne spirituáli. *Ephes.* 1. ℟. Amen.

2. *Benedictio.* Dignos nos fáciat Deus in partem sortis Sanctórum, qui erípuit nos de potestáte tenebrárum. *Coloss.* 1. ℟. Amen.

IN OFFICIO FERIALI,

Et etiam in diebus intra Octavas solemnitatum Domini.

ABSOLUTIO, *ut in Psalterio, Feriâ occurrente.*

1. *Benedictio.* Sciámus supereminentem sciéntiæ charitátem Christi, ut impleámur in omnem plenitúdinem Dei. *Ephes.* 3. ℟. Amen.

2. *Benedictio.* Deus apériat nobis óstium sermónis, ad loquendum mystérium Christi. *Coloss.* 4. ℟. Amen.

In Officio votivo beatæ Mariæ Virginis, Absolutiones annotantur.

In Officiis Defunctorum, non habentur Absolutiones neque Benedictiones.

TEMPORE PASCHALI.

In Dominicis, Solemnitatibus Domini, & Festivitatibus Sanctorum.

IN I. NOCTURNO.

ABSOLUTIO. *I. Petr.* 1.

BEnedictus Deus, qui secundùm misericórdiam suam magnam, regenerávit nos in spem vivam, per resurrectiónem Jesu Christi ex mórtuis. ℟. Amen.

Benedictio. Confiteámur in ore, & in corde credámus, quòd Deus suscitávit Jesum à mórtuis. *Rom.* 10. ℟. Amen.

IN II. NOCTURNO.

ABSOLUTIO. *II. Thess.* 1.

CLarificétur nomen Dómini nostri Jesu Christi in vobis, & vos illo, secundùm grátiam Dei nostri, & Dómini Jesu Christi. ℟. Amen.

Benedictio. Interpellet pro nobis Christus qui mórtuus est, & resurrexit. *Rom.* 8. ℟. Amen.

IN III. NOCTURNO.

ABSOLUTIO. *Philipp.* 1.

CHáritas vestra magis ac magis abundet in sciéntiâ, & in omni sensu; ut sitis repléti fructu justítiæ, per Jesum Christum, in glóriam & laudem Dei. ℟. Amen.

Benedictio. Spíritus ejus qui suscitávit Jesum à mórtuis, hábitet in nobis. *Rom.* 8. ℟. Amen.

In Festis Sanctorum, & in Officio feriali, ut suprà.



PSALTERIUM

PER HEBDOMADAM

DISPOSITUM,

AD MENTEM PATRIS NOSTRI

SANCTI BENEDICTI.

PARS VERNA.

DOMINICA.

Christus resurgens : Dei & divinæ legis laus & amor.

AD OFFICIUM NOCT.

Dictis secretò Pater, Ave, Credo ; *altâ voce dicitur :*

DEus, † in adjutórium meū intende : ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. *Ps.* 69.

Glória Patri, & Fílio, * & Spirítui Sancto :

Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, * & in sécula seculórum. Amen.

Laus tibi, Dómine, Rex ætérnæ glóriæ.

[*Temp. Pasch.* Allelúia.]

Dein ter, Dómine, † lábia mea apéries, * & os meum annuntiábit laudem tuam. *Ps.* 50.

*Asteriscus hic * denotat mediationem & pausam.*

PSALMUS 3.

Christus resurgens ; salus in se sperantium Deus.

1. DOmine, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me ? * multi insúrgunt advérsùm me.

2. Multi dicunt ánimæ

meæ : * Non est salus ipsi in Deo ejus.

3. Tu autem, Dómine, susceptor meus es, * glória mea, & exaltans caput meum.

4. Voce meâ ad Dóminum clamávi; * & exaudívit me de monte sancto suo.

5. Ego dormívi, & soporátus sum, & exurrexi; * quia Dóminus suscépit me.

6. Non timébo míllia pópuli circumdantis me: * exurge, Dómine; salvum me fac, Deus meus.

7. Quóniam tu percussísti omnes adversantes mihi sine causâ: * dentes peccatórum contrivisti.

8. Dómini est salus; * & super pópulum tuum benedíctio tua.

Glória Patri, & Fílio, * & Spirítui Sancto:

Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, * & in sécula seculórum. Amen.

Hi duo Versus dicuntur in fine omnium Psalmorum, Divisionum & Canticorum, nisi aliter notetur.

Sic inchoantur Vigiliæ in singulis noctibus.

Tempore Quadragesimæ.

In Psalm. Veníte, *Antiphona, seu Invitatorium:* Christum Jesum, qui venit vocáre peccatóres ad pœniténtiam, * Veníte, adorémus. *Luc.* 5.

Repetitur: Christum.

In cæteris Temporibus ut in Proprio de Tempore.

PSALMUS 94.

Invitatio ad Dei laudes, adorationem & obsequium.

VEníte, exultémus Dómino; jubilémus Deo salutári nostro: præoccupémus fáciem ejus in confessióne, & in psalmis jubilémus ei.

Repetitur: Christum Jesum, qui venit vocáre peccatóres ad pœniténtiam, * Veníte, adorémus.

Quóniam Deus magnus Dóminus, & Rex magnus super omnes deos; quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, & altitúdines móntium ipse cónspicit; quóniam ipsíus est mare, & ipse fecit illud, & áridam fundavérunt manus ejus.

Repetitur: Veníte, adorémus.

Veníte, adorémus, (*hìc prociditur.*) & procidámus ante Deum; plorémus coram Dómino qui fecit nos: quia ipse est Dóminus Deus noster; nos autem pópulus manûs ejus, & oves páscuæ ejus.

Repetitur: Christum Jesum, qui venit vocáre peccatóres ad pœniténtiam * Veníte, adorémus.

Hódiè si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra, sicut in exacerbatióne, secundùm diem tentatiónis in deserto, ubi tentavérunt me patres vestri, probavérunt me, vidérunt ópera mea.

Repetitur : Veníte, adorémus.

Quadraginta annis offensus fui generatióni huic ; & dixi : Semper hi errant corde : ipsi verò non cognovérunt vias meas, quibus jurávi in irâ meâ : Si introíbunt in réquiem meá.

Repetitur : Christum Jesum, qui venit vocáre peccatóres ad pœniténtiam. * Veníte, adorémus.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui Sancto : sicut erat in princípio, & nunc, & semper, & in sécula seculórum. Amen.

Repetitur : Veníte, adorémus.

Antiphona. Christum Jesum, qui venit vocáre peccatóres ad pœniténtiam, * Veníte, adorémus.

Prædictus modus dicendi Psalmum Veníte, *cum suâ Antiphonâ, cuilibet Tempori vel Festo propriâ, servatur in quocumque Officio.*

Hymnus ut in Proprio.

[*Tempore Paschali, in Officio de Dominicâ Psalmi dicuntur sub unicâ Antiphonâ ad finem utriusque Nocturni positâ.*]

IN I. NOCTURNO.

I. PSALMUS I.

Justorum beatitudo in amore Dei, & legis ejus : sors malorum metuenda.

1. BEátus vir qui non ábiit in consílio impiórum, & in viâ peccatórum non stetit, * & in cáthedrâ pestiléntiæ non sedit:

2. Sed in lege DÓMINI voluntas ejus ; * & in lege ejus meditábitur die ac nocte.

3. Et erit tamquàm lignū quod plantátum est secus decursus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo, & fólium ejus non défluet :

4. Et ómnia quæcumque fáciet, * prosperabuntur.

5. Non sic ímpii, non sic;* sed tamquàm pulvis quem prójicit ventus à fácie terræ.

6. Ideò non resurgent ímpii in judício, * neque peccatóres in concílio justórū.

7. Quóniam novit DÓMINUS viam justórum ; * & iter impiórum períbit.

Ant. Novit Dóminus viam justórum, & iter impiórum períbit.

II. PSALMUS 2.

Christi incarnatio, victoria & imperium.

1. QUarè fremuérunt gētes, * & pópuli meditáti sunt inánia ?

2. Astitérunt Reges terræ, & Príncipes convenérunt in unum, * adversùs DÓMINUM & adversùs Christum ejus.

3. Dirumpámus víncula eórum ; * & projiciámus à nobis jugum ipsórum.

4. Qui hábitat in cœlis, irridébit eos ; * & Dóminus subsannábit eos.

5. Tunc loquétur ad eos in irâ suâ; * & in furóre suo conturbábit eos.

6. Ego autem constitútus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præceptum ejus.

7. DÓMINUS dixit ad me: * Filius meus es tu; ego hódiè génui te.

8. Póstula à me; & dabo tibi gentes hereditátem tuam, * & possessiónem tuam términos terræ.

9. Reges eos in virgâ férreâ, * & tamquàm vas figuli confringes eos.

10. Et nunc, Reges, intellígite; * erudímini, qui judicátis terram.

11. Servíte DÓMINO in timóre; * & exsultáte ei cum tremóre.

12. Apprehéndite disciplínam; * nequandò irascátur Dóminus, & pereátis de viâ justâ.

13. Cùm exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes qui confidunt in eo.

Ant. Servíte Dómino in timóre, & exsultáte ei cum tremóre.

III. PSALMUS 15.

Christi Personam gerens Rex Propheta, ejus prædicit Resurrectionem.

1. CONserva me, Dómine; * quóniam sperávi in te.

2. Dixi DÓMINO: Deus meus es tu; * quóniam bonórum meórum non eges.

3. Sanctis qui sunt in terrâ ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

4. Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum; * pósteà acceleravérunt.

5. Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus; * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

6. DÓMINUS pars hereditátis meæ, & cálicis mei: * tu es qui restítues hereditátem meam mihi.

7. Funes cecidérunt mihi in præcláris, * étenim hérēditas mea præclára est mihi.

8. Benedícam DÓMINUM, qui tríbuit mihi intelle-ctum: * ínsuper & usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

9. Providébam DÓMINUM in conspectu meo semper; * quóniam à dextris est mihi, ne commóvear.

10. Propter hoc lætátum est cor meum, & exsultávit lingua mea; * ínsuper & caro mea requiescet in spe.

11. Quóniam non derelinques ánimam meam in inferno, * nec dabis Sanctum tuum vidére corruptiónem.

12. Notas mihi fecisti vias vitæ; adimplébis me lætítiâ cum vultu tuo: * delectatiónes in déxterâ tuâ usque in finem.

Ant. Dóminus pars hereditátis meæ, & cálicis mei.

IV. PSALMUS 20.

Ecclesia de Christi Regis sui victoriis gratias agit.

1. DOMINE, in virtúte tuâ lætábitur Rex: * & super salutáre tuum exsultábit vehementer.

2. Desidérium cordis ejus tribuisti ei; * & voluntáte labiórum ejus non fraudasti eum.

3. Quóniam prævenisti eum in benedictiónibus dulcédinis: * posuisti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

4. Vitam pétiit à te; & tribuisti ei: * longitúdinem diérum in séculum, & in séculum séculi.

5. Magna est glória ejus in salutári tuo: * glóriam & magnum decórem impónes super eum.

6. Quóniam dabis eum in benedictiónem in séculum séculi: * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

7. Quóniam Rex sperat in DÓMINO; * & in misericórdiâ Altissimi non commovébitur.

8. Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis: * déxtera tua invéniat omnes qui te odérunt.

9. Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultûs tui: * DÓMINUS in irâ suâ conturbábit eos, & devorábit eos ignis.

10. Fructum eórum de terrâ perdes, * & semen eórum à filiis hóminum.

11. Quóniam declinavérunt in te mala; * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre.

12. Quóniam pones eos dorsum: * in reliquiis tuis præparábis vultum eórum.

13. Exaltáre, DÓMINE, in virtúte tuâ: * cantábimus & psallémus virtútes tuas.

Ant. Exaltáre, Dómine, in virtúte tuâ: cantábimus & psallémus virtútes tuas.

V. PSALMUS 24.

Implorat peccator Dei misericordiam, & in rectam se deduci viam postulat.

1. AD te, DÓMINE, levávi ánimam meã: * Deus meus, in te confido.

2. Non erubescam, * neque irrídeant me inimíci mei.

3. Etenim universi qui sustinent te, non confundentur; * confundantur omnes iniqua agentes supervácuè.

4. Vias tuas, DÓMINE, demonstra mihi; * & sémitas tuas édoce me.

5. Dírige me in veritáte tuâ, & doce me; * quia tu es Deus salvátor meus, & te sustínui totâ die.

6. Reminíscere miseratiónum tuárum, DÓMINE, * & misericordiárum tuárum quæ à século sunt.

7. Delicta juventútis meæ, & ignorántias meas ne memíneris: * secundùm misericórdiam tuam memento

meî, tu, propter bonitátem tuam, DÓMINE.

8. Dulcis & rectus DÓMINUS; * propter hoc legem dabit delinquéntibus in viâ.

9. Díriget mansuétos in judício: * docébit mites vias suas.

10. Universæ viæ DÓMINI, misericórdia & véritas; * requiréntibus testamentum ejus, & testimónia ejus.

11. Propter nomen tuum, DÓMINE, propitiáberis peccáto meo: * multum est enim.

Ant. Vias tuas, Dómine, demonstra mihi; & sémitas tuas édoce me.

VI. *Divisio Psalmi* 24.

12. QUis est homo qui timet DÓMINUM? * legem státuit ei in viâ quam elégit.

13. Anima ejus in bonis demorábitur; * & semen ejus hereditábit terram.

14. Firmamentum est DÓMINUS timéntibus eum, * & testamentum ipsíus, ut manifestétur illis.

15. Oculi mei semper ad DÓMINUM; * quóniam ipse evellet de láqueo pedes meos.

16. Réspice in me, & miserére meî; * quia únicus & pauper sum ego.

17. Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ sunt: * de necessitátibus meis érue me.

18. Vide humilitátem meam, & labórem meum; * & dimitte universa delicta mea.

19. Réspice inimícos meos, quóniam multiplicáti sunt; * & ódio iníquo odérunt me.

20. Custódi ánimam meam, & érue me: * non erubescam, quóniam sperávi in te.

21. Innocentes & recti adhæsérunt mihi; * quia sustínui te.

22. Líbera, Deus, Israel, * ex ómnibus tribulatiónibus suis.

Ant. Firmamentum est Dóminus timéntibus eum, & testamentum ipsíus ut manifestétur illis.

Temp. Pasch. Ant. unica. Salvátor noster Jesus Christus destruxit quidem mortem, illuminávit autem vitam & incorruptiónem. Allelúia. *II. Tim.* 1.

℣. Deus, clamábo per diem, & non exáudies;

℟. Et nocte, & non ad insipiéntiam mihi. *Ps.* 21.

ABSOLUTIO. *II. Mach.* 1.

ADapériat Deus cor vestrum in lege suâ, & in præceptis suis, & fáciat pacem.

℟. Amen.

Dicit Lector: Jube, Domne, benedícere.

Benedicit Abbas.

BENEDICTIO. *Ephes.* I.

DEus Dómini nostri Jesu Christi Pater glóriæ det nobis spíritum sapiéntiæ.

℞. Amen.

Lectiones cum Responsoriis in Proprio.

IN II. NOCTURNO.

I. PSALMUS 26.

Fidelium fortitudo ex Deo; æterna vita quærenda bona.

1. DOMINUS illuminátio mea, & salus mea; * quem timébo?

2. DÓMINUS protector vitæ meæ; * à quo trepidábo?

3. Dum apprópiant super me nocentes, * ut edant carnes meas:

4. Qui tribulant me inimíci mei, * ipsi infirmári sunt, & cecidérunt.

5. Si consistant adversùm me castra, * non timébit cor meum:

6. Si exurgat adversùm me prælium, * in hoc ego sperábo.

7. Unam pétii à DÓMINO, hanc requíram; * ut inhábitem in domo DÓMINI, ómnibus diébus vitæ meæ:

8. Ut vídeam voluptátem DÓMINI, * & vísitem templum ejus.

9. Quóniam abscondit me in tabernáculo suo; * in die malórum protexit me, in abscóndito tabernáculi sui.

10. In petrâ exaltávit me; * & nunc exaltávit caput meum super inimícos meos.

11. Circuívi, & immolávi in tabernáculo ejus hóstiam vociferatiónis: * cantábo, & psalmum dicam DÓMINO.

12. Exaudi, DÓMINE, vocem meam, quâ clamávi ad te: * miserére meî, & exaudi me.

13. Tibi dixit cor meum: exquisívit te fácies mea; * fáciem tuam, DÓMINE, requíram.

14. Ne avertas fáciem tuam à me; * ne declínes, in irâ, à servo tuo.

15. Adjútor meus esto; ne derelinquas me: * neque despícias me, Deus salutáris meus.

16. Quóniam pater meus & mater mea dereliquérunt me: * DÓMINUS autem assumpsit me.

17. Legem pone mihi, DÓMINE, in viâ tuâ; * & dírige me in sémitam rectâ, propter inimícos meos.

18. Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me: * quóniam insurrexérunt in me testes iníqui; & mentita est iníquitas sibi.

19. Credo vidére bona DÓMINI, * in terrâ vivéntium.

20. Expecta DÓMINUM, viríliter age: * & confortétur cor tuum, & sústine DÓMINUM.

Ant. Tibi dixit cor meũ; exquisívit te fácies mea: fáciem tuam, Dómine, requíram.

II. PSALMUS 27.

Christi & justorum inter adversa spes resurgendi.

1. AD te, DÓMINE, clamábo; Deus meus, ne síleas à me; * nequandò táceas à me, & assimilábor descendéntibus in lacum.

2. Exaudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ, dùm oro ad te; * dùm extollo manus meas ad templum sanctum tuum.

3. Ne simul trahas me cum peccatóribus; * & cum operántibus iniquitátem ne perdas me.

4. Qui loquuntur pacem cum próximo suo; * mala autem in córdibus eórum.

5. Da illis secundùm ópera eórum, * & secundùm nequítiam adinventiónum ipsórum.

6. Secundùm ópera mánuum eórum tríbue illis: * redde retributiónem eórum ipsis.

7. Quóniam non intellexérunt ópera DÓMINI, & in ópera mánuum ejus; * déstrues illos, & non ædificábis eos.

8. Benedictus DÓMINUS: * quóniam exaudívit vocem deprecatiónis meæ.

9. DÓMINUS adjútor meus, & protector meus: * in ipso sperávit cor meum, & adjutus sum.

10. Et reflóruit caro mea * & ex voluntáte meâ confitébor ei.

11. DÓMINUS fortitúdo plebis suæ; * & protector salvatiónum christi sui est.

12. Salvum fac pópulum tuum, Dómine, & bénedic hereditáti tuæ; * & rege eos, & extolle illos usque in æternum.

Ant. In Dómino sperávit cor meum, & adjútus sum; & reflóruit caro mea.

III. PSALMUS 29.

Christus post suos in passione labores, & suam in resurrectione victoriam, gratias agit.

1. EXaltábo te, DÓMINE, quóniam suscepisti me; * nec delectasti inimícos meos super me.

2. DÓMINE, Deus meus, clamávi ad te; * & sanasti me.

3. DÓMINE, eduxisti ab inferno ánimam meam: * salvasti me à descendéntibus in lacum.

4. Psállite DÓMINO, sancti ejus; * & confitémini memóriæ sanctitátis ejus.

5. Quóniam ira in indignatióne ejus; * & vita in voluntáte ejus.

6. Ad vésperum demorábitur fletus; * & ad matutínum lætítia.

7. Ego autem dixi in abundántiâ meâ: * Non movébor in æternum.

8. DÓMINE, in voluntáte

tuâ, * præstitisti decóri meo virtútem.

9. Avertisti fáciem tuam à me; * & factus sum conturbátus.

10. Ad te, DÓMINE, clamábo; * & ad Deum meum deprecábor.

11. Quæ utílitas in sánguine meo; * dùm descéndo in corruptiónem?

12. Numquid confitébitur tibi pulvis; * aut annuntiábit veritátem tuam?

13. Audívit DÓMINUS, & misertus est meî: * DÓMINUS factus est adjútor meus.

14. Convertisti planctum meum in gáudium mihi: * conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitiâ:

15. Ut cantet tibi glória mea, * & non compungar.

16. DÓMINE, Deus meus, * in æternum confitébor tibi.

Ant. Dómine, eduxisti ab inferno ánimam meam; salvasti me à descendéntibus in lacum.

IV. PSALMUS 95.

Regnat super gentes Christus, per quem cœli facti sunt.

1. CAntáte DÓMINO cánticum novum: * cantáte DÓMINO, omnis terra.

2. Cantáte DÓMINO, & benedícite nómini ejus: * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

3. Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus:

4. Quóniam magnus DÓMINUS, & laudábilis nimìs; * terríbilis est super omnes deos:

5. Quóniam omnes dii géntium, dæmónia; * DÓMINUS autem cœlos fecit.

6. Conféssio & pulchritúdo in conspectu ejus: * sanctimónia & magnificéntia in sanctificatióne ejus.

7. Afferte DÓMINO, pátriæ géntium, afferte DÓMINO glóriam & honórem: * afferte DÓMINO glóriam nómini ejus.

8. Tóllite hóstias, & introíte in átria ejus: * adoráte DÓMINUM in átrio sancto ejus.

9. Commoveátur à fácie ejus universa terra: * dícite in géntibus: Quia DÓMINUS regnávit.

10. Etenim correxit orbem terræ, qui non commovébitur: * judicábit pópulos in æquitáte.

11. Lætentur cœli, & exultet terra; commoveátur mare, & plenitúdo ejus: * gaudébunt campi & ómnia quæ in eis sunt.

12. Tunc exultábunt ómnia ligna sylvárum à fácie DÓMINI, quia venit; * quóniam venit judicáre terram.

13. Judicábit orbem terræ in æquitáte, * & pópulos in veritáte suâ.

Ant. Dícite in géntibus: Quia Dóminus regnávit.

V. PSALMUS 96.

Christus Rex exaltatus super omnes deos: ab Angelis adorandus.

1. DOMINUS regnávit; exultet terra: * lætentur ínsulæ multæ.

2. Nubes, & calígo in circúitu ejus: * justítia & judíciũ corréctio sedis ejus.

3. Ignis ante ipsum præcédet, * & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

4. Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit, & commóta est terra.

5. Montes sicut cera fluxérunt, à fácie DÓMINI, * à fácie Dómini omnis terra.

6. Annuntiavérunt cœli justítiam ejus; * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

7. Confundantur omnes qui adórant sculptília, * & qui gloriantur in simulácris suis.

8. Adoráte eum, * omnes Angeli ejus.

9. Audívit, & lætáta est Sion: * & exultavérunt fíliæ Judæ, propter judícia tua, DÓMINE.

10. Quóniam tu DÓMINUS altíssimus super omnem terram: * nimìs exaltátus es super omnes deos.

11. Qui dilígitis DÓMINUM, odíte malum: * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum; de manu peccatóris liberábit eos.

12. Lux orta est justo, * & rectis corde lætítia.

13. Lætámini, justi, in DÓMINO; * & confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Ant. Adoráte eum, omnes Angeli ejus.

VI. PSALMUS 97.

Christus resurgens notum facit gentibus salutare suum.

1. CANTÁTE DÓMINO cánticum novum; * quia mirabília fecit.

2. Salvávit sibi déxtera ejus, * & bráchium sanctum ejus.

3. Notum fecit DÓMINUS salutáre suum: * in conspectu géntium revelávit justítiam suam.

4. Recordátus est misericórdiæ suæ, * & veritátis suæ dómui Israel.

5. Vidérunt omnes términi terræ, * salutáre Dei nostri.

6. Jubiláte Deo, omnis terra: * cantáte, & exultáte, & psállite.

7. Psállite DÓMINO in cítharâ: * in cítharâ & voce psalmi.

8. In tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ, * jubiláte in conspectu Regis DÓMINI.

9. Moveátur mare, & plenitúdo ejus; * orbis terrárum, & qui hábitant in eo.

10. Flúmina plaudent manu, simul montes exultábunt à conspectu DÓMINI; * quóniam venit judicáre terram.

11. Judicábit orbem terrárum in justítiâ, * & pópulos in æquitáte.

Ant. Vidérunt omnes términi terræ salutáre Dei nostri.

Temp. Pasch. Antiphona unica. Per resurrectiónem Christus, qui est in déxterâ Dei, deglútiit mortem, ut vitæ æternæ herédes efficerémus. Alleluia. *I. Petr.* 3.

℣. Notas mihi fecisti vias vitæ: ℟. Adimplébis me lætítiâ cum vultu tuo. *Ps.* 15.

ABSOLUTIO. *Ephes.* 4.

OCcurrámus omnes in unitátem fidei, & agnitiónis Filii Dei, ut non circumferámur omni vento doctrínæ. ℟. Amen.

BENEDICTIO. *I. Joan.* 5.

FIlius Dei det nobis sensum, ut cognoscámus verum Deum. ℟. Amen.

In Festivitatibus, Absolutio & Benedictio propria, ad caput Psalterii.

IN III. NOCTURNO.

Cantica, Ant. & ℣. ut in Proprio.

ABSOLUTIO. *Rom.* 15.

DEus spei répleat vos omni gáudio & pace in credendo, ut abundétis in spe & virtúte Spíritûs sancti. ℟. Amen.

BENEDICTIO. *Joan.* 16.

SPíritus veritátis dóceat nos omnem veritátem. ℟. Amen.

Lectiones cum Responsoriis in Proprio.

HYMNUS.

1. TE Deum laudámus: * te Dóminum confitémur.

2. Te æternum Patrem * omnis terra venerátur.

3. Tibi omnes Angeli, * tibi Cœli, & universæ Potestátes.

4. Tibi Chérubim & Séraphim * incessábili voce proclámant:

5. Sanctus,

6. Sanctus,

7. Sanctus, * Dóminus, Deus Sábaoth.

8. Pleni sunt cœli & terra * majestátis glóriæ tuæ.

9. Te gloriósus * Apostolórum chorus,

10. Te Prophetárum * laudábilis númerus,

11. Te Mártyrum candidátus * laudat exércitus.

12. Te, per orbem terrárum, * sancta confitétur Ecclésia;

13. Patrem * immensæ majestátis:

14. Venerandum tuum verum * & únicum Filium:

15. Sanctum quoque * Paraclétum Spíritum.

16. Tu, Rex glóriæ, * Christe:

17. Tu Patris * sempitérnus es Filius.

18. Tu, ad liberandum, susceptúrus hóminem, * non horruisti Vírginis úterum.

19. Tu, devícto mortis acúleo, * aperuísti credéntibus regna cœlórum.

20. Tu ad déxteram Dei sedes, * in glóriâ Patris.

21. Judex créderis * esse ventúrus.

22. Te ergò quæsumus, fámulis tuis súbveni, * quos pretióso sánguine redemisti.

23. Æternâ fac, cum sanctis tuis, * nos glóriâ munerári.

24. Salvum fac pópulum tuum, Dómine; * & bénedic hereditáti tuæ.

25. Et rege eos, * & extolle illos usque in ætermum.

26. Per síngulos dies * benedícimus te.

27. Et laudámus nomen tuum in sæculum, * & in séculum séculi.

28. Dignáre, Dómine, die isto, * sine peccáto nos custodíre.

29. Miserére nostrî, Dómine, * miserére nostrî.

30. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, * quemádmodum sperávimus in te.

31. In te, Dómine, sperávi: * non confundar in ætemum.

Legitur à Præside Chori Evangelium diei, in cujus fine ℟. Amen. *Hymnus:* Te decet laus, te decet hymnus; tibi glória Deo Patri, & Fílio, cum Sancto Spíritu, in sécula seculórum. Amen.

Subjungit Præses Collectam diei, & sic terminatur Officium nocturnum.

AD LAUDES.

Deus, † in adjutórium.

PSALMUS 66.

Sine Antiphonâ.

Ut ab omnibus gentibus cognoscatur & laudetur Deus, exoptat Ecclesia.

1. DEus misereátur nostrî, & benedícat nobis; * illúminet vultum suum super nos, & misereátur nostrî:

2. Ut cognoscámus in terrâ viam tuam, * in ómnibus géntibus salutáre tuum.

3. Confiteantur tibi pópuli, Deus; confiteantur tibi pópuli omnes: * læténtur & exultent gentes,

4. Quóniam júdicas pópulos in æquitáte, * & gentes in terrâ dírigis.

5. Confiteantur tibi pópuli, Deus; confiteantur tibi pópuli omnes: * terra dedit fructum suum.

6. Benedícat nos Deus, Deus noster, benedícat nos Deus; * & métuant eum omnes fines terræ.

I. PSALMUS 62.

In cœlum suspirat anima divinæ bonitatis contemplatione.

1. DEus, Deus meus, * ad te de luce vígilo.

2. Sitívit in te ánima mea; * quàm multiplíciter tibi caro mea!

3. In terrâ desertâ, & ínviâ, & inaquósâ, sic in sancto appárui tibi, * ut vidérem virtútem tuam & glóriam tuam.

4. Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas: * lábia mea laudábunt te.

5. Sic benedícam te in vitâ meâ; * & in nómine tuo levábo manus meas.

6. Sicut ádipe & pinguédine repleátur ánima mea;* & lábiis exultatiónis laudábit os meum.

7. Si memor fui tuî super stratum meum, * in matutínis meditábor in te:

8. Quia fuisti adjútor meus: * & in velamento alárum tuárum exultábo.

9. Adhæsit ánima mea post te; * me suscépit déxtera tua.

10. Ipsi verò in vanum quæsiérunt ánimam meã;* introíbunt in inferióra terræ.

11. Tradentur in manus gládii; * partes vúlpium erunt.

12. Rex verò lætábitur in Deo; laudabuntur omnes qui jurant in eo: * quia obstructum est os loquéntium iníqua.

Ant. In matutínis meditábor in te, Dómine.

Temp. Pasch. Ant. Allelúia. Quóniam regnávit Dóminus Deus noster omnipotens. Allelúia. *Apoc.* 19.

II. Psalmus 92.

Christi regnum & eloquia extolluntur.

1. DOMINUS regnávit; decórem indútus est: * indútus est DÓMINUS fortitúdinem, & præcinxit se.

2. Etenim firmávit orbem terræ, * qui non commovébitur.

3. Paráta sedes tua ex tunc: * à sǽculo tu es.

4. Elevavérunt flúmina, DÓMINE, * elevavérunt flúmina vocem suam.

5. Elevavérunt flúmina fluctus suos, * à vócibus aquárum multárum.

6. Mirábiles elatiónes maris: * mirábilis in altis DÓMINUS.

7. Testimónia tua credibília facta sunt nimìs: * domum tuam decet sanctitúdo, DÓMINE, in longitúdinem diérum.

Ant. Indútus est Dóminus fortitúdinem, & præcinxit se.

Temp. Pasch. Ant. Gaudeámus & exsultémus, & demus glóriam ei. Allelúia. *Apoc.* 19.

III. Psalmus 99.

Ad Dei cultum & laudes exhortatio.

1. JUbiláte Deo, omnis terra: * servíte DÓMINO in lætítiâ; introíte in

conſpectu ejus in exultatióne.

2. Scitóte quóniam Dóminus ipſé eſt Deus: * ipſe fecit nos, & non ipſi nos.

3. Pópulus ejus & oves páſcuæ ejus, introíte portas ejus in confeſſióne, átria ejus in hymnis: * confitémini illi; laudáte nomen ejus.

4. Quóniam ſuávis eſt Dóminus: * in æternum miſericórdia ejus; & uſque in generatiónem & generatiónem véritas ejus.

Ant. Laudáte nomen ejus; quóniam ſuávis eſt Dóminus.

Temp. Paſch. Ant. Beáti qui lavant ſtolas ſuas in ſánguine Agni. Allelúia. *Apoc.* 22.

IV. Canticum. *Dan.* 3.

Trium puerorum exhortatio ad omnes creaturas, ut benedicant Domino.

1. Benedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino: * laudáte & ſuperexaltáte eum in ſǽcula.

2. Benedícite, Angeli Dómini, Dómino: * benedícite, cœli, Dómino.

3. Benedícite, aquæ omnes quæ ſuper cœlos ſunt, Dómino: * benedícite, omnes virtútes Dómini, Dómino.

4. Benedícite, ſol & luna, Dómino: * benedícite, ſtellæ cœli, Dómino.

5. Benedícite, omnis imber & ros, Dómino: * benedícite, omnes ſpíritus Dei, Dómino.

6. Benedícite, ignis & æſtus, Dómino: * benedícite, frigus & æſtus, Dómino.

7. Benedícite, rores & pruína, Dómino: * benedícite, gelu & frigus, Dómino.

8. Benedícite, glácies & nives, Dómino: * benedícite, noctes & dies, Dómino.

9. Benedícite, lux & ténebræ, Dómino: * benedícite, fúlgura & nubes, Dómino.

10. Benedícat terra Dóminum; * laudet & ſuperexaltet eum in ſǽcula.

11. Benedícite, montes & colles, Dómino: * benedícite, univerſa germinántia in terrâ, Dómino.

12. Benedícite, fontes, Dómino: * benedícite, mária & flúmina, Dómino.

13. Benedícite, cete & ómnia quæ moventur in aquis, Dómino: * benedícite, omnes vólucres cœli, Dómino.

14. Benedícite, omnes béſtiæ & pécora, Dómino: * benedícite, filii hóminum, Dómino.

15. Benedícat Iſraël Dóminum: * laudet & ſuperexaltet eum in ſǽcula.

16. Benedícite, ſacerdótes Dómini, Dómino: *

benedícite, servi Dómini, Dómino.

17. Benedícite, spíritus & ánimæ justórum, Dómino: * benedícite, sancti & húmiles corde, Dómino.

18. Benedícite, Ananía, Azaría, Mísaël, Dómino: * laudáte & superexaltáte eum in sécula.

Hìc loco Glória Patri, *dicitur :*

19. Benedicámus Patrem & Filium cum Sancto Spíritu: * laudémus & superexaltémus eum in sécula.

20. Benedictus es, Dómine, in firmamento cœli: * & laudábilis, & gloriósus & superexaltátus in sécula.

Ant. Sol & luna, lux & ténebræ, noctes & dies, benedícite Dómino.

Temp. Pasc. Ant. Sedenti in throno, & Agno benedíctio & honor in sécula seculórum. Allelúia. *Apoc.* 5.

V. PSALMUS 148.

Ad Dei laudes omnes invitantur creaturæ.

1. Laudáte DÓMINUM de cœlis; * laudáte eum in excelsis.

2. Laudáte eum, omnes Angeli ejus; * laudáte eum, omnes Virtútes ejus.

3. Laudáte eum, sol & luna: * laudáte eum, omnes stellæ & lumen.

4. Laudáte eum, cœli cœlórum: * & aquæ omnes quæ super cœlos sunt, laudent nomen DÓMINI.

5. Quia ipse dixit, & facta sunt; * ipse mandávit, & creáta sunt.

6. Státuit ea in æternum & in séculum séculi: * præceptum pósuit, & non præteríbit.

7. Laudáte DÓMINUM de terrâ, * dracónes, & omnes abyssi:

8. Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum; * quæ fáciunt verbum ejus:

9. Montes, & omnes colles; * ligna fructífera, & omnes cedri:

10. Béstiæ & universa pécora, * serpentes, & vólucres pennátæ.

11. Reges terræ, & omnes pópuli; * príncipes, & omnes júdices terræ:

12. Júvenes, & vírgines; * senes cum junióribus:

13. Laudent nomen DÓMINI; * quia exaltátum est nomen ejus solius.

14. Conféssio ejus super cœlum & terram; * & exaltávit cornu pópuli sui.

15. Hymnus ómnibus sanctis ejus; * filiis Israel, pópulo appropinquanti sibi.

Ant. Laudáte eum, omnes Angeli ejus: laudáte eum, omnes Virtútes ejus.

Temp. Pasch. Ant. Laudem dícite Deo nostro, omnes servi ejus, & qui timétis eum. Allelúia. *Apoc.* 19.

Lectio, ℟. *brev. Hymn.* ℣. *ut in Proprio.*

CANT. ZACH. *Luc.* I.

Gratiarum actio de Incarnationis beneficio.

1. BEnedíctus Dóminus, Deus Iſrael; * quia viſitávit, & fecit redemptiónem plebis ſuæ:

2. Et erexit cornu ſalútis nobis, * in domo David púeri ſui:

3. Sicut locútus eſt per os ſanctórum, * qui à ſéculo ſunt, Prophetárum ejus:

4. Salútem ex inimícis noſtris, * & de manu ómnium qui odérunt nos:

5. Ad faciendam miſericórdiam cum pátribus noſtris; * & memorári teſtamenti ſui ſancti:

6. Jusjurandum quod jurávit ad Abraham patrem noſtrum, * datúrum ſe nobis:

7. Ut ſine timóre, de manu inimicórum noſtrórum liberáti, * ſerviámus illi,

8. In ſanctitáte & juſtítiâ coram ipſo, * ómnibus diébus noſtris.

9. Et tu, puer, Prophéta Altíſſimi vocáberis: * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus:

10. Ad dandam ſciéntiam ſalútis plebi ejus, * in remiſſiónem peccatórum eórum,

11. Per víſcera miſericórdiæ Dei noſtri, * in quibus viſitávit nos Oriens ex alto;

12. Illumináre his qui in ténebris & in umbrâ morti[s] ſedent, * ad dirigendos p[edes] noſtros in viam pacis.

Antiphona & Collec[ta] ut in Proprio.

A Præſide Chori dicitu[r] Kyrie, eleéſon: *Chorus* Chriſte, eleéſon: Kyri[e] eleéſon. *A Præſide al[ta] voce:* Pater noſter. *Ad h[æc] verba excluſivè:* Sed líbe[ra] nos à malo: *quæ à Cho[ro] reſpondentur. Tùm Heb[do]madarius dicit:* Dómin[us] vobiſcum. *Chorus,* ℟. [Et] cum ſpíritu tuo. *Hebdom[a]darius, dicto* Orémus, *ſ[ub]jungit Collectam. Cho[rus]* ℟. Amen. *Fiunt deinde, [si] quæ occurrant, Commem[o]rationes. Hebdomadari[us] dicit:* Benedicámus Dóm[i]no. ℟. Deo grátias. *Et [sic] ſemper terminatur O[ffi]cium.*

AD PRIMAM.

Deus, † in adjutórium [...]

HYMNUS. C.

JAm lucis orto ſídere,
Deū precémur ſúpplic[es]
Noſtras ut ipſe dírigat
Lux increáta ſémitas.

Nil lingua, nil pecc[et] manus;
Nil mens ináne cógitet;
In ore ſimplex véritas,
In corde regnet cáritas.

Incœpta dùm fluet die[s]
O Chriſte, ſis cuſtos vig[il]
Da mente ſcire quod doce[s]
Da corde, quod jubes, ſeq[ui]

PRÆPARATIO

Ad Horas Canonicas.

...es in hâc die laudem dicam tibi, Do-
...e, memor operum tuorum magnorum
...c *mirabilium*, quibus universa septem
...ab initio condidisti; memor septem [illegible]
...tiarum Passionis Domini nostri Jesu
Filii tui, & Mysteriorum [illegible]
salute nostrâ in terris operatus es;
...sæpèr septiformis gratiæ [illegible] Sancti
per charitatem in cordibus fidelium
memor, inquam, horum [illegible]
singulis septem Horis canonicis, quas
[illegible] sacro & regulari Ecclesiæ [illegible]
hodiè dicere propono.

...ntem tuam clementissimam [illegible]
...dum has Horas canonicas, [illegible]
e Majestatis exsolvo, [illegible]
...eris assistere; & linguam [illegible]
è verba pronunciet, [illegible]
& mentem à vagis [illegible]
expedire non differas.

...igitur ex ore meo sacrificium laudis
...norificet; meque hostiam vivam, [illegible]
...batam, tibi placitam coram [illegible]
...de, quæsumus, gratiam [illegible]
..., *ut de corde bono* [illegible]
propter gratiam [illegible]
...abeam; dumque [illegible]
...onfessionis [illegible]
...addictione [illegible] Amen.

fidere in ...

...aro
...t,
...idet,
...um
...n :
...ice,
...mus.
...Patri;
...Filio;
...s,
...tus.
7.
...ntis :
...actio
...o be-
...INO,
...is; *
...iseri-
..., quó-
...iam in
...i ejus.
...is Aa-
...culum
...iment
...am in
...a ejus.
...invo-
...exau-
...ie Dó-
... adjú-
...o quid
... adjú-
...píciam
...fidere
...n con-

9. Bonum est speráre in DÓMINO, * quàm speráre in princípibus.

10. Omnes gentes circuiérunt me; * & in nómine DÓMINI, quia ultus sum in eos.

11. Circumdantes circumdedérunt me; * & in nómine DÓMINI, quia ultus sum in eos.

12. Circumdedérunt me sicut apes, & exarsérunt sicut ignis in spinis; * & in nómine DÓMINI, quia ultus sum in eos.

13. Impulsus eversus sum ut cáderem; * & DÓMINUS suscépit me.

14. Fortitúdo mea & laus mea DÓMINUS; * & factus est mihi in salútem.

Divisio Psalmi 117.

15. VOx exultatiónis & salútis, * in tabernáculis justórum.

16. Déxtera DÓMINI fecit virtútem; déxtera DÓMINI exaltávit me; * déxtera DÓMINI fecit virtútem.

17. Non móriar, sed vivam; * & narrábo ópera DÓMINI.

18. Castígans castigávit me DÓMINUS; * & morti non trádidit me.

19. Aperíte mihi portas justitiæ, * ingressus in eas, confitébor DÓMINO.

20. Hæc porta DÓMINI; * justi intrábunt in eam.

21. Confitébor tibi, quóniam exaudísti me; * & factus es mihi in salútem.

22. Lápidem quem reprobavérunt ædificantes; * hic factus est in caput ánguli.

23. A Dómino factum est istud; * & est mirábile in óculis nostris.

24. Hæc est dies, quam fecit Dóminus: * exultémus, & lætémur in eâ.

25. O Dómine, salvum me fac; ô Dómine, benè prosperáre: * benedictus qui venit in nómine Dómini.

26. Benedíximus vobis de domo Dómini: * Deus Dóminus, & illuxit nobis.

27. Constitúite diem solemnem in condensis, * usque ad cornu altáris.

28. Deus meus es tu, & confitébor tibi: * Deus meus es tu, & exaltábo te.

29. Confitébor tibi, quóniam exaudisti me; * & factus es mihi in salútem.

30. Confitémini Dómino, quóniam bonus; * quóniam in séculum misericórdia ejus.

PSALMUS 118.

Divinæ legis encomium: evangelicæ doctrinæ breviarium: pia in Deum cordis effusiones.

1. BEáti immaculáti in viâ, * qui ámbulant in lege Dómini.

2. Beáti qui scrutantur testimónia ejus: * in toto corde exquírunt eum.

3. Non enim qui operantur iniquitátem, * in viis ejus ambulavérunt.

4. Tu mandasti, * mandáta tua custodíri nimìs.

5. Utinam dirigantur viæ meæ, * ad custodiendas justificatiónes tuas!

6. Tunc non confundar, * cùm perspéxero in ómnibus mandátis tuis.

7. Confitébor tibi in directióne cordis, * in eo quòd dídici judícia justítiæ tuæ.

8. Justificatiónes tuas custódiam: * non me derelinquas usquequáquè.

In omnibus Dominicis, nisi aliter notetur, dicitur Symbolum sequens.

1. QUicumque vult salvus esse, * ante ómnia opus est, ut téneat cathólicam fidem.

2. Quam nisi quisque íntegram, inviolatamque servàverit, * absque dúbio in æternum períbit.

3. Fides autem Cathólica hæc est, * ut unum Deum in Trinitáte, & Trinitátem in unitáte venerémur.

4. Neque confundentes persónas, * neque substántiam separantes.

5. Alia est enim persóna Patris, ália Fílii, * ália Spíritûs sancti:

6. Sed Patris, & Fílii, & Spíritûs sancti una est divínitas, * æquális glória, coæterna majestas:

7. Qualis Pater, talis Fílius, * talis Spíritus sanctus.

8. Increátus Pater, increátus Filius, * increátus Spíritus sanctus.

9. Immensus Pater, immensus Filius, * immensus Spíritus sanctus.

10. Ætérnus Pater, ætérnus Filius, * ætérnus Spíritus sanctus:

11. Et tamen non tres ætérni, * sed unus ætérnus.

12. Sicut non tres increáti, nec tres immensi, * sed unus increátus & unus immensus.

13. Simíliter omnípotens Pater, omnípotens Filius,* omnípotens Spíritus sanctus:

14. Et tamen non tres omnipotentes, * sed unus omnípotens.

15. Ità, Deus Pater, Deus Filius, * Deus Spíritus sanctus:

16. Et tamen non tres Dii, * sed unus est Deus.

17. Ità, Dóminus Pater, Dóminus Filius, * Dóminus Spíritus sanctus:

18. Et tamen non tres Dómini, * sed unus est Dóminus.

19. Quia sicut singillátìm unamquamque persónam, Deum ac Dóminum confitéri christiánâ veritáte compéllimur: * ità tres Deos aut Dóminos dícere cathólicâ religióne prohibémur.

20. Pater à nullo est factus, * nec creátus, nec génitus.

21. Filius à Patre solo est, * non factus, nec creátus, sed génitus.

22. Spíritus sanctus à Patre & Filio, * non factus, nec creátus, nec génitus, sed procédens.

23. Unus ergo Pater, non tres Patres: unus Filius, non tres Filii: * unus Spíritus sanctus, non tres Spíritus sancti.

24. Et in hâc Trinitáte nihil prius aut postérius, nihil majus aut minus: * sed totæ tres persónæ coætérnæ sibi sunt & coæquáles.

25. Ita ut per ómnia, sicut jam suprà dictum est,* & únitas in Trinitáte, & Trínitas in unitáte veneranda sit.

26. Qui vult ergo salvus esse, * ità de Trinitáte séntiat.

27. Sed necessárium est ad ætérnam salútem, * ut Incarnatiónem quoquè Dómini nostri Jesu Christi fidéliter credat.

28. Est ergo fides recta, ut credámus & confiteámur, * quia Dóminus noster Jesus Christus Dei Filius, Deus & homo est.

29. Deus est ex substántiâ Patris ante sécula génitus, * & homo est ex substántiâ matris in século natus.

30. Perfectus Deus, perfectus homo, * ex ánimâ rationáli & humánâ carne subsistens.

31. Æquális Patri secundùm divinitátem, * minor Patre secundùm humanitátem.

Psalmus 129. De profundis clamávi ad te, Dómine. *infrà ad Vesperas Feriæ IV.*

In fine : Réquiem ætérnam dona eis, Dómine; * Et lux perpétua lúceat eis.

Hebdomadarius : A portâ ínferi, ℟. Erue, Dómine, ánimas eórum.

℣. Dóminus vobiscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

ABsolve, quæsumus, Dómine, ánimas ómnium fidélium defunctórum, ab omni vínculo delictórum; ut in resurrectiónis glóriâ, inter Sanctos & Electos tuos resuscitáti respírent : Per eum qui ventúrus est judicáre vivos & mórtuos, & séculum per ignem. ℟. Amen.

Sic dicitur & terminatur Prima singulis diebus.

AD TERTIAM.

Deus, † in adjutórium.

HYMNUS. C.

O Fons amóris, Spíritus,
O sancte donórum parens,
Tuas refúsus íntimis
Accende flammas córdibus.

Qui caritátis vínculo
Cum Patre nectis Fílium;
Sic nos amóris mútui
Fac sancta jungant víncula.

Qui nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui caritáte nos foves,
Par sit tibi laus, Spíritus.
Amen.

Ex Psalmo 118.

9. IN quo córrigit adolescéntior viam suam? * in custodiendo sermónes tuos.

10. In toto corde meo exquisívi te : * ne repellas me à mandátis tuis.

11. In corde meo abscondi elóquia tua; * ut non peccem tibi.

12. Benedictus es, DÓMINE : * doce me justificatiónes tuas.

13. In lábiis meis pronuntiávi * ómnia judícia oris tui.

14. In viâ testimoniórum tuórum delectátus sum, * sicut in ómnibus divítiis.

15. In mandátis tuis exercébor; * & considerábo vias tuas.

16. In justificatiónibus tuis meditábor : * non oblivíscar sermónes tuos.

17. RETríbue servo tuo, vivífica me; * & custódiam sermónes tuos.

18. Revéla óculos meos;* & considerábo mirabília de lege tuâ.

19. Incola ego sum in terrâ : * non abscondas à me mandáta tua.

20. Concupívit ánima mea desideráre justificatiónes tuas, * in omni témpore.

21. Increpasti supérbos:* maledicti qui declínant à mandátis tuis.

22. Aufer à me oppróbrium & contemptum; *

quia teſtimónia tua exquiſívi.

23. Etenim ſedérunt príncipes, & adversùm me loquebantur; * ſervus autem tuus exercebátur in juſtificatiónibus tuis.

24. Nam & teſtimónia tua, meditátio mea eſt; * & consílium meum juſtificatiónes tuæ.

25. ADhæſit pavimento ánima mea: * vivífica me ſecundùm verbum tuum.

26. Vias meas enuntiávi & exaudiſti me: * doce me juſtificatiónes tuas.

27. Viam juſtificatiónum tuárum ínſtrue me; * & exercébor in mirabílibus tuis.

28. Dormitávit ánima mea præ tædio: * confírma me in verbis tuis.

29. Viam iniquitátis ámove à me; * & de lege tuâ miſerére meî.

30. Viam veritátis elégi: * judícia tua non ſum oblítus.

31. Adhæſi teſtimóniis tuis, DÓMINE: * noli me confúndere.

32. Viam mandatórum tuórum cucurri, * cùm dilataſti cor meum.

Ant. In toto corde meo exquisívi te, Dómine: doce me juſtificatiónes tuas.

Temp. Paſch. Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Lectio & ℣. ut in Propr.

Litania Dominica ut ad Primam.

Collecta ut in Proprio.

AD SEXTAM.

Deus, † in adjutórium.

HYMNUS. *C.*

NUnc ſolis excelsū jubar
Pleno coruſcat lúmine;
Tu, Chriſte, ſic mundum novâ
Sol verus accendis face.
Fac pura noſtris fúlgeat
Lux veritátis méntibus:
Fac noſtra plenam cáritas
Creſcendo ſurgat ad diem.
Qui nos creávit, laus Patri:
Laus, qui redémit, Fílio:
Qui caritáte nos foves,
Par ſit tibi laus, Spíritus.
Amen.

Ex Pſalmo 118.

33. LEgem pone mihi, DÓMINE, viam juſtificatiónum tuárum; * & exquíram eam ſemper.

34. Da mihi intellectum; & ſcrutábor legem tuam; * & cuſtódiam illam in toto corde meo.

35. Deduc me in ſémitam mandatórum tuórum; * quia ipſam vólui.

36. Inclína cor meum in teſtimónia tua, * & non in avarítiam.

37. Averte óculos meos ne vídeant vanitátem: * in viâ tuâ vivífica me.

38. Státue ſervo tuo elóquium tuū, * in timóre tuo.

39. Amputa oppróbrium meũ, quod suspicátus sum;* quia judícia tua jucunda.

40. Ecce concupívi mandáta tua: * in æquitáte tuâ vivífica me.

41. ET véniat super me misericórdia tua, Dómine: * salutáre tuum secundùm elóquium tuum.

42. Et respondébo exprobrántibus mihi verbum; * quia sperávi in sermónibus tuis.

43. Et ne áuferas de ore meo verbum veritátis usquequáquè; * quia in judíciis tuis supersperávi.

44. Et custódiam legem tuam semper, * in séculum, & in séculum séculi.

45. Et ambulábam in latitúdine; * quia mandáta tua exquisívi.

46. Et loquébar de testimóniis tuis in conspectu regum;* & non confundébar.

47. Et meditábar in mandátis tuis,* quæ dilexi.

48. Et levávi manus meas ad mandáta tua quæ dilexi; * & exercébar in justificatiónibus tuis.

49. MEmor esto verbi tui servo tuo, * in quo mihi spem dedisti.

50. Hæc me consoláta est in humilitáte meâ; * quia elóquium tuum vivificávit me.

51. Superbi iníquè agébant usquequáquè; * à lege autem tuâ non declinávi.

52. Memor fui judiciórum tuórum à século, Dómine;* & consolátus sum.

53. Deféctio ténuit me, * pro peccatóribus derelinquéntibus legem tuam.

54. Cantábiles mihi erant justificatiónes tuæ, * in loco peregrinatiónis meæ.

55. Memor fui nocte nóminis tui, Dómine; * & custodívi legem tuam.

56. Hæc facta est mihi;* quia justificatiónes tuas exquisívi.

Ant. Da mihi intellectum; & scrutábor legem tuam, Dómine.

Temp. Pasch. Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Lectio, ℣. & Collecta ut in Proprio.

AD NONAM.

Deus, † in adjutórium.

HYMNUS.

PRono volútus ímpetu
Inclínat in noctem dies;
Sic vita suprémam cito
Festínat ad metam gradu.
O Christe, dum fixus cruci
Expandis orbi bráchia,
Amáre da crucem; tuo
Da nos in amplexu mori.
Qui nos creávit, laus Patri
Laus, qui redémit, Fílio:
Qui caritáte nos foves,
Par sit tibi laus, Spíritus.
Amen.

Ex Psalmo 118.

57. POrtio mea, Dómine, dixi, * custodíre legem tuam.

58. Deprecátus sum fáciem tuam in toto corde meo: * miserére meî secundùm elóquium tuum.

59. Cogitávi vias meas; * & converti pedes meos in testimónia tua.

60. Parátus sum, & non sum turbátus; * ut custódiam mandáta tua.

61. Funes peccatórum circumplexi sunt me; * & legem tuam non sum oblítus.

62. Médiâ nocte surgébam ad confitendum tibi, * super judícia justificatiónis tuæ.

63. Párticeps ego sum ómnium timéntium te, * & custodiéntium mandáta tua.

64. Misericórdiâ tuâ, Dómine, plena est terra: * justificatiónes tuas doce me.

65. Bonitátẽ fecisti cum servo tuo, Dómine, * secundùm verbum tuum.

66. Bonitátem, & disciplínã, & sciéntiã doce me; * quia mandátis tuis crédidi.

67. Priusquàm humiliárer, ego deliqui; * proptéreà elóquium tuum custodívi.

68. Bonus es tu; * & in bonitáte tuâ doce me justificatiónes tuas.

69. Multiplicáta est super me iníquitas superbórum; * ego autẽ in toto corde meo scrutábor mandáta tua.

70. Coagulátum est sicut lac cor eórum; * ego verò legem tuam meditátus sum.

71. Bonum mihi quia humiliasti me; * ut discam justificatiónes tuas.

72. Bonum mihi lex oris tui, * super millia auri & argenti.

73. Manus tuæ fecérunt me, & plasmavérunt me: * da mihi intellectum, & discam mandáta tua.

74. Qui timent te, vidébunt me, & lætabuntur; * quia in verba tua supersperávi.

75. Cognóvi, Dómine, quia æquitas judícia tua; * & in veritáte tuâ humiliasti me.

76. Fiat misericórdia tua ut consolétur me, * secundùm elóquium tuum servo tuo.

77. Véniant mihi miseratiónes tuæ, & vivam; * quia lex tua meditátio mea est.

78. Confundantur superbi; quia injustè iniquitátem fecérunt in me: * ego autem exercébor in mandátis tuis.

79. Convertantur mihi timentes te, * & qui novérunt testimónia tua.

80. Fiat cor meum immaculátum in justificatiónibus tuis; * ut non confundar.

Ant. Bonus es tu, Dómine; & in bonitáte tuâ doce me justificatiónes tuas.

Temp. Pasch. Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Lectio, ℣. *& Collecta ut in Proprio.*

AD VESPERAS.

Deus, † in adjutórium.

Tempore Quadragesimæ, Antiphonæ ut in Proprio.

I. PSALMUS 109.

Christi divinitas, sacerdotium & regnum.

1. DIxit DÓMINUS Dómino meo: * Sede à dextris meis;

2. Donec ponam inimícos tuos, * scabellum pedum tuórum.

3. Virgam virtútis tuæ emittet DÓMINUS ex Sion: * domináre in médio inimicórum tuórum.

4. Tecum princípium in die virtútis tuæ, in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

5. Jurávit DÓMINUS, & non pœnitébit eum: * Tu es sacerdos in æternum secundùm órdinem Melchísedech.

6. Dóminus à dextris tuis: * confrégit in die iræ suæ Reges.

7. Judicábit in natiónibus, implébit ruínas: * conquassábit cápita in terrâ multórum.

8. De torrente in viâ bibet: * proptéreà exaltábit caput.

Temp. Pasch. Ant. Christus resurrexit à mórtuis; oportet autem illum regnáre donec ponat Deus omnes inimícos sub pédibus ejus. Allelúia. *I. Cor.* 15.

II. PSALMUS 110.

Laus Deo ob sua per Christum beneficia.

1. COnfitébor tibi, DÓMINE, in toto corde meo, * in concílio justórum & congregatióne.

2. Magna ópera DÓMINI: * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

3. Conféssio & magnificéntia opus ejus; * & justítia ejus manet in sǽculum sǽculi.

4. Memóriam fecit mirabílium suórum; * miséricors & miserátor DÓMINUS.

5. Escam dedit timéntibus se: * memor erit in sǽculum testamenti sui.

6. Virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo; * ut det illis hæreditátem géntium.

7. Opera mánuum ejus, véritas & judícium: * fidélia ómnia mandáta ejus.

8. Confirmáta in sǽculum sǽculi, * facta in veritáte & æquitáte.

9. Redemptiónem misit pópulo suo: mandávit in æternum testamentũ suũ: * sanctum & terríbile nomen ejus.

10. Initium sapiéntiæ,

timor DÓMINI : intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum : * laudátio ejus manet in séculum séculi.

Temp. Pasch. Ant. Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redímeret ab omni iniquitáte, & mundáret sibi pópulum acceptábilem. Allelúia. *Tit.* 2.

III. PSALMUS III.

Christi, & omnium in Christo justorum encomium.

1. BEátus vir qui timet DÓMINUM : * in mandátis ejus volet nimìs.

2. Potens in terrâ erit semen ejus : * generátio rectórum benedicétur.

3. Glória & divítiæ in domo ejus ; * & justítia ejus manet in séculum séculi.

4. Exortum est in ténebris lumen rectis : * miséricors, & miserátor, & justus.

5. Jucundus homo qui miserétur & cómmodat : * dispónet sermónes suos in judício.

6. Quia in æternum non commovébitur : * in memóriâ æternâ erit justus.

7. Ab auditióne malâ non timébit : * parátum cor ejus speráre in DÓMINO.

8. Confirmátum est cor ejus ; non commovébitur : * donec despíciat inimícos suos.

9. Dispersit, dedit paupéribus ; justítia ejus manet in séculum séculi : * cornu ejus exaltábitur in glóriâ.

10. Peccátor vidébit & irascétur ; déntibus suis fremet & tabescet : * desidérium peccatórum períbit.

Temp. Pasch. Ant. Vos genus electum, regále sacerdótium, gens sancta ; ut virtútes annuntiétis ejus qui de ténebris vos vocávit in admirábile lumen suum. Allelúia. *I. Petr.* 2.

IV. PSALMUS 112.

Dei laus ob Fidelium per Christum exaltationem & multiplicationem.

1. LAudáte, púeri, DÓMINUM : * laudáte nomen DÓMINI.

2. Sit nomen DÓMINI benedíctum, * ex hoc nunc & usque in séculum.

3. A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen DÓMINI.

4. Excelsus super omnes gentes DÓMINUS ; * & super cœlos glória ejus.

5. Quis sicut DÓMINUS Deus noster, qui in altis hábitat, * & humília réspicit in cœlo & in terrâ ?

6. Súscitans à terrâ ínopem, * & de stércore érigens páuperem ;

7. Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

8. Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætantem.

Temp. Paſch. Ant. Pro ómnibus mórtuus eſt Chriſtus, ut qui vivunt jam non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mórtuus eſt & reſurrexit. Allelúia. *II. Cor.* 5.

Lectio, ℟. br. Hymnus & ℣. ut in Proprio.

CANTICUM B. M. V. *Luc.* 1.

Laus ob incarnati Verbi myſterium.

1. MAgníficat * ánima mea Dóminum;

2. Et exultávit ſpíritus meus, * in Deo ſalutári meo.

3. Quia reſpexit humilitátem ancillæ ſuæ; * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes:

4. Quia fecit mihi magna, qui potens eſt; * & ſanctum nomen ejus:

5. Et miſericórdia ejus, à progénie in progénies, * timéntibus eum.

6. Fecit poténtiam in bráchio ſuo: * diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.

7. Depóſuit potentes de ſede; * & exaltávit húmiles.

8. Eſurientes implévit bonis; * & dívites dimíſit inánes.

9. Suſcépit Iſrael púerum ſuum, * recordátus miſericórdiæ ſuæ,

10. Sicut locútus eſt ad patres noſtros, * Abraham & ſémini ejus in ſécula.

Antiphona, Litania Dominicæ, & Collecta, ut in Proprio.

AD COMPLETORIUM.

Lector incipit: Jube, Domne, benedícere.

Præſes Chori: Inclínet Dóminus corda noſtra ad ſe, ut ambulémus in univerſis viis ejus. *III. Reg.* 8. ℟. Amen.

LECTIO. *I. Petri,* 5.

SObrii eſtóte, & vigiláte; quia adversárius veſter diábolus tamquàm leo rúgiens círcuit quærens quem dévoret: cui reſíſtite fortes in fide, ſcientes eamdem paſſiónem ei quæ in mundo eſt, veſtræ fraternitáti fieri. Tu autem, Dómine, miſerére noſtrî.

℟. Deo grátias.

Hebdomadarius facit Confeſſionem: Confíteor Deo omnipotenti, beátæ Maríæ ſemper Vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joanni Baptiſtæ, ſanctis Apóſtolis Petro & Paulo, beáto Benedicto, ómnibus Sanctis, (& vobis, Fratres): quia peccávi nimìs cogitatióne, verbo & ópere, meâ culpâ, meâ culpâ, meâ máximâ culpâ: ídeò precor beátam Maríã ſemper Vírginem, beátum Michaélem Archángelum, beátum Joannem Baptiſtã, ſanctos Apóſtolos Petrum & Paulum, beátum Benedictum, omnes Sanctos, (& vos, Fratres), oráre pro me

ad Dóminum Deum nostrum.

Lector : Misereátur tuî omnípotens Deus; & dimissis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam. *Hebdomadarius* ℟. Amen. *Repetit Lector Confessionem, in quâ dicit:* & tibi, Pater... & te, Pater, oráre pro me. *Hebdomadarius:* Misereátur vestrî omnípotens Deus; & dimissis peccátis vestris, perdúcat vos ad vitam ætérnam. ℟. *Chorus :* Amen. *Deinde dicit :* Indulgéntiam, absolutiónem & remissiónem peccatórum nostrórum tríbuat nobis omnípotens & miséricors Dóminus. ℟. Amen.

Hebdomadarius: ℣. Convérte nos, Deus salutáris noster; ℟. Et avérte iram tuam à nobis. *Ps.* 84.

Deus, † in adjutórium.

PSALMUS 4.

In Deo per Christum spes & requies.

1. CUm invocárem, exaudívit me Deus justítiæ meæ : * in tribulatióne dilatasti mihi.

2. Miserére meî, * & exaudi oratiónem meam.

3. Fílii hóminum, úsquequò gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, & quærítis mendácium ?

4. Et scitóte quóniam mirificávit DÓMINUS sanctum suum : * DÓMINUS exáudiet me, cùm clamávero ad eum.

5. Irascímini, & nolíte peccáre : * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

6. Sacrificáte sacrifícium justítiæ; * & speráte in DÓMINO.

7. Multi dicunt : Quis osténdit nobis bona ? * signátum est super nos lumen vultûs tui, DÓMINE.

8. Dedisti lætítiam in corde meo : * à fructu fruménti, vini & ólei sui multiplicáti sunt.

9. In pace in idipsum dórmiam & requiéscam; * quóniam tu, DÓMINE, singuláriter in spe constituisti me.

PSALMUS 90.

Filialis in Deum fiducia; præclara in tribulatione & tentatione oratio.

1. QUi hábitat in adjutório Altíssimi, * in protectióne Dei cœli commorábitur :

2. Dicet DÓMINO : Suscéptor meus es tu, & refúgium meum : * Deus meus, sperábo in eum.

3. Quóniam ipse liberávit me de láqueo venántium, * & à verbo áspero.

4. Scápulis suis obumbrábit tibi; & sub pennis ejus sperábis : * scuto circúmdabit te véritas ejus.

5. Non timébis à timóre noctúrno, * à sagittâ volante in die :

6. A negótio perambu-

lante in ténebris, * ab incursu & dæmónio meridiáno.

7. Cadent à látere tuo mille, & decem míllia à dextris tuis: * ad te autem non appropinquábit.

8. Verúmtamen óculis tuis consíderábis; * & retributiónem peccatórum vidébis.

9. Quóniam, Tu es, Dómine, spes mea: * Altíssimum posuísti refúgium tuum.

10. Non accédet ad te malum; * & flagellum non appropinquábit tabernáculo tuo.

11. Quóniam Angelis suis mandávit de te; * ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

12. In mánibus portábunt te; * ne fortè offendas ad lápidem pedem tuum.

13. Super áspidem & basilíscum ambulábis; * & conculcábis leónem & dracónem.

14. Quóniam in me sperávit, liberábo eum: * prótegam eum, quóniam cognóvit nomen meum.

15. Clamábit ad me, & ego exáudiam eum: * cum ipso sum in tribulatióne; erípiam eum, & glorificábo eum.

16. Longitúdine diérum replébo eum; * & ostendam illi salutáre meum.

PSALMUS 133.

Deus die ac nocte benedicendus; oratio vespertina.

1. ECce nunc benedícite DÓMINUM, * omnes servi DÓMINI.

2. Qui statis in domo DÓMINI, * in átriis domûs Dei nostri;

3. In nóctibus extóllite manus vestras in sancta; * & benedícite DÓMINUM.

4. Benedícat te DÓMINUS ex Sion, * qui fecit cœlum & terram.

CANT. SYMEONIS. *Luc. 2.*

De Salvatoris adventu gratiarum actio.

1. NUnc dimittis servum tuum, Dómine, * secundùm verbum tuum, in pace.

2. Quia vidérunt óculi mei, * salutáre tuum,

3. Quod parasti, * ante fáciem ómnium populórũ:

4. Lumen ad revelatiónem géntium, * & glóriam plebis tuæ Israel.

Tempore Quadragesimæ.

HYMNUS C.

O Splendor æterni Patris,
Tu, Christe, qui verus dies,
Et vera lux de lúmine
Mentis fugas calíginem.

En solis abscessit jubar,
Noctisque succédunt vices:
Qui prósperum donas diem
Da tuta noctis ótia.

Si clausa torpent lúmina,
Suspíret ad te mens vigil:

Potenti qui te díligunt
Servos tuére déxterâ.
Tu quos molesti córporis
Gravis retardat sárcina,
Fac mentis alis líbero
Sursùm voláru téndere.
O spes salútis única,
Votis adesto súpplicum:
Defende quos mercátus es,
Mercéde fusi sánguinis.
Qui nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Filio;
Qui caritáte nos foves,
Par sit tibi laus, Spíritus.
Amen.

Tempore Paschali.

HYMNUS. *C.*

JEsu Redemptor séculi,
Qui tértio post fúnera
Redux ab ínferis die
Mortem resurgendo necas.
Nox atra jam terras premet,
Mergetque somno lúmina:
Hostis furórem pérfidi,
Artesque cœcas disjice.
Ut justa dùm curas levat,
Et corpus instaurat quies,
Sic membra somnus óccupet,
Ne corda torpor ópprimat.
Da, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da súrgere;
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.
Sit laus Patri, laus Filio,
Qui nos triumphátâ nece,
Ad astra secum dux vocat;
Par sit tibi laus, Spíritus.
Amen.

LECTIO. *I. Thess.* 5.

OMnes vos filii lucis estis & filii diéi; † non sumus noctis neque tenebrárum: * ígitur non dormiámus sicut & céteri, sed vigilémus, & sóbrii simus. ℟. Deo grátias.

℣. In manus tuas, Dómine, commendo spíritum meum: ℟. Redemisti me, Dómine Deus veritátis. *Ps.* 30.

[*Temp. Quadragesimæ & Passionis, in Officio Feriali flexis genibus dicuntur Preces ut in Proprio. Aliàs ut sequitur.*]

Hebdomadarius: Kyrie, eleéson: ℟. Christe, eleéson: Kyrie, eleéson. *Hebdomadarius:* Pater noster. *secretò. Hebdomad.* Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo. *Hebd.* Dóminus vobiscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

COLLECTA. *Sacr. S. Greg.*

ILlúmina, quæsumus, Dómine, ténebras nostras; † & totíus noctis insídias * tu propítius repelle: Per Dóminum nostrum.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Tùm Præses benedicit.

BENEDICTIO. *II. Cor.* 13.

GRátia Dómini nostri Jesu Christi, ✠ & cáritas Dei, & communicátio Sancti Spiritûs sit cum ómnibus vobis: ℟. Et cum

frátribus nostris abséntibus. Amen.

Secretò ab omnibus : Pater. Ave. Credo. *Et completum est.*

FERIA SECUNDA.

Dei Creatoris erga homines caritas & beneficentia : Christus autor gratiæ.

AD OFFICIUM NOCT.

Deus, † in adjutórium. Dómine, † lábia mea apéries.

Psalmus 3. Dómine, quid multiplicáti sunt. *ut in Dominicâ, pag.* 1. *& sic in aliis Feriis.*

Ant. in Ps. Veníte, & *Hymnus ut in Proprio.*

[*Temp. Paschali in Officio Feriali & in Officiis Sanctorum in diebus privatis, Psalmi dicuntur cum unicâ Antiphonâ ad finem utriusque Nocturni positâ, & sic in aliis Feriis.*]

IN I. NOCTURNO.

I. Psalmus 103.

Deus ob multiplicia naturæ & gratiæ miracula benedicendus.

1. Benedic, ánima mea, Dómino ;* Dómine Deus meus, magnificátus es vehementer :

2. Confessiónem & decórem induísti, * amíctus lúmine sicut vestiménto :

3. Extendens cœlum sicut pellem ; * qui tegis aquis superióra ejus :

4. Qui ponis nubem ascensum tuum ; * qui ámbulas super pennas ventórum :

5. Qui facis Angelos tuos spíritus ; * & minístros tuos, ignem uréntem :

6. Qui fundásti terram super stabilitátem suam : * non inclinábitur in séculum séculi.

7. Abyssus, sicut vestiméntum, amíctus ejus : * super montes stabunt aquæ.

8. Ab increpatióne tuâ fúgient ; * à voce tonítrui tui formidábunt.

9. Ascendunt montes, & descendunt campi, * in locum quem fundásti eis.

10. Términum posuísti, quem non transgrediétur ; * neque converténtur operíre terram.

11. Qui emíttis fontes in convállibus ; * inter médium móntium pertransíbunt aquæ :

12. Potábunt omnes béstiæ agri ; * exspectábunt ónagri in siti suâ.

13. Super ea vólucres cœli habitábunt ; * de médio petrárum dabunt voces.

Ant. Dómine Deus meus, magnificátus es vehementer.

II. *Divisio Psalmi* 103.

14. Rigans montes de superióribus tuis ; *

de fructu óperum tuórum satiábitur terra.

15. Prodúcens fenum juméntis, * & herbam servitúti hóminum;

16. Ut edúcas panem de terrâ, * & vinum lætificet cor hóminis:

17. Ut exhílaret fáciem in óleo; * & panis cor hóminis confírmet.

18. Saturabúntur ligna campi, * & cedri Líbani, quas plantávit;

19. Illìc pásseres nidificábunt; * heródii domus dux est eórum:

20. Mõtes excelsi cervis,* petra refúgium herináciis.

21. Fecit lunam in témpora: * sol cognóvit occásum suum.

22. Posuísti ténebras, & facta est nox; * in ipsâ pertransíbunt omnes béstiæ silvæ.

23. Cátuli leónum rugientes, ut rápiant, * & quærant à Deo escam sibi.

24. Ortus est sol, & congregáti sunt; * & in cubílibus suis collocabúntur.

25. Exíbit homo ad opus suum, * & ad operatiónem suam usque ad vésperum.

Ant. De fructu óperum tuórum, Dómine, satiábitur terra.

III. *Divisio Psalmi* 103.

26. QUam magnificáta sunt ópera tua, DÓMINE! * ómnia in sapiéntiâ fecísti; impléta est terra possessióne tuâ.

27. Hoc mare magnum & spatiósum mánibus, illìc reptília quorum non est númerus, * animália pusílla cum magnis.

28. Illìc naves pertransíbunt: * draco iste quem formásti ad illudéndum ei.

29. Omnia à te exspéctant; * ut des illis escam in témpore.

30. Dante te illis, cólligent:* aperiénte te manum tuam, ómnia implebúntur bonitáte.

31. Averténte autem te fáciem, turbabúntur: * áuferes spíritum eórum, & defícient; & in púlverem suum reverténtur.

32. Emíttes Spíritum tuũ, & creabúntur; * & renovábis fáciem terræ.

33. Sit glória DÓMINI in séculum: * lætábitur DÓMINUS in opéribus suis:

34. Qui réspicit terram, & facit eam trémere; * qui tangit montes, & fúmigant.

35. Cantábo DÓMINO in vitâ meâ: * psallam Deo meo quámdiù sum.

36. Jucúndum sit ei elóquium meum: * ego verò delectábor in DÓMINO.

37. Defíciant peccatóres à terrâ; & iníqui, ità ut non sint: * bénedic, ánima mea, DÓMINO.

Ant. Ego delectábor in DÓMINO.

IV. PSALMUS 104.

Beneficia Israelitico populo collata celebrantur & enumerantur : futurorum typus.

1. CONfitémini DÓMINO, & invocáte nomen ejus : * annuntiáte inter gentes ópera ejus.

2. Cantáte ei, & psállite ei ; * narráte ómnia mirabília ejus.

3. Laudámini in nómine sancto ejus ; * lætétur cor quæréntium DÓMINUM.

4. Quærite DÓMINUM, & confirmámini; * quærite fáciem ejus semper.

5. Mementóte mirabílium ejus quæ fecit, * prodígia ejus, & judícia oris ejus:

6. Semen Abraham, servi ejus ; * filii Jacob, electi ejus.

7. Ipse DÓMINUS Deus noster ; * in universâ terrâ judícia ejus.

8. Memor fuit in séculum testamenti sui,* verbi quod mandávit in mille generatiónes ;

9. Quod dispósuit ad Abraham, * & juramenti sui ad Isaac ;

10. Et státuit illud Jacob in præceptum, * & Israel in testamentum æternum :

11. Dicens : Tibi dabo terram Chánaan, * funículum hereditátis vestræ :

12. Cùm essent número brevi, * paucíssimi, & íncolæ ejus :

13. Et pertransiérunt de gente in gentem, * & de regno ad pópulum álterum.

14. Non relíquit hóminem nocére eis ; * & corrípuit pro eis reges.

15. Nolíte tángere christos meos ; * & in Prophétis meis nolíte malignári.

Ant. Lætétur cor quæréntium Dóminum.

V. *Divisio Psalmi* 104.

16. VOcávit famem super terram ; * & omne firmamentum panis contrívit:

17. Misit ante eos virũ : * in servum venúmdatus est Joseph.

18. Humiliavérunt in compédibus pedes ejus : * ferrum pertránsiit ánimam ejus, donec veníret verbum ejus.

19. Elóquium DÓMINI inflammávit eum : * misit Rex, & solvit eum ; Princeps populórum, & dimísit eum.

20. Constítuit eum dóminum domûs suæ,* & príncipem omnis possessiónis suæ:

21. Ut erudíret príncipes ejus sicut semetipsum, * & senes ejus prudéntiam docéret.

22. Et intrávit Israel in Ægyptum ; * & Jacob áccola fuit in terrâ Cham ;

23. Et auxit pópulum suũ vehementer ; * & firmávit eum super inimícos ejus.

24. Convertit cor eórum ut odírent pópulum ejus,*

& dolum fácerent in ſervos ejus.

Ant. Quærite Dóminum, & confirmámini: quærite fáciem ejus ſemper.

VI. *Diviſio Pſalmi* 104.

25. MIſit Móyſen ſervum ſuum, * Aaron quem elégit ipſum.

26. Póſuit in eis verba ſignórum ſuórum, * & prodigiórum in terrâ Cham.

27. Miſit ténebras, & obſcurávit; * & non exacerbávit ſermónes ſuos.

28. Convertit aquas eórum in ſánguinem, * & occídit piſces eórum.

29. Edidit terra eórum ranas * in penetrálibus Regum ipſórum.

30. Dixit, & venit cœnomyia & ſcíniphes, * in ómnibus fínibus eórum.

31. Póſuit plúvias eórum grándinem, * ignem comburentem in terrâ ipſórum:

32. Et percuſſit víneas eórum, & ficúlneas eórum; * & contrívit lignum fínium eórum.

33. Dixit, & venit locuſta & bruchus, * cujus non erat númerus:

34. Et comédit omne fœnum in terrâ eórum; * & comédit omnem fructum terræ eórum.

35. Et percuſſit omne primogénitum in terrâ eórum; * primítias omnis labóris eórum.

36. Et eduxit eos cum argento & auro; * & non erat in tríbubus eórum infirmus.

37. Lætáta eſt Ægyptus in profectióne eórum; * quia incúbuit timor eórum ſuper eos.

38. Expandit nubem in protectiónem eórum, * & ignem, ut lucéret eis per noctem.

39. Petiérunt, & venit coturnix; * & pane cœli ſaturávit eos.

40. Dirúpit petram, & fluxérunt aquæ: * abiérunt in ſicco flúmina.

41. Quóniam memor fuit verbi ſancti ſui, * quod hábuit ad Abraham púerum ſuum.

42. Et eduxit pópulum ſuum in exſultatióne, * & electos ſuos in lætítiâ:

43. Et dedit illis regiónes géntium; * & labóres populórum poſſedérunt;

44. Ut cuſtódiant juſtificatiónes ejus, * & legem ejus requírant.

Ant. Eduxit pópulum ſuum in exſultatióne, & electos ſuos in lætítiâ.

Tempore Paſchali Ant. unica. Conreſuſcitávit nos Deus in Chriſto, ut oſtènderet abundantes divítias grátiæ ſuæ in bonitáte ſuper nos. Allelúia. *Epheſ.* 2.

℣. Exſultábit cor meum in ſalutári tuo: ℟. Cantábo Dómino, qui bona tríbuit mihi. *Pſ.* 12.

ABSOLUTIO. *II. Mach.* I.

Adapériat Deus cor veſtrum in lege ſuâ, & in præceptis ſuis, & fáciat pacem. ℟. Amen.

Benedictiones ſuprà ad caput Pſalterii.

Tres Lectiones cum ℟℟. *in Proprio.*

IN II. NOCTURNO.

I. PSALMUS 105.

Beneficia Judæis iterùm collata; ingratus eorum animus; oratio ut diſperſos Deus congreget.

1. CONfitémini DÓMINO, quóniam bonus; * quóniam in ſéculum miſericórdia ejus.

2. Quis loquétur poténtias DÓMINI, * audítas fáciet omnes laudes ejus?

3. Beáti qui cuſtódiunt judícium, * & fáciunt juſtítiam in omni témpore!

4. Memento noſtrî, DÓMINE, in beneplácito pópuli tui; * víſita nos in ſalutári tuo;

5. Ad videndum in bonitáte electórum tuórum, ad lætandum in lætítiâ gentis tuæ; * ut laudéris cum hereditáte tuâ.

6. Peccávimus cum pátribus noſtris; * injuſtè égimus, iniquitátem fécimus.

7. Patres noſtri in Ægypto non intellexérunt mirabília tua; * non fuérunt mémores multitúdinis miſericórdiæ tuæ;

8. Et irritavérunt aſcendentes in mare, * mare rubrum.

9. Et ſalvávit eos propter nomen ſuum; * ut notam fáceret poténtiam ſuam.

10. Et incrépuit mare rubrum, & exſiccátum eſt; * & deduxit eos in abyſſis ſicut in deſerto.

11. Et ſalvávit eos de manu odiéntium; * & redémit eos de manu inimíci.

12. Et opéruit aqua tribulantes eos; * unus ex eis non remanſit.

13. Et credidérunt verbis ejus; * & laudavérunt laudem ejus.

II. *Diviſio Pſalmi* 105.

14. CItò fecérunt, oblíti ſunt óperum ejus; * & non ſuſtinuérunt consilium ejus.

15. Et concupiérunt concupiſcéntiam in deſerto; * & tentavérunt Deum in inaquóſo.

16. Et dedit eis petitiónem ipſórum; * & miſit ſaturitátem in ánimas eórum.

17. Et irritavérunt Móyſen in caſtris, * Aaron ſanctum DÓMINI.

18. Aperta eſt terra, & deglutívit Dathan; * & opéruit ſuper congregatiónem Abiron:

19. Et exarſit ignis in ſynagóga eórum; * flamma combuſſit peccatóres.

20. Et fecérunt vítulum

in Horeb; * & adoravérunt scúlptile.

21. Et mutavérunt glóriam suam, * in similitúdinem vítuli comedentis fenum.

22. Oblíti sunt Deum, qui salvávit eos; * qui fecit magnália in Ægypto, mirabília in terrâ Cham, terribília in mari rubro.

23. Et dixit ut dispérderet eos, * si non Móyses electus ejus stetisset in confractióne in conspectu ejus;

24. Ut avérteret iram ejus, * ne dispérderet eos.

25. Et pro níhilo habuérunt terram desiderábilē: * non credidérunt verbo ejus.

26. Et murmuravérunt in tabernáculis suis: * non exaudiérunt vocem DÓMINI.

27. Et elevávit manum suam super eos; * ut prostérneret eos in deserto:

28. Et ut dejíceret semen eórum in natiónibus; * & dispérgeret eos in regiónibus.

29. Et initiáti sunt Beélphegor, * & comedérunt sacrificia mortuórum.

30. Et irritavérunt eum in adinventiónibus suis; * & multiplicáta est in eis ruína.

31. Et stetit Phínees, & placávit; * & cessávit quassátio.

32. Et reputátum est ei in justítiam, * in generatiónem & generatiónem, usque in sempiternum.

33. Et irritavérunt eum ad aquas contradictiónis; * & vexátus est Móyses propter eos.

34. Quia exacerbavérunt spíritum ejus; * & distinxit in lábiis suis.

III. *Divisio Psalmi* 105.

35. NOn disperdidérunt gentes, * quas dixit DÓMINUS illis.

36. Et commixti sunt inter gentes, & didicérunt ópera eórum; & serviérunt sculptílibus eórum; * & factum est illis in scándalum.

37. Et immolavérunt filios suos & filias suas dæmóniis; * & effudérunt sánguinem innocentem:

38. Sánguinem filiórum suórum & filiárum suárum, * quas sacrificavérunt sculptílibus Chánaan.

39. Et infecta est terra in sanguínibus; & contamináta est in opéribus eórum; * & fornicáti sunt in adinventiónibus suis.

40. Et irátus est furóre DÓMINUS in pópulum suum; * & abominátus est hereditátem suam.

41. Et trádidit eos in manus géntium, * & domináti sunt eórum qui odérūt eos.

42. Et tribulavérunt eos inimíci eórum, * & humiliáti sunt sub mánibus eórum.

43. Sæpè liberávit eos: * ipsi autem exacerbavérunt eum in consílio suo, & humiliáti sunt in iniquitátibus suis.

44. Et vidit cùm tribularentur; * & audívit oratiónem eórum.

45. Et memor fuit testamenti sui; * & pœnítuit eum secundùm multitúdinem misericórdiæ suæ.

46. Et dedit eos in misericórdias, * in conspectu ómnium qui céperant eos.

47. Salvos nos fac, Dómine Deus noster, * & cóngrega nos de natiónibus;

48. Ut confiteámur nómini sancto tuo, * & gloriémur in laude tuâ.

49. Benedictus Dóminus Deus Israel à século & usque in séculum; * & dicet omnis pópulus: Fiat, fiat.

IV. Psalmus 106.

Canticum benedictionis pro Dei misericordiis, variisque ab illo acceptis beneficiis.

1. Confitémini Dómino, quóniam bonus; * quóniam in séculum misericórdia ejus.

2. Dicant qui redempti sunt à Dómino, * quos redémit de manu inimíci;

3. Et de regiónibus congregávit eos, * à solis Ortu & Occásu, ab Aquilóne & Mari.

4. Erravérunt in solitúdine, in inaquóso; * viam civitátis habitáculi non invenérunt.

5. Esurientes & sitientes; * ánima eórum in ipsis defécit.

6. Et clamavérunt ad Dóminum, cùm tribularentur; * & de necessitátibus eórum erípuit eos.

7. Et deduxit eos in viam rectam; * ut irent in civitátem habitatiónis.

8. Confiteantur Dómino misericórdiæ ejus, * & mirabília ejus fíliis hóminum;

9. Quia satiávit ánimam inánem, * & ánimam esurientem satiávit bonis.

10. Sedentes in ténebris & umbrâ mortis, * vinctos in mendicitáte & ferro;

11. Quia exacerbavérunt elóquia Dei, * & consílium Altíssimi irritavérunt.

12. Et humiliátum est in labóribus cor eórum; * infirmáti sunt, nec fuit qui adjuváret.

13. Et clamavérunt ad Dóminum, cùm tribularentur, * & de necessitátibus eórum liberávit eos.

14. Et eduxit eos de ténebris & umbrâ mortis; * & víncula eórum disrúpit.

15. Confiteantur Dómino misericórdiæ ejus, * & mirabília ejus fíliis hóminum;

16. Quia contrívit portas æreas, * & vectes férreos confrégit.

V. *Diviſio Pſalmi* 106.

17. SUſcépit eos de viâ iniquitátis eórum; * propter injuſtítias enim ſuas humiliáti ſunt.

18. Omnem eſcam abomináta eſt ánima eórum; * & appropinquavérunt uſque ad portas mortis.

19. Et clamavérunt ad DÓMINUM, cùm tribularentur; * & de neceſſitátibus eórum liberávit eos.

20. Miſit verbum ſuum, & ſanávit eos; * & erípuit eos de interitiónibus eórum.

21. Confiteantur DÓMINO misericórdiæ ejus, * & mirabília ejus fíliis hóminum.

22. Et ſacríficent ſacrifícium laudis, * & annúntient ópera ejus in exſultatióne.

23. Qui deſcendunt mare in návibus, * facientes operatiónem in aquis multis.

24. Ipſi vidérunt ópera Dómini, * & mirabília ejus in profundo.

25. Dixit, & ſtetit ſpíritus procellæ; * & exaltáti ſunt fluctus ejus.

26. Aſcendunt uſque ad cœlos, & deſcendunt uſque ad abyſſos; * ánima eórum in malis tabeſcébat.

27. Turbáti ſunt & moti ſunt ſicut ébrius, * & omnis ſapiéntia eórum devoráta eſt.

28. Et clamavérunt ad DÓMINUM, cùm tribularentur; * & de neceſſitátibus eórum eduxit eos.

29. Et ſtátuit procellam ejus in auram; * & ſiluérunt fluctus ejus.

30. Et lætáti ſunt quia ſiluérunt; * & deduxit eos in portum voluntátis eórũ.

31. Confiteantur DÓMINO miſericórdiæ ejus, * & mirabília ejus fíliis hóminum.

32. Et exaltent eum in eccléſiâ plebis; * & in cáthedrâ ſeniórum laudent eum.

VI. *Diviſio Pſalmi* 106.

33. POſuit flúmina in deſertum, * & éxitus aquárum in ſitim;

34. Terram fructíferam in ſalsúginem, * à malítiâ inhabitántium in eâ.

35. Póſuit deſertum in ſtagna aquárum, * & terram ſine aquâ in éxitus aquárum.

36. Et collocávit illìc eſurientes; * & conſtituérunt civitátem habitatiónis.

37. Et ſeminavérũt agros, & plantavérunt víneas; * & fecérunt fructum nativitátis.

38. Et benedixit eis, & multiplicáti ſunt nimìs; * & jumenta eórum non minorávit.

39. Et pauci facti ſunt; * & vexáti ſunt à tribulatióne malórum & dolóre.

40. Effúſa eſt contémptio ſuper príncipes; * & erráre

fecit eos in ínvio, & non in viâ.

41. Et adjúvit páuperem de inópiâ; * & pósuit sicut oves famílias.

42. Vidébunt recti, & lætabuntur; * & omnis iníquitas oppilábit os suum.

43. Quis sápiens, & custódiet hæc; * & intélliget misericórdias DÓMINI?

Ant. Quis sápiens, & custódiet hæc; & intélliget misericórdias Dómini?

Temp. Pasch. Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In Feriali Officio Lectio & ℣. ut in Proprio.

Kyrie, eleéson. Christe, eleéson. Kyrie, eleéson. Pater noster. *secretò.* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo. Orémus. *Collecta ut in Proprio.* ℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

In Festis trium Lectionum Invitatorium, Hymnus, Lectio, Versus & Collecta habentur in Proprio, vel in Communi Sanctorum. Sic dicitur & terminatur Officium nocturnum in Feriis & privatis diebus.

AD LAUDES.

Deus, † in adjutórium.

Psalmus 66. Deus misereátur nostrî. *pag. 12. & sic in aliis Feriis.*

[*Temp. Paschali, in Officio Feriali, Psalmi dicuntur sub unicâ Antiphonâ; & sic in aliis Feriis.*]

I. PSALMUS 135.

Dei Creatoris beneficia; misericordiam ejus commendant.

1. CONfitémini DÓMINO, quóniam bonus; * quóniam in æternum misericórdia ejus.

2. Confitémini Deo deórum; * quóniam in æternum misericórdia ejus.

3. Confitémini Dómino dominórum; * quóniam in æternum misericórdia ejus:

4. Qui facit mirabília magna solus; * quóniam in æternum misericórdia ejus:

5. Qui fecit cœlos in intellectu; * quóniam in æternum misericórdia ejus:

6. Qui firmávit terram super aquas; * quóniam in æternum misericórdia ejus:

7. Qui fecit luminária magna; * quóniam in æternum misericórdia ejus:

8. Solem in potestátem diéi; * quóniam in æternum misericórdia ejus:

9. Lunam & stellas in potestátem noctis; * quóniam in æternũ misericórdia ejus.

Ant. Bonus Dóminus; in æternum misericórdia ejus.

II. *Divisio Psalmi 135.*

(CONfitémini Dómino, quóniam bonus; * quóniam in æternum misericórdia ejus:)

10. Qui percussit Ægyptum cum primogénitis eórum; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

11. Qui eduxit Israel de médio eórum; * quóniam in ætérnũ misericórdia ejus:

12. In manu potenti & bráchio excelso; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

13. Qui divísit mare rubrum in divisiónes; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

14. Et eduxit Israel per médium ejus; * quóniam in ætérnũ misericórdia ejus:

15. Et excussit Pharaónem & virtútem ejus in mari rubro; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

16. Qui tradúxit pópulum suum per desertum; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

17. Qui percussit Reges magnos; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

18. Et occídit Reges fortes; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

19. Sehon Regem Amorrhæórum; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

20. Et Og Regem Basan; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

21. Et dedit terram eórum hereditátem; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

22. Hereditátem Israel servo suo; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

23. Quia in humilitáte nostrâ memor fuit nostrî; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

24. Et redémit nos ab inimícis nostris; * quóniam in ætérnũ misericórdia ejus:

25. Qui dat escam omni carni; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

26. Confitémini Deo cœli; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Ant. Dóminus in humilitáte nostrâ memor fuit nostrî; & redémit nos ab inimícis nostris.

III. Canticum Moysis I. *Exod.* 15.

Israel ab Ægypto liberatus grates Deo rependit: Christianus baptismo ablutus, Christi victoris laudes celebrat.

1. Cantémus Dómino; gloriósè enim magnificátus est; * equum & ascensórem dejécit in mare.

2. Fortitúdo mea & laus mea Dóminus; * & factus est mihi in salútem.

3. Iste Deus meus, & glorificábo eum; * Deus patris mei, & exaltábo eum.

4. Dóminus quasi vir pugnátor: * Omnípotens, nomen ejus.

5. Currus Pharaónis, & exércitum ejus projécit in mare: * electi príncipes ejus submersi sunt in mari rubro.

6. Abyſſi operuérũt eos;* deſcendérunt in profundum quaſi lapis.

7. Déxtera tua, DÓMINE, magnificáta eſt in fortitúdine; * déxtera tua, DÓMINE, percuſſit inimícum:

8. Et in multitúdine glóriæ tuæ depoſuiſti adverſários tuos: * miſiſti iram tuam, quæ devorávit eos ſicut ſtípulam.

9. Et in ſpíritu furóris tui congregátæ ſunt aquæ; ſtetit unda fluens; * congregátæ ſunt abyſſi in médio mari.

10. Dixit inimícus: Pérſequar & comprehendam;* dívidam ſpólia; implébitur ánima mea:

11. Evaginábo gládium meum; * interfíciet eos manus mea.

12. Flavit ſpíritus tuus, & opéruit eos mare; * ſubmerſi ſunt quaſi plumbum in aquis veheméntibus.

Ant. Fortitúdo mea & laus mea Dóminus, & factus eſt mihi in ſalútem.

IV. *Diviſio Cantici.*

13. QUis símilis tuî in fórtibus, DÓMINE? quis símilis tuî? * magníficus in ſanctitáte, terríbilis atque laudábilis, fáciens mirabília.

14. Extendiſti manum tuam, * & devorávit eos terra.

15. Dux fuiſti in miſericórdiâ tuâ pópulo quem redemiſti,* & portaſti eum in fortitúdine tuâ ad habitáculum ſanctum tuum.

16. Aſcendérunt pópuli, & iráti ſunt; * dolóres obtinuérunt habitatóres Philíſthiim.

17. Tunc conturbáti ſunt príncipes Edom; robuſtos Moab obtínuit tremor; * obriguérunt omnes habitatóres Chánaan.

18. Irruat ſuper eos formído & pavor, * in magnitúdine bráchii tui:

19. Fiant immóbiles quaſi lapis, donec pertránſeat pópulus tuus, DÓMINE, * donec pertránſeat pópulus tuus iſte quem poſſediſti.

20. Introdúces eos, & plantábis in monte hæreditátis tuæ,* firmíſſimo habitáculo tuo, quod operátus es, DÓMINE:

21. Sanctuárium tuum, Dómine, * quod firmavérunt manus tuæ.

22. DÓMINUS regnábit * in ætérnum & ultrà.

23. Ingreſſus eſt enim eques Phárao cum cúrribus & equítibus ejus in mare;* & reduxit ſuper eos DÓMINUS aquas maris:

24. Filii autem Iſrael ambulavérunt per ſiccum * in médio ejus.

Ant. Magníficus in ſanctitáte Dóminus, & fáciens mirabília.

V. PSALMUS 134.

Israel beneficiis cumulatus: idolorum vanitas.

1. LAudáte nomen DÓMINI: * laudáte, servi, DÓMINUM;

2. Qui statis in domo DÓMINI, * in átriis domûs Dei nostri.

3. Laudáte DÓMINUM, quia bonus DÓMINUS; * psállite nómini ejus, quóniam suáve.

4. Quóniam Jacob elégit sibi DÓMINUS, * Israel in possessiónem sibi.

5. Quia ego cognóvi quòd magnus est DÓMINUS, * & Deus noster præ ómnibus diis.

6. Omnia quæcumque vóluit, DÓMINUS fecit, * in cœlo & in terrâ, in mari & in ómnibus abyssis:

7. Edúcens nubes ab extrémo terræ, * fúlgura in plúviam fecit:

8. Qui prodúcit ventos de thesauris suis; * qui percussit primogénita Ægypti ab hómine usque ad pecus:

9. Et misit signa & prodígia in médio tuî, Ægypte: * in Pharaónem, & in omnes servos ejus:

10. Qui percussit gentes multas, * & occídit Reges fortes;

11. Schon Regem Amorrhæórum, & Og Regem Basan, * & ómnia regna Chánaan:

12. Et dedit terram eórum hereditátem, * hereditátem Israel pópulo suo.

13. DÓMINE, nomen tuum in æternum; * DÓMINE, memoriále tuum in generatiónem & generatiónem.

14. Quia judicábit DÓMINUS pópulum suum; * & in servis suis deprecábitur.

15. Simulácra géntium argentum & aurum, * ópera mánuum hóminum.

16. Os habent, & non loquentur; * óculos habent, & non vidébunt.

17. Aures habent, & non áudient; * neque enim est spíritus in ore ipsórum.

18. Símiles illis fiant qui fáciunt ea, * & omnes qui confídunt in eis.

19. Domus Israel, benedícite DÓMINO; * domus Aaron, benedícite DÓMINO.

20. Domus Levi, benedícite DÓMINO; * qui timétis DÓMINUM, benedícite DÓMINO.

21. Benedictus DÓMINUS ex Sion, * qui hábitat in Jerúsalem.

Ant. Omnia quæcumque vóluit, Dóminus fecit in cœlo & in terrâ.

Temp. Pasch. Ant. unica. Hoc oro ut repléti sitis fructu justítiæ per Jesum Christum in glóriam & laudem Dei. Allelúia. *Philip.* 1.

Lectio, ℟. *breve, Hymnus,* ℣. *& Antiphona ad* Benedictus, *ut in Proprio.*

Litania ut in Dominicâ.

Collecta ut in Proprio,

& hæc dicitur ad omnes Horas, niſi aliter notetur; & ſic in aliis Feriis.

AD PRIMAM.

Deus, † in adjutórium.

Hymnus, Jam lucis orto sídere. *pag.* 16. *& ſic in aliis Feriis.*

Ex Pſalmo 118.

81. DEfécit in ſalutáre tuũ ánima mea; * & in verbum tuum ſuperſperávi.

82. Defecérunt óculi mei in elóquium tuum, dicentes: * Quando conſolábe-ris me?

83. Quia factus ſum ſicut uter in pruínâ: * juſtificatiónes tuas non ſum oblítus.

84. Quot ſunt dies ſervi tui? * quando fácies de perſequéntibus me judícium.

85. Narravérunt mihi iníqui fabulatiónes; * ſed non ut lex tua.

86. Omnia mandáta tua véritas: * iníquè perſecúti ſunt me; ádjuva me.

87. Paulò minùs conſummavérunt me in terrâ; * ego autem non derelíqui mandáta tua.

88. Secundùm miſericórdiam tuam vivífica me; * & cuſtódiam teſtimónia oris tui.

89. IN æternum, DÓMINE, * verbum tuum pérmanet in cœlo.

90. In generatiónem & generatiónem véritas tua: * fundaſti terrã, & pérmanet.

91. Ordinatióne tuâ perſevérat dies; * quóniam ómnia ſérviunt tibi.

92. Niſi quòd lex tua meditátio mea eſt; * tunc fortè periiſsẽ in humilitáte meâ.

93. In æternum non obliviſcar juſtificatiónes tuas; * quia in ipſis vivificaſti me.

94. Tuus ſum ego; ſalvum me fac: * quóniam juſtificatiónes tuas exquisívi.

95. Me exſpectavérunt peccatóres ut pérderẽt me; * teſtimónia tua intellexi.

96. Omnis conſummatiónis vidi finem: * latum mandátum tuum nimìs.

97. QUómodò dilexi legem tuam, Dómine! * totâ die meditátio mea eſt.

98. Super inimícos meos prudentem me feciſti mandáto tuo; * quia in æternum mihi eſt.

99. Super omnes docentes me intellexi; * quia teſtimónia tua meditátio mea eſt.

100. Super ſenes intellexi; * quia mandáta tua quæſívi.

101. Ab omni viâ malâ prohíbui pedes meos; * ut cuſtódiam verba tua.

102. A judíciis tuis non declinávi; * quia tu legem poſuiſti mihi.

103. Quàm dúlcia faucibus meis elóquia tua! * ſuper mel ori meo.

104. A mandátis tuis in-

tellexi; * proptéreà odívi omnem viam iniquitátis.

Ant. Secundùm miſericórdiam tuam vivífica me; & cuſtódiam teſtimónia oris tui.

Temp. Paſch. Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Lectio, Verſus, Litania & Officium Capituli ut in Dominicâ, pag. 20. *& ſic in aliis Feriis.*

AD TERTIAM.

Deus, † in adjutórium.

Hymnus, O fons amóris, Spíritus. *pag.* 22.

Ex Pſalmo 118.

105. LUcerna pédibus meis verbum tuum, * & lumen ſémitis meis.

106. Jurávi, & ſtátui, * cuſtodíre judícia juſtítiæ tuæ.

107. Humiliátus ſum uſquequáque, DÓMINE: * vivífica me ſecundùm verbum tuum.

108. Voluntária oris mei beneplácita fac, DÓMINE; * & judícia tua doce me.

109. Anima mea in mánibus meis ſemper; * & legem tuam non ſum oblítus.

110. Poſuérunt peccatóres láqueum mihi; * & de mandátis tuis non errávi.

111. Hereditáte acquisívi teſtimónia tua in æternũ; * quia exſultátio cordis mei ſunt.

112. Inclinávi cor meum ad faciendas juſtificatiónes tuas in æternum, * propter retributiónem.

113. INíquos ódio hábui; * & legem tuã diléxi.

114. Adjútor & ſuſceptor meus es tu; * & in verbum tuum ſuperſperávi.

115. Declináte à me, maligni; * & ſcrutábor mandáta Dei mei.

116. Súſcipe me ſecundùm elóquium tuum, & vivam; * & non confundas me ab exſpectatióne meâ.

117. Adjuva me, & ſalvus ero; * & meditábor in juſtificatiónibus tuis ſẽper.

118. Spreviſti omnes diſcedentes à judíciis tuis; * quia injuſta cogitátio eórũ.

119. Prævaricantes reputávi omnes peccatóres terræ; * ídeò diléxi teſtimónia tua.

120. Confíge timóre tuo carnes meas; * à judíciis enim tuis tímui.

121. FEci judícium & juſtítiam: * non tradas me calumniántibus me.

122. Súſcipe ſervum tuum in bonum: * non calumniéntur me ſuperbi.

123. Oculi mei defecérunt in ſalutáre tuum, * & in elóquium juſtítiæ tuæ.

124. Fac cum ſervo tuo ſecundùm miſericórdiam tuam; * & juſtificatiónes tuas doce me.

125. Servus tuus ſum ego: * da mihi intellectum, ut ſciam teſtimónia tua.

126. Tempus faciendi,

DÓMINE: * diſſipavérunt legem tuam.

127. Ideò dilexi mandáta tua, * ſuper aurum & topázion.

128. Proptéreà ad ómnia mandáta tua dirigébar: * omnem viam iníquam ódio hábui.

Ant. Súſcipe me, Dómine, ſecundùm elóquium tuum, & vivam.

Temp. Paſch. Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Lectio, ℣. & Collecta, ut in Proprio.

AD SEXTAM.

Deus, † in adjutórium.

Hymnus, Nunc ſolis excelſum jubar. *pag.* 23.

Ex Pſalmo 118.

129. MIrabília teſtimónia tua; * ídeò ſcrutáta eſt ea ánima mea.

130. Declarátio ſermónum tuórum illúminat; * & intellectum dat párvulis.

131. Os meum apérui, & adtraxi ſpíritum; * quia mandáta tua deſiderábam.

132. Adſpice in me, & miſerére meî, * ſecundùm judícium diligéntium nomen tuum.

133. Greſſus meos dírige ſecundùm elóquium tuũ;* & non dominétur meî omnis injuſtítia.

134. Rédime me à calúmniis hóminum; * ut cuſtódiam mandáta tua.

135. Fáciem tuam illúmina ſuper ſervum tuum; * & doce me juſtificatiónes tuas.

136. Exitus aquárum deduxérunt óculi mei; * quia non cuſtodiérunt legem tuã.

137. JUſtus es, DÓMINE;* & rectum judícium tuum.

138. Mandaſti juſtítiam teſtimónia tua, * & veritátem tuam nimìs.

139. Tabéſcere me fecit zelus meus; * quia oblíti ſunt verba tua inimíci mei.

140. Ignítum elóquium tuum vehementer, * & ſervus tuus dilexit illud.

141. Adoleſcéntulus ſum ego & contemptus: * juſtificatiónes tuas non ſum oblítus.

142. Juſtítia tua, juſtítia in æternum; * & lex tua véritas.

143. Tribulátio & angúſtia invenérunt me: * mandáta tua meditátio mea eſt.

144. Æquitas teſtimónia tua in æternum: * intellectum da mihi, & vivam.

145. CLamávi in toto corde meo, exaudi me, DÓMINE: * juſtificatiónes tuas requíram.

146. Clamávi ad te, ſalvum me fac; * ut cuſtódiam mandáta tua.

147. Prævéni in immaturitáte, & clamávi; * quia in verba tua ſuperſperávi.

148. Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo; * ut meditárer elóquia tua.

149. Vocem meam audi

ſecundùm miſericórdiam tuam, Dómine; * & ſecundùm judícium tuum vivífica me.

150. Appropinquavérunt perſequentes me iniquitáti; * à lege autem tuâ longè facti ſunt.

151. Propè es tu, Dómine; * & omnes viæ tuæ véritas.

152. Inítio cognóvi de teſtimóniis tuis, * quia in æternum fundaſti ea.

Ant. Greſſus meos dírige, Dómine, ſecundùm elóquium tuum.

Temp. Paſch. Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Lectio, ℣. & Collecta, ut in Proprio.

AD NONAM.

Deus, † in adjutórium.

Hymnus, Prono volútus ímpetu. *pag.* 24.

Ex Pſalmo 118.

153. Vide humilitátem meam, & éripe me; * quia legem tuam non ſum oblítus.

154. Júdica judícium meũ, & rédime me: * propter elóquium tuum vivífica me.

155. Longè à peccatóribus ſalus; * quia juſtificatiónes tuas non exquiſiérunt.

156. Miſericórdiæ tuæ multæ, Dómine: * ſecundùm judícium tuum vivífica me.

157. Multi qui perſequuntur me, & tríbulant me: * à teſtimóniis tuis non declinávi.

158. Vidi prævaricantes, & tabeſcébam; * quia elóquia tua non cuſtodiérunt.

159. Vide quóniam mandáta tua diléxi, Dómine: * in miſericórdiâ tuâ vivífica me.

160. Princípium verbórum tuórum véritas: * in æternum ómnia judícia juſtítiæ tuæ.

161. Príncipes perſecúti ſunt me gratìs; * & à verbis tuis formidávit cor meum.

162. Lætábor ego ſuper elóquia tua, * ſicut qui invénit ſpólia multa.

163. Iniquitátem ódio hábui, & abominátus ſum; * legem autem tuam diléxi.

164. Sépties in die laudem dixi tibi, * ſuper judícia juſtítiæ tuæ.

165. Pax multa diligéntibus legem tuam; * & non eſt illis ſcándalum.

166. Exſpectábam ſalutáre tuum, Dómine; * & mandáta tua diléxi.

167. Cuſtodívit ánima mea teſtimónia tua; * & diléxit ea veheménter.

168. Servávi mandáta tua & teſtimónia tua; * quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo.

169. Appropinquet deprecátio mea in conſpectu tuo, Dómine: * juxta elóquium tuum, da mihi intelléctum.

170. Intret postulátio mea in conspectu tuo: * secundùm elóquiũ tuũ éripe me.

171. Eructábunt lábia mea hymnum; * cùm docúeris me justificatiónes tuas.

172. Pronuntiábit lingua mea elóquium tuum; * quia ómnia mandáta tua æquitas.

173. Fiat manus tua ut salvet me;* quóniam mandáta tua elégi.

174. Concupívi salutáre tuum, DÓMINE; * & lex tua meditátio mea est.

175. Vivet ánima mea, & laudábit te; * & judícia tua adjuvábunt me.

176. Errávi, sicut ovis quæ périit: * quære servum tuum, quia mandáta tua non sum oblítus.

Ant. Misericórdiæ tuæ multæ, Dómine: secundùm judícium tuum vivífica me.

Temp. Pasch. Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Lectio, ℣. & Collecta, ut in Proprio.

AD VESPERAS.

Deus, † in adjutórium.

[*Temp. Pasch. Psalmi sub unicâ Antiphonâ in Officio Feriali dicuntur; & sic in aliis Feriis.*]

I. PSALMUS 113.

Ecclesiæ per Christum liberatio: Idolorum vanitas: Israelis spes.

1 IN éxitu Israel de Ægypto, * domûs Jacob de pópulo bárbaro.

2. Facta est Judæa sanctificátio ejus, * Israel potestas ejus.

3. Mare vidit, & fugit:* Jordánis convérsus est retrorsùm.

4. Montes exsultavérunt ut aríetes; * & colles, sicut agni óvium.

5. Quid est tibi, mare, quòd fugisti? * & tu, Jordánis, quia convérsus es retrorsùm?

6. Montes, exsultastis sicut aríetes; * & colles, sicut agni óvium?

7. A fácie Dómini mota est terra, * à fácie Dei Jacob,

8. Qui convertit petram in stagna aquárum, * & rupem in fontes aquárum.

9. Non nobis, DÓMINE, non nobis, sed nómini tuo da glóriam, * super misericórdiâ tuâ & veritáte tuâ;

10. Ne quando dicant gentes: * Ubi est Deus eórum?

11. Deus autem noster in cœlo: * ómnia quæcumque vóluit, fecit.

12. Simulácra géntium argentum & aurum, * ópera mánuum hóminum.

13. Os habent, & non loquentur: * óculos habent, & non vidébunt.

14. Aures habent, & non áudient; * nares habent, & non odorábunt.

15. Manus habent, & non palpábunt; pedes habent, & non ambulábunt;* non

non clamábunt in gútture suo.

16. Símiles illis fiant qui fáciunt ea, * & omnes qui confidunt in eis.

17. Domus Israel sperávit in DÓMINO; * adjútor eórum & protector eórum est.

18. Domus Aaron sperávit in DÓMINO; * adjútor eórum & protector eórum est.

19. Qui timent DÓMINUM, speravérunt in DÓMINO; * adjútor eórum & protector eórum est.

20. DÓMINUS memor fuit nostrî;* & benedixit nobis:

21. Benedixit dómui Israel; * benedixit dómui Aaron.

22. Benedixit ómnibus qui timent DÓMINUM, * pusillis cum majóribus.

23. Adjíciat DÓMINUS super vos, * super vos, & super filios vestros.

24. Benedicti vos à DÓMINO, * qui fecit cœlum & terram.

25. Cœlum cœli DÓMINO; * terram autem dedit filiis hóminum.

26. Non mórtui laudábunt te, DÓMINE, * neque omnes qui descendunt in infernum.

27. Sed nos, qui vívimus, benedícimus DÓMINO, * ex hoc nunc & usque in séculum.

Ant. Deus noster in cœlo; ómnia quæcumque vóluit, fecit.

II. PSALMUS 114.

Vox Ecclesiæ militantis: tribulationes præsentis vitæ, æternæ desiderium.

1. DIlexi; quóniam exáudiet DÓMINUS * vocem oratiónis meæ.

2. Quia inclinávit aurem suam mihi; * & in diébus meis invocábo.

3. Circumdedérunt me dolóres mortis; & perícula inferni invenérunt me; * tribulatiónem & dolórem invéni:

4. Et nomen DÓMINI invocávi: * O DÓMINE, líbera ánimam meam.

5. Miséricors DÓMINUS, & justus; * & Deus noster miserétur.

6. Custódiens párvulos DÓMINUS: * humiliátus sum, & liberávit me.

7. Convértere, ánima mea, in réquiem tuam; * quia DÓMINUS benefécit tibi;

8. Quia erípuit ánimam meam de morte, óculos meos à lácrymis, * pedes meos à lapsu.

9. Placébo DÓMINO * in regióne vivórum.

Ant. Convértere, ánima mea, in réquiem tuam; quia Dóminus benefécit tibi.

III. PSALMUS 125.

E captivitate redux Israel in Deo exsultat.

1. IN convertendo DÓMINUS captivitátẽ Sion,* facti sumus sicut consoláti:

2. Tunc replétum est

gáudio os noſtrum, * & lingua noſtra exſultatióne:

3. Tunc dicent inter gentes: * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

4. Magnificávit Dóminus fácere nobiſcum: * facti ſumus lætantes.

5. Converte, Dómine, captivitátem noſtram, * ſicut torrens in Auſtro.

6. Qui ſéminant in lácrymis, * in exſúltatióne metent.

7. Euntes ibant & flebant, * mittentes ſémina ſua;

8. Venientes autem vénient cum exſultatióne, * portantes manípulos ſuos.

Ant. Magnificávit Dóminus fácere nobiſcum: facti ſumus lætantes.

IV. Psalmus 137.

Miſericordia & veritas Dei celebranda: ipſe à Regibus adorandus.

1. Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo; * quóniam audiſti verba oris mei.

2. In conſpectu Angelórum pſallam tibi: * adorábo ad templum ſanctum tuum:

3. Et confitébor nómini tuo ſuper miſericórdiâ tuâ & veritáte tuâ: * quóniam magnificaſti ſuper omne, nomen ſanctum tuum.

4. In quâcumque die invocávero te, exaudi me: * multiplicábis in ánimâ meâ virtútem.

5. Confiteantur tibi, Dómine, omnes Reges terræ; * quia audiérunt ómnia verba oris tui.

6. Et cantent in viis Dómini, * quóniam magna eſt glória Dómini:

7. Quóniam excelſus Dóminus, & humília réſpicit; * & alta à longè cognoſcit.

8. Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me; * & ſuper iram inimicórum meórum extendiſti manum tuam, & ſalvum me fecit déxtera tua.

9. Dóminus retríbuet pro me; * Dómine, miſericórdia tua in ſéculum; ópera mánuum tuárum ne deſpícias.

Ant. Excelſus Dóminus, & humília réſpicit, & alta à longè cognoſcit.

Temp. Paſch. Ant. unica. Verbum miſit Deus filiis Iſrael annuntians pacem per Jeſum Chriſtum. Hunc Deus ſuſcitávit tertiâ die. Allelúia. *Act.* 10.

Lectio, ℟. *br.*, *Hymnus,* ℣. *Ant. ad* Magníficat, *Litania Dominica, & Collecta, ut in Proprio; & ſic in aliis Feriis.*

AD COMPLETORIUM.

Incipit ut in Dominicâ, *pag.* 28.

Deus, † in adjutórium.

PSALMUS 6.

Fidelium inter mundi hujus calamitates gemitus & fiducia.

1. DOMINE, ne in furóre tuo árguas me, * neque in irâ tuâ corrípias me.

2. Miſerére meî, DÓMINE; quóniam infirmus ſum: * ſana me, DÓMINE; quóniam conturbáta ſunt oſſa mea:

3. Et ánima mea turbáta eſt valdè; * ſed tu, DÓMINE, úſquequò?

4. Convértere, DÓMINE, & éripe ánimam meam: * ſalvum me fac propter miſericórdiam tuam.

5. Quóniam non eſt in morte qui memor ſit tuî: * in inferno autem quis confitébitur tibi?

6. Laborávi in gémitu meo; lavábo per ſingulas noctes lectum meum; * lácrymis meis ſtratum meũ rigábo.

7. Turbátus eſt à furóre óculus meus: * inveterávi inter omnes inimícos meos.

8. Diſcédite à me, omnes qui operámini iniquitátem; * quóniam exaudívit DÓMINUS vocem fletûs mei.

9. Exaudívit DÓMINUS deprecatiónem meam: * DÓMINUS oratiónem meã ſuſcépit.

10. Erubeſcant, & conturbentur vehementer omnes inimíci mei: * convertantur, & erubeſcant valdè velóciter.

PSALMUS 7.

Injuriæ non rependendæ; ſalus Juſtos manet, malos interitus.

1. DOMINE Deus meus, in te ſperávi: * ſalvum me fac ex ómnibus perſequéntibus me, & líbera me.

2. Nequando rápiat ut leo ánimam meam; * dum non eſt qui rédimat, neque qui ſalvum fáciat.

3. DÓMINE Deus meus, ſi feci iſtud; * ſi eſt iníquitas in mánibus meis:

4. Si réddidi retribuéntibus mihi mala; * décidam méritò ab inimícis meis inánis:

5. Perſequátur inimícus ánimam meam, & comprehendat, & conculcet in terrâ vitam meam, * & glóriam meam in púlverem dedúcat.

6. Exſurge, DÓMINE, in irâ tuâ; * & exaltáre in finibus inimicórum meórum.

7. Et exſurge, Dómine Deus meus, * in præcepto quod mandaſti.

8. Et ſynagóga populórum circúmdabit te; * & propter hanc in altum regrédere.

9. DÓMINUS júdicat pópulos; júdica me, DÓMINE, ſecundùm juſtítiam meam, * & ſecundùm in-

nocéntiam meam ſuper me.

10. Conſummétur nequítia peccatórum; & díriges juſtum; * ſcrutans corda & renes, Deus.

11. Juſtum adjutórium meum à Dómino, * qui ſalvos facit rectos corde.

Diviſio Pſalmi 7.

12. DEus judex juſtus, fortis & pátiens:* numquid iráſcitur per síngulos dies?

13. Niſi converſi fuéritis, gládium ſuum vibrábit: * arcum ſuum tetendit, & parávit illum.

14. Et in eo parávit vaſa mortis; * ſagittas ſuas ardéntibus effécit.

15. Ecce partúriit injuſtítiam, * concépit dolórem, & péperit iniquitátem.

16. Lacum apéruit, & effódit eum; * & íncidit in fóveam quam fecit.

17. Convertétur dolor ejus in caput ejus; * & in vérticem ipſíus iníquitas ejus deſcendet.

18. Confitébor DÓMINO ſecundùm juſtítiam ejus; * & pſallam nómini DÓMINI altiſſimi.

Cant. Nunc dimittis. *p.* 30.

Reliqua ut in Dominicâ.

[*Tempore Quadrageſimæ & Paſſionis, in Officio Feriali dicuntur Preces ut in Proprio; & ſic in aliis Feriis.*]

FERIA TERTIA.

Chriſtus docens: dilectio proximi.

AD OFFICIUM NOCT.

Ant. in Pſ. Veníte, & *Hymnus, ut in Proprio.*

IN I. NOCTURNO.

I. PSALMUS 35.

Impiorum malitia; juſtitia Dei; Juſtorum gloria.

1. DIxit injuſtus ut delinquat in ſemetipſo:* non eſt timor Dei ante óculos ejus.

2. Quóniam dolósè egit in conſpectu ejus; * ut inveniátur iníquitas ejus ad ódium.

3. Verba oris ejus iníquitas & dolus: * nóluit intellígere, ut benè ágeret.

4. Iniquitátem meditátus eſt in cubíli ſuo; ádſtitit omni viæ non bonæ; * malítiam autem non odívit.

5. DÓMINE, in cœlo miſericórdia tua; * & véritas tua uſque ad nubes.

6. Juſtítia tua ſicut montes Dei: * judícia tua abyſſus multa.

7. Hómines & jumenta ſalvábis, DÓMINE: * quemádmodùm multiplicaſti miſericórdiam tuam, Deus!

8. Fílii autem hóminum,*

in tégmine alárum tuárum sperábunt.

9. Inebriabúntur ab ubertáte domûs tuæ ; * & torrente voluptátis tuæ potábis eos.

10. Quóniam apud te est fons vitæ ; * & in lúmine tuo vidébimus lumen.

11. Prætende misericórdiam tuam sciéntibus te, * & justítiam tuam his qui recto sunt corde.

12. Non véniat mihi pes supérbiæ ; * & manus peccatóris non móveat me.

13. Ibi cecidérunt qui operantur iniquitátem : * expulsi sunt, nec potuérunt stare.

Ant. Dómine, in cœlo misericórdia tua, & véritas tua usque ad nubes.

II. PSALMUS 36.

Divino tutus auxilio, huic non invidenda impii prosperitas. Utriusque quàm dispar exitus !

1. NOli æmulári in malignántibus, * neque zeláveris faciéntes iniquitátem ;

2. Quóniam tamquam fenum velóciter arescent ; * & quemádmodùm ólera herbárum citò décident.

3. Spera in DÓMINO, & fac bonitátem ; * & inhábita terram, & pascéris in divítiis ejus.

4. Delectáre in DÓMINO ; * & dabit tibi petitiónes cordis tui.

5. Revéla DÓMINO viam tuam, & spera in eo ; * & ipse fáciet.

6. Et edúcet quasi lumen justítiam tuam, * & judícium tuum tamquam merídiem.

7. Súbditus esto DÓMINO, * & ora eum.

8. Noli æmulári in eo qui prosperátur in viâ suâ ; * in hómine faciente injustítias.

9. Désine ab irâ, & derelinque furórem : * noli æmulári ut malignéris.

10. Quóniam qui malignantur, exterminabúntur ; * sustinentes autem DÓMINUM, ipsi hereditábunt terram.

11. Et adhuc pusillum, & non erit peccátor ; * & quæres locum ejus, & non invénies.

12. Mansuéti autem hereditábunt terram ; * & delectabúntur in multitúdine pacis.

13. Observábit peccátor justum ; * & stridébit super eum déntibus suis.

14. Dóminus autem irridébit eum ; * quóniam próspicit quòd véniet dies ejus.

15. Gládium evaginavérunt peccatóres ; intendérunt arcum suum : * ut dejíciant páuperem & ínopem ; ut trucídent rectos corde.

16. Gládius eórum intret in corda ipsórum, * & arcus eórum confringátur.

Ant. Mansuéti hereditá-

bunt terram; & delectabuntur in multitúdine pacis.

III. *Divisio Psalmi 36.*

17. MElius est módicum justo, * super divítias peccatórum multas.

18. Quóniam bráchia peccatórum conterentur;* confirmat autem justos DÓMINUS.

19. Novit DÓMINUS dies immaculatórum; * & heréditas eórum in ætèrnum erit.

20. Non confundentur in témpore malo; * & in diébus famis saturabuntur.

21. Quia peccatóres períbunt; * inimíci verò DÓMINI [defícient].

22. Mox ut honorificáti fúerint & exaltáti, * deficientes quemádmodùm fumus defícient.

23. Mutuábitur peccátor, & non solvet; * justus autem miserétur, & tríbuet.

24. Quia benedicentes ei hereditábunt terram; * maledicentes autem ei dispeŕibunt.

25. Apud DÓMINUM gressus hóminis dirigentur; * & viam ejus volet.

26. Cùm cecíderit, non collidétur; * quia DÓMINUS suppónit manum suam.

27. Júnior fui, étenim sénui; * & non vidi justũ derelictum, nec semen ejus quærens panem.

28. Totâ die miserétur, & cómmodat; * & semen illíus in benedictióne erit.

Ant. Novit Dóminus dies immaculatórum; & heréditas eórum in ætèrnum erit.

IV. *Divisio Psalmi 36.*

29. DEclína a malo, & fac bonum; * & inhábita in séculum séculi.

30. Quia DÓMINUS amat judícium, & non derelinquet sanctos suos: * in ætèrnum conservabuntur.

31. Injusti punientur; * & semen impiórum períbit.

32. Justi autem hereditábunt terram; * & inhabitábunt in séculum séculi super eam.

33. Os justi meditábitur sapiéntiam; * & lingua ejus loquétur judícium.

34. Lex Dei ejus in corde ipsíus; * & non supplantabùntur gressus ejus.

35. Consíderat peccátor justum; * & quærit mortificáre eum:

36. DÓMINUS autem non derelinquet eum in mánibus ejus; * nec damnábit eum, cùm judicábitur illi.

37. Exspecta DÓMINUM;* & custódi viam ejus.

38. Et exaltábit te, ut hereditáte cápias terram: * cùm períerint peccatóres, vidébis.

39. Vidi ímpium superexaltátum, * & elevátum sicut cedros Líbani.

40. Et transívi, & ecce non erat; * & quæsívi eum, & non est inventus locus ejus.

41. Custódi innocéntiam, & vide æquitátem; * quóniam sunt relíquiæ hómini pacífico.

42. Injusti autem dispeíbunt simul: * relíquiæ impiórum interíbunt.

43. Salus autem justórum à Dómino; * & protector eórum in témpore tribulatiónis.

44. Et adjuvábit eos Dóminus, & liberábit eos; & éruet eos à peccatóribus, & salvábit eos; * quia speravérunt in eo.

Ant. Salus justórum à Dómino; & protector eórum in témpore tribulatiónis.

V. Psalmus 48.

Homo per peccatum lapsus, divitiis non redimitur; redimet Christus.

1. Audíte hæc, omnes gentes; * áuribus percípite, omnes qui habitátis orbem:

2. Quique terrígenæ & fílii hóminum, * simul in unum dives & pauper.

3. Os meum loquétur sapiéntiam; * & meditátio cordis mei prudéntiam.

4. Inclinábo in parábolam aurem meam: * apériam in psaltério propositiónem meam.

5. Cur timébo in die malâ? * iníquitas calcánei mei circúmdabit me.

6. Qui confídunt in virtúte suâ, * & in multitúdine divitiárum suárum gloriantur.

7. Frater non rédimit, rédimet homo? * non dabit Deo placatiónem suam, & prétium redemptiónis ánimæ suæ.

8. Et laborábit in ætérnum, & vivet adhuc in finem; * non vidébit intéritum?

9. Cùm víderit sapientes morientes * simul insípiens & stultus períbunt; & relinquent aliénis divítias suas.

10. Et sepulcra eórum domus illórum in ætérnum; tabernácula eórum in progénie & progénie: * vocavérunt nómina sua in terris suis.

11. Et homo, cùm in honóre esset, non intellexit: * comparátus est jumentis insipiéntibus; & símilis factus est illis.

12. Hæc via illórum scándalum ipsis; * & pósteà in ore suo complacébunt.

13. Sicut oves in inferno pósiti sunt; * mors depascet eos.

14. Et dominabuntur eórum justi in matutíno; * & auxílium eórum veterascet in inferno à glóriâ eórum.

15. Verúmtamen Deus rédimet ánimam meam de manu ínferi, * cùm accéperit me.

Ant. Deus rédimet áni-

mam meam de manu ínferi, cùm accéperit me.

VI. *Divisio Psalmi* 48.

16. NE timúeris cùm dives factus fúerit homo; * & cùm multiplicáta fúerit glória domûs ejus.

17. Quóniam, cùm intérierit, non sumet ómnia; * neque descendet cum eo glória ejus:

18. Quia ánima ejus in vitâ ipsius benedicétur * confitébitur tibi, cùm benefeceris ei.

19. Introíbit usque in progénies patrum suórum; * & usque in ætérnum non vidébit lumen.

20. Homo, cùm in honóre esset, non intellexit:* comparátus est jumentis insipiéntibus; & símilis factus est illis.

Ant. Homo, cùm intérierit, non sumet ómnia; neque descendet cum eo glória ejus.

Temp. Pasch. Ant. única. Qui suscitávit Jesum, & nos cum Jesu suscitábit. Allelúia. *II. Cor.* 4.

℣. Odisti omnes qui operantur iniquitátem: ℟. Perdes omnes qui loquuntur mendácium. *Ps.* 5.

Absolutio. Occurrámus omnes in unitátem fidei, & agnitiónis Fílii Dei; ut non circumferámur omni vento doctrínæ. *Ephes.* 4.

℟. Amen.

Benedictiones suprà ad caput Psalterii.

IN II. NOCTURNO.

I. PSALMUS 51.

Impios manet interitus; Justos gloria.

1. QUid gloriáris in malítiâ, *qui potens es in iniquitáte?

2. Totâ die injustítiam cogitávit lingua tua: * sicut novácula acúta fecisti dolum.

3. Dilexisti malítiam super benignitátem, * iniquitátem magìs quàm loqui æquitátem.

4. Dilexisti ómnia verba præcipitatiónis, * linguam dolósam:

5. Proptéreà Deus déstruet te in finem; * evellet te, & emigrábit te de tabernáculo tuo, & radícem tuam de terrâ vivéntium.

6. Vidébunt justi, & timébunt; & super eum ridébunt, & dicent: * Ecce homo qui non pósuit Deum adjutórem suum:

7. Sed sperávit in multitúdine divitiárum suárum; * & præváluit in vanitáte suâ.

8. Ego autem, sicut olíva fructífera in domo Dei, * sperávi in misericórdiâ Dei in ætérnum, & in séculum séculi.

9. Confitébor tibi in séculum, quia fecisti; * & exspectábo nomen tuum,

quóniam bonum est in conspectu Sanctórum tuórum.

II. PSALMUS 78.

Fideles ab infidelibus vexati, opem Dei poscunt.

1. DEus, venérunt gentes in hereditátem tuã; polluérunt templum sanctum tuum; * posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam.

2. Posuérunt morticína servórum tuórum escas volatílibus cœli, * carnes sanctórum tuórum béstiis terræ.

3. Effudérunt sánguinem eórum tamquàm aquam in circúitu Jerúsalem; * & non erat qui sepelíret.

4. Facti sumus oppróbrium vicínis nostris, * subsannátio & illúsio his qui in circúitu nostro sunt.

5. Usquequò, DÓMINE, irascéris in finem; * accendétur velut ignis zelus tuus?

6. Effunde iram tuam in gentes quæ te non novérunt, * & in regna quæ nomen tuum non invocavérunt:

7. Quia comedérunt Jacob; * & locum ejus desolavérunt.

8. Ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum: * citò antícipent nos misericórdiæ tuæ, quia páuperes facti sumus nimis.

9. Adjuva nos, Deus salutáris noster; & propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos, * & propítius esto peccátis nostris, propter nomen tuum:

10. Ne fortè dicant in géntibus: * Ubi est Deus eórum?

11. Et innotescat in natiónibus coram óculis nostris, * últio sánguinis servórum tuórum qui effusus est.

12. Intróeat in conspectu tuo, * gémitus compeditórum.

13. Secundùm magnitúdinem bráchii tui, * pósside fílios mortificatórum;

14. Et redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum, * impropérium ipsórum, quod exprobravérunt tibi, Dómine.

15. Nos autem pópulus tuus, & oves páscuæ tuæ, * confitébimur tibi in séculum:

16. In generatiónem & generatiónem * annuntiábimus laudem tuam.

III. PSALMUS 81.

Diis terræ excelsior Deus: injustè jura administrantibus exitium minatur.

1. DEus stetit in synagógâ deórum; * in médio autem deos dijúdicat.

2. Usquequò judicátis iniquitátem; * & fácies peccatórum súmitis?

3. Judicáte egéno & pu-

pillo: * húmilem & páuperem justificáte.

4. Erípite páuperem; * & egénum de manu peccatóris liberáte.

5. Nesciérunt, neque intellexérunt; in ténebris ámbulant; * movebuntur ómnia fundamenta terræ.

6. Ego dixi: Dii estis; * & filii Excelsi omnes.

7. Vos autem sicut hómines moriémini; * & sicut unus de princípibus cadétis.

8. Surge, Deus, júdica terram; * quóniam tu hereditábis in ómnibus géntibus.

IV. PSALMUS 82.

Infidelium adversùs Ecclesiam motus, ipsorumque confusio & interitus.

1. DEus, quis símilis erit tibi? * ne táceas, neque compescáris, Deus:

2. Quóniam ecce inimíci tui sonuérunt, * & qui odérũt te, extulérunt caput.

3. Super pópulum tuum malignavérunt consílium; * & cogitavérunt adversùs Sanctos tuos:

4. Dixérunt: Veníte, & disperdámus eos de gente; * & non memorétur nomen Israel ultrà.

5. Quóniam cogitavérunt unanímiter, * simul adversùm te testamentum disposuérunt:

6. Tabernácula Idumæórum & Ismaelítæ; * Moab & Agaréni:

7. Gebal & Ammon & Amalec; * alienígenæ cum habitántibus Tyrum.

8. Etenim Assur venit cum illis: * facti sunt in adjutórium fíliis Lot.

9. Fac illis sicut Mádian & Sísaræ, * sicut Jabin in torrente Cisson.

10. Disperiérunt in Endor: * facti sunt ut stercus terræ.

11. Pone príncipes eórum sicut Oreb & Zeb, * & Zébee & Sálmana;

12. Omnes príncipes eórum qui dixérunt: * Hereditáte possideámus sanctuárium Dei.

13. Deus meus, pone illos ut rotam, * & sicut stípulam ante fáciem venti;

14. Sicut ignis qui combúrit silvam, * & sicut flamma combúrens montes;

15. Ita persequéris illos in tempestáte tuâ; * & in irâ tuâ turbábis eos.

16. Imple fácies eórum ignomíniâ; * & quærent nomen tuum, DÓMINE.

17. Erubescant & conturbentur in séculum séculi, * & confundantur, & péreant.

18. Et cognoscant quia nomen tibi DÓMINUS: * tu solus Altíssimus in omni terrâ.

V. PSALMUS 93.

Contra violentos oppressores prasertìm judices, Justi à Deo auxilium petunt.

1. DEus ultiónum DÓMINUS; * Deus ultiónum líberè egit.

2. Exaltáre qui júdicas terram: * redde retributiónem supérbis.

3. Usquequò peccatóres, DÓMINE, * úsquequò peccatóres gloriabúntur?

4. Effabúntur & loquentur iniquitátem: * loquentur omnes qui operantur injustítiam?

5. Pópulum tuum, DÓMINE, humiliavérunt; * & hereditátem tuam vexavérunt.

6. Víduam & ádvenam interfecérunt; * & pupíllos occidérunt:

7. Et dixérunt: Non vidébit DÓMINUS: * nec intélliget Deus Jacob.

8. Intellígite, insipientes in pópulo; * & stulti, aliquandò sápite.

9. Qui plantávit aurem, non áudiet: * aut qui finxit óculum, non considerat?

10. Qui córripit gentes, non árguet, * qui docet hóminem sciéntiam?

11. DÓMINUS scit cogitatiónes hóminum, * quóniam vanæ sunt.

VI. *Divisio Psalmi* 93.

12. BEátus homo, quem tu erudíeris, DÓMINE, * & de lege tuâ docúeris eum:

13. Ut mítiges ei à diébus malis, * donec fodiátur peccatóri fóvea.

14. Quia non repellet DÓMINUS plebem suam; * & hereditátem suam non derelinquet;

15. Quoadúsque justítia convertátur in judícium; * & qui juxta illam, omnes qui recto sunt corde.

16. Quis consurget mihi adversùs malignantes? * aut quis stabit mecum adversùs operantes iniquitátem?

17. Nisi quia DÓMINUS adjúvit me, * paulò minùs habitasset in inferno ánima mea.

18. Si dicébam, Motus est pes meus; * misericórdia tua, DÓMINE, adjuvábat me.

19. Secundùm multitúdinem dolórum meórum in corde meo, * consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

20. Numquid adhæret tibi sedes iniquitátis, * qui fingis labórem in præcepto?

21. Captábunt in ánimam justi; * & sánguinem innocentem condemnábunt.

22. Et factus est mihi DÓMINUS in refúgium, * & Deus meus in adjutórium spei meæ.

23. Et reddet illis iniquitátem ipsórum, & in malítiâ eórum disperdet eos; * disperdet illos DÓMINUS Deus noster.

Ant. Exspectábo nomen tuum, Dómine, quóniam bonum est in conspectu Sanctórum tuórum.

tiábili corde, * cum hoc non edébam.

8. Oculi mei ad fidéles terræ ut sédeant mecum: * ámbulans in viâ immaculátâ, hic mihi ministrábat.

9. Non habitábit in médio domûs meæ, qui facit supérbiam: * qui lóquitur iníqua, non diréxit in conspéctu oculórum meórum.

10. In matutíno interficiébam omnes peccatóres terræ; * ut dispérderem de civitáte DÓMINI omnes operantes iniquitátem.

Ant. Non proponébam ante óculos meos rem injustam: detrahentem secrétò próximo suo, hunc persequébar.

IV. CANTICUM EZECHIÆ. *Isai.* 38.

Humanæ vitæ fragilitas: in manu Dei sunt dies nostri.

1. EGo dixi: In dimídio diérum meórum vadam ad portas ínferi: * quæsívi resíduum annórum meórum.

2. Dixi: Non vidébo DÓMINUM Deum in terrâ vivéntium: * non adspíciam hóminem ultrà, & habitatórem quiétis.

3. Generátio mea abláta est, & convolúta est à me, * quasi tabernáculum pastórum.

4. Præcísa est velut à texente vita mea; dum adhuc ordírer, succídit me: * de mane usque ad vésperam finies me.

5. Sperábam usque ad mane; quasi leo sic contrívit ómnia ossa mea: * de mane usque ad vésperam finies me.

6. Sicut pullus hirúndinis, sic clamábo: * meditábor ut columba.

7. Attenuáti sunt óculi mei suspicientes in excelsum: * DÓMINE, vim pátior; responde pro me.

8. Quid dicam, aut quid respondébit mihi, * cùm ipse fécerit?

9. Recogitábo tibi omnes annos meos, * in amaritúdine ánimæ meæ.

10. Dómine, si sic vívitur, & in tálibus vita spíritûs mei; * corrípies me, & vivificábis me.

11. Ecce in pace amaritúdo mea amaríssima; * tu autem eruísti ánimam meã ut non períret:

12. Projecísti post tergum tuum, * ómnia peccáta mea.

13. Quia non infernus confitébitur tibi; neque mors laudábit te: * non exspectábunt, qui descendunt in lacum, veritátem tuam.

14. Vivens, vivens ipse confitébitur tibi, sicut & ego hódie: * pater fíliis notam fáciet veritátem tuam.

15. DÓMINE, salvum me

fac; * & psalmos nostros cantábimus cunctis diébus vitæ nostræ in domo Dómini.

Ant. Vivens, vivens ipse confitébitur tibi, Dómine; pater filiis notam fáciet veritátem tuam.

V. PSALMUS 150.

Quidquid sonat, Deum sonet.

1. LAudáte Dóminum in sanctis ejus: * laudáte eum in firmamento virtútis ejus.

2. Laudáte eum in virtútibus ejus: * laudáte eum secundùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

3. Laudáte eum in sono tubæ: * laudáte eum in psaltério & cítharâ.

4. Laudáte eum in tympano & choro; * laudáte eum in chordis & órgano.

5. Laudáte eum in cymbalis benesonántibus: laudáte eum in cymbalis jubilatiónis: * omnis spíritus laudet DÓMINUM.

Ant. Laudáte Dóminum in sanctis ejus: laudáte eum secundùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Temp. Pasch. Ant. unica. Quòd Deus suscitávit Jesum à mortuis, ampliùs jam non reversúrum in corruptiónem, ita dixit: Quia dabo vobis sancta David fidélia. Allelúia. *Act.* 13.

Lectio, ℟. *br. Hymnus, Ant. ad* Benedictus, & *Collecta, ut in Proprio.*

AD PRIMAM.

PSALMUS 14.

Via in cœlum: innocens vita; in proximum caritas.

1. DOMINE, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

2. Qui ingréditur sine máculâ, * & operátur justítiam:

3. Qui lóquitur veritátem in corde suo; * qui non egit dolum in linguâ suâ;

4. Nec fecit próximo suo malum, * & oppróbrium non accépit adversùs próximos suos:

5. Ad níhilum deductus est in conspectu ejus malignus; * timentes autem DÓMINUM, gloríficat.

6. Qui jurat próximo suo, & non décipit; qui pecúniam suam non dedit ad usúram, * & múnera super innocentem non accépit.

7. Qui facit hæc, * non movébitur in ætermum.

PSALMUS 65.

Ecclesia à persecutoribus liberata, ad laudes Dei omnes gentes invitat.

1. JUbiláte Deo, omnis terra; psalmum dícite nómini ejus; * date glóriam laudi ejus:

2. Dícite Deo: Quàm terribília sunt ópera tua, Dó-

mine! * in multitúdine virtútis tuæ mentientur tibi inimíci tui.

3. Omnis terra adóret te, & psallat tibi: * psalmum dicat nómini tuo.

4. Veníte, & vidéte ópera Dei, * terríbilis in consíliis super fílios hóminum.

5. Qui convertit mare in áridam; in flúmine pertransíbunt pede: * ibi lætábimur in ipso.

6. Qui dominátur in virtúte suâ in æternum; óculi ejus super gentes respíciunt: * qui exásperant, non exaltentur in semetipsis.

Divisio Psalmi 65.

7. BEnedícite, gentes, Deum nostrum; * & audítam fácite vocem laudis ejus:

8. Qui pósuit ánimam meam ad vitam; * & non dedit in commotiónem pedes meos.

9. Quóniam probasti nos, Deus, * igne nos examinasti, sicut examinátur argentum.

10. Induxisti nos in láqueum; posuisti tribulatiónes in dorso nostro: * imposuisti hómines super cápita nostra.

11. Transívimus per ignem & aquam; * & eduxisti nos in refrigérium.

12. Introíbo in domum tuam in holocaustis: * reddam tibi vota mea:

13. Quæ distinxérunt lábia mea, * & locútum est os meum in tribulatióne meâ.

14. Holocausta medulláta ófferam tibi cum incenso aríetum: * ófferam tibi boves cum hircis.

15. Veníte, audíte, & narrábo, omnes qui timétis Deum, * quanta fecit ánimæ meæ.

16. Ad ipsum ore meo clamávi; * & exaltávi sub linguâ meâ.

17. Iniquitátem si adspexi in corde meo, * non exáudiet Dóminus.

18. Proptéreà exaudívit Deus; * & adtendit voci deprecatiónis meæ.

19. Benedíctus Deus, * qui non amóvit oratiónem meam & misericórdiam suam à me.

Ant. Benedícite, gentes, Deum nostrum, & audítam fácite vocem laudis ejus.

Temp. Pasch. Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

AD TERTIAM.

PSALMUS 49.

Uterque Christi adventus: abrogatio legis; animæ puritas acceptum Deo sacrificium.

1. DEus deórum DÓMINUS locútus est; * & vocávit terram à solis ortu usque ad occásum.

2. Ex Sion spécies decóris ejus: * Deus manifestè véniet, Deus noster, & non silébit.

3. Ignis in conspectu ejus exardescet; * & in circúitu ejus tempestas válida.

4. Advocábit cœlum desursùm, & terram,* discérnere pópulum suum.

5. Congregáte illi sanctos ejus, * qui órdinant testamentum ejus super sacrifícia:

6. Et annuntiábunt cœli justítiam ejus; * quóniam Deus judex est.

7. Audi, pópulus meus, & loquar; Israel, & testificábor tibi: * Deus, Deus tuus ego sum.

8. Non in sacrificiis tuis árguam te; * holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.

9. Non accípiam de domo tuâ vítulos, * neque de grégibus tuis hircos;

10. Quóniam meæ sunt omnes feræ silvárum, * jumenta in móntibus & boves.

11. Cognóvi ómnia volatília cœli;* & pulchritúdo agri mecum est.

12. Si esuriero, non dicam tibi; * meus est enim orbis terræ & plenitúdo ejus.

13. Numquid manducábo carnes taurórum?* aut sánguinem hircórum potábo?

14. Immola Deo sacrifícium laudis; * & redde Altíssimo vota tua.

15. Et ínvoca me in die tribulatiónis: * éruam te, & honorificábis me.

Divisio Psalmi 49.

16. PEccatóri autem dixit Deus: * Quare tu enarras justítias meas; & assúmis testamentum meũ per os tuum?

17. Tu verò odisti disciplínam; * & projecisti sermónes meos retrorsùm.

18. Si vidébas furem, currébas cum eo; * & cum adúlteris portiónem tuam ponébas.

19. Os tuum abundávit malítiâ; * & lingua tua concinnábat dolos.

20. Sedens adversùs fratrem tuum loquebáris; * & adversùs filium matris tuæ ponébas scándalum.

21. Hæc fecisti, & tácui; existimasti iníque quòd ero tuî símilis: * árguam te, & státuam contra fáciem tuã.

22. Intellígite hæc, qui obliviscímini Deum; * nequando rápiat, & non sit qui erípiat.

23. Sacrifícium laudis honorificábit me; * & illìc iter, quo ostendam illi salutáre Dei.

PSALMUS 53.

Deus suorum custos & vindex.

1. DEus, in nómine tuo salvum me fac; * & in virtúte tuâ júdica me.

2. Deus, exaudi oratiónem meam: * áuribus pércipe verba oris mei;

3. Quóniam aliéni insurrexérunt adversùm me, & fortes quæsiérunt ánimam

meam; * & non proposuérunt Deum ante conspectum suum.

4. Ecce enim Deus ádjuvat me; * & Dóminus susceptor est ánimæ meæ.

5. Averte mala inimícis meis; * & in veritáte tuâ disperde illos.

6. Voluntáriè sacrificábo tibi; * & confitébor nómini tuo, DÓMINE, quóniam bonum est;

7. Quóniam ex omni tribulatióne eripuisti me; * & super inimícos meos despexit óculus meus.

Ant. Congregáte Dómino Sanctos ejus, qui órdinant testamentum ejus super sacrifícia.

Temp. Pasch. Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Lectio, ℣. & Collecta, ut in Proprio.

AD SEXTAM.

PSALMUS 40.

Christus pro fratribus egens & moriens, resurrectionem suam deposcit & impetrat.

1. BEátus qui intélligit super egénum & páuperem: * in die malâ liberábit eum DÓMINUS.

2. DÓMINUS consérvet eum, & vivíficet eum, & beátum fáciat eum in terrâ; * & non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

3. DÓMINUS opem ferat illi super lectum dolóris ejus: * universum stratum ejus versasti in infirmitáte ejus.

4. Ego dixi: DÓMINE, miserére meî; * sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

5. Inimíci mei dixérunt mala mihi: * Quandò moriétur, & períbit nomen ejus?

6. Et si ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur: * cor ejus congregávit iniquitátem sibi.

7. Egrediebátur foràs, * & loquebátur.

8. In idipsum adversùm me susurrábant omnes inimíci mei: * adversùm me cogitábant mala mihi.

9. Verbum iníquum constituérunt adversùm me: * Numquid qui dormit, non adjíciet ut resurgat?

10. Etenim homo pacis meæ, in quo sperávi, qui edébat panes meos, * magnificávit super me supplantatiónem.

11. Tu autem, DÓMINE, miserére meî, & resúscita me; * & retríbuam eis.

12. In hoc cognóvi quóniam voluisti me; * quóniam non gaudébit inimícus meus super me:

13. Me autem propter innocéntiam suscepisti; * & confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

14. Benedictus DÓMINUS Deus Israel à século, & usque in séculum: * fiat, fiat.

PSALMUS 142.

Oratio pœnitentis, opem Dei deprecantis.

1. DOMINE, exaudi oratiónem meam; áuribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tuâ; * exaudi me in tuâ justítiâ.

2. Et non intres in judícium cum servo tuo; * quia non justificábitur in conspectu tuo omnis vivens.

3. Quia persecútus est inimícus ánimam meam; humiliávit in terrâ vitam meam: * collocávit me in obscúris sicut mórtuos séculi.

4. Et anxiátus est super me spíritus meus: * in me turbátum est cor meum.

5. Memor fui diérum antiquórum; meditátus sum in ómnibus opéribus tuis; * in factis mánuum tuárum meditábar.

6. Expandi manus meas ad te: * ánima mea sicut terra sine aquâ tibi.

Divisio Psalmi 142.

7. VElóciter exaudi me, DÓMINE: * defécit spíritus meus:

8. Non avertas fáciem tuam à me; * & símilis ero descendéntibus in lacum.

9. Audítam fac mihi manè misericórdiam tuam; * quia in te sperávi.

10. Notam fac mihi viam in quâ ámbulem; * quia ad te levávi ánimam meam.

11. Eripe me de inimícis meis, DÓMINE; ad te confúgi: * doce me fácere voluntátem tuam; quia Deus meus es tu.

12. Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam: * propter nomen tuum, DÓMINE, vivificábis me in æquitáte tuâ.

13. Edúces de tribulatióne ánimam meam; * & in misericórdiâ tuâ dísperdes inimícos meos.

14. Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam; * quóniam ego servus tuus sum.

Ant. Eripe me de inimícis meis, Dómine; ad te confúgi.

Temp. Pasch. Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Lectio, ℣. & Collecta ut in Proprio.

AD NONAM.

PSALMUS 108.

Christus Judæ proditori aliisque impiis dignas pœnas prædicit.

1. DEus, laudem meam ne tacúeris; * quia os peccatóris & os dolósi super me apertum est.

2. Locúti sunt adversùm me linguâ dolósâ; & sermónibus ódii circumdedérunt me; * & expugnavérunt me gratis.

3. Pro eo ut me dilígerent, detrahébant mihi; * ego autem orábam.

4. Et posuérunt adversùm me mala pro bonis, * & ódium pro dilectióne meâ.

Divisio Psalmi 108.

5. Constítue super eum peccatórem; * & diábolus stet à dextris ejus.

6. Cùm judicátur, éxeat condemnátus; * & orátio ejus fiat in peccátum.

7. Fiant dies ejus pauci; * & episcopátum ejus accípiat alter.

8. Fiant fílii ejus órphani, * & uxor ejus vídua.

9. Nutantes transferantur fílii ejus & mendícent; * & ejiciantur de habitatiónibus suis.

10. Scrutétur fœnerátor omnem substántiam ejus; * & dirípiant aliéni labóres ejus.

11. Non sit illi adjútor; * nec sit qui misereátur pupíllis ejus.

12. Fiant nati ejus in intéritum: * in generatióne unâ deleátur nomen ejus.

13. In memóriam rédeat iníquitas patrum ejus in conspectu Dómini; * & peccátum matris ejus non deleátur.

14. Fiant contra Dóminum semper; * & dispéreat de terrâ memória eórum;

15. Pro eo quòd non est recordátus fácere misericórdiam; * & persecútus est hóminem ínopem & mendícum, & compunctum corde mortificáre.

16. Et diléxit maledictiónem, & véniet ei; * & nóluit benedictiónem, & elongábitur ab eo.

17. Et índuit maledictiónem sicut vestimentum; * & intrávit sicut aqua in interióra ejus, & sicut óleum in óssibus ejus.

18. Fiat ei sicut vestimentum, quo operítur; * & sicut zona, quâ semper præcíngitur.

19. Hoc opus eórum qui détrahunt mihi apud Dóminum, * & qui loquuntur mala adversùs ánimam meam.

20. Et tu, Dómine Dómine, fac mecum propter nomen tuum; * quia suávis est misericórdia tua:

Divisio Psalmi 108.

21. Líbera me, quia egénus & pauper ego sum; * & cor meum conturbátum est intra me.

22. Sicut umbra, cùm declínat, ablátus sum; * & excússus sum sicut locustæ.

23. Génua mea infirmáta sunt à jejúnio; * & caro mea immutáta est propter óleum.

24. Et ego factus sum oppróbrium illis: * vidérunt me, & movérunt cápita sua.

25. Adjuva me, Dómine Deus meus: * salvum

me fac secundùm misericórdiam tuam.

26. Et sciant quia manus tua hæc; * & tu, Dómine, fecisti eam.

27. Maledícent illi, & tu benedíces: * qui insurgunt in me, confundantur; servus autem tuus lætábitur.

28. Induantur, qui détrahunt mihi, pudóre; * & operiantur sicut diplóide, confusióne suâ.

29. Confitébor Dómino nimìs in ore meo; * & in médio multórum laudábo eum.

30. Quia ádstitit à dextris páuperis; * ut salvam fáceret à persequéntibus ánimam meam.

Ant. Pro eo ut me dilígerent detrahébant mihi: ego autem orábam.

Temp. Pasch. Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Lectio, ℣. & Collecta ut in Proprio.

AD VESPERAS.

I. Psalmus 121.

Spes æternæ vitæ: Pax Ecclesiæ desideranda.

1. LÆtátus sum in his quæ dicta sunt mihi: * In domum Dómini íbimus.

2. Stantes erant pedes nostri, * in átriis tuis, Jerúsalem.

3. Jerúsalem quæ ædificátur ut cívitas, * cujus participátio ejus in idipsum.

4. Illùc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini, * testimónium Israel, ad confiténdum nómini Dómini.

5. Quia illìc sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

6. Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem; * & abundántia diligéntibus te.

7. Fiat pax in virtúte tuâ; * & abundántia in túrribus tuis.

8. Propter fratres meos & próximos meos, * loquébar pacem de te.

9. Propter domum Dómini Dei nostri, * quæsívi bona tibi.

Ant. Propter fratres meos & próximos meos, loquébar pacem de te, Jerúsalem.

II. Psalmus 126.

Frustrà laborat, qui sine Deo laborat.

1. NIsi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt, qui ædíficant eam.

2. Nisi Dóminus custodíerit civitátem; * frustrà vígilat, qui custódit eam.

3. Vanum est vobis ante lucem súrgere: * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

4. Cùm déderit diléctis suis somnum, ecce heréditas Dómini, filii; * merces, fructus ventris.

5. Sicut sagittæ in manu poténtis, * ita filii excussórum.

6. Beátus vir qui implé-

vit desidérium suum ex ipsis : * non confundétur, cùm loquétur inimícis suis in portâ.

Ant. Ecce herédítas Dómini, filii ; merces, fructus ventris.

III. PSALMUS 132.

Fraterna concordia beatitudo.

1. ECce quàm bonum & quàm jucundum, * habitáre fratres in unum!

2. Sicut unguentum in cápite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, * quod descendit in oram vestimenti ejus ;

3. Sicut ros Hermon, * qui descendit in montem Sion.

4. Quóniam illìc mandávit DÓMINUS benedictiónem, * & vitam usque in séculum.

Ant. Quàm bonum & quàm jucundum, habitáre fratres in unum !

IV. PSALMUS 140.

Justus orat, ut sit in tribulatione patiens, & tutus ab inimicis. Vox Christi in cruce.

1. DOMINE, clamávi ad te ; exaudi me : * intende voci meæ, cùm clamávero ad te.

2. Dirigátur orátio mea sicut incensum in conspectu tuo : * elevátio mánuum meárum sacrificium vespertinum.

3. Pone, DÓMINE, custódiam ori meo, * & óstium circumstántiæ lábiis meis.

4. Non declínes cor meū in verba malítiæ, ad excusandas excusatiónes in peccátis, cum homínibus operántibus iniquitátem : * & non communicábo cum electis eórum.

5. Corrípiet me justus in misericórdiâ, & increpábit me ; óleum autem peccatóris non impinguet caput meum ; * quóniam adhùc & orátio mea in beneplácitis eórum.

6. Absorpti sunt juncti petræ júdices eórum : * áudient verba mea, quóniam potuérunt.

7. Sicut crassitúdo terræ erupta est super terram ; * dissipáta sunt ossa nostra secus infernum.

8. Quia ad te, DÓMINE Dómine, óculi mei : * in te sperávi ; non áuferas ánimam meam.

9. Custódi me à láqueo quem statuérunt mihi, * & à scándalis operántium iniquitátem.

10. Cadent in retiáculo ejus peccatóres : * singuláriter sum ego donec tránseam.

Ant. In misericórdiâ justus increpábit me : óleum autem peccatóris non impinguet caput meum.

Temp. Pasch. Ant. unica. Christus est caput córporis Ecclésiæ, qui est princípiū,

Primogénitus ex mórtuis, ut sit in ómnibus ipse primátum tenens. Allelúia. *Coloss.* 1.

Lectio, ℟. *br. Hymnus*, ℣. *Ant. ad* Magníficat. & *Collecta ut in Proprio.*

AD COMPLETORIUM.

PSALMUS 34.

Christus adversùs testes iniquos auxilium Patris implorat.

1. JUdica, DÓMINE, nocentes me: * expugna impugnantes me.

2. Apprehende arma & scutum; * & exsurge in adjutórium mihi.

3. Effunde frámeam, & conclúde adversùs eos qui persequuntur me: * dic ánimæ meæ: Salus tua ego sum.

4. Confundantur & revereantur, * quærentes ánimam meam:

5. Avertantur retrorsùm, & confundantur, * cogitantes mihi mala.

6. Fiant tamquàm pulvis ante fáciem venti; * & Angelus DÓMINI coarctans eos.

7. Fiat via illórum ténebræ & lúbricum; * & Angelus DÓMINI pérsequens eos.

8. Quóniam gratìs absconderunt mihi intéritum láquei sui: * supervácuè exprobravérunt ánimam meam.

9. Véniat illi láqueus quem ignórat; & cáptio quam abscondit, apprehendat eum; * & in láqueum cadat in ipsum.

10. Anima autem mea exsultábit in DÓMINO; * & delectábitur super salutári suo.

11. Omnia ossa mea dicent: * DÓMINE, quis símilis tibi,

12. Erípiens ínopem de manu fortiórum ejus; * egénum & páuperem à diripiéntibus eum?

Divisio Psalmi 34.

13. SUrgentes testes iníqui, * quæ ignorábam, interrogábant me.

14. Retribuébant mihi mala pro bonis, * sterilitátem ánimæ meæ.

15. Ego autem, cùm mihi molesti essent, * induébar cilício.

16. Humiliábam in jejúnio ánimam meam; * & orátio mea in sinu meo convertétur.

17. Quasi próximum, & quasi fratrem nostrum, sic complacébam: * quasi lugens & contristátus, sic humiliábar.

18. Et adversùm me lætáti sunt, & convenérunt: * congregáta sunt super me flagella, & ignorávi.

19. Dissipáti sunt, nec compuncti; tentavérunt me subsannavérunt me subsannatióne; * frenduérunt super me déntibus suis.

20. Dómine, quandò re-

ſpícies? * reſtítue ánimam meam à malignitáte eórum, à leónibus únicam meam.

21. Confitébor tibi in ecclésiâ magnâ; * in pópulo gravi laudábo te.

22. Non ſupergáudeant mihi qui adverſantur mihi iníquè; * qui odérunt me gratìs, & ánnuunt óculis.

23. Quóniam mihi quidem pacíficè loquebantur; * & in iracúndiâ terræ loquentes, dolos cogitábant.

24. Et dilatavérunt ſuper me os ſuum; * dixérunt: Euge, euge, vidérunt óculi noſtri.

25. Vidiſti, DÓMINE, ne síleas: * Dómine, ne diſcédas à me.

Diviſio Pſalmi 34.

26. EXſurge, & intende judício meo: * Deus meus, & Dóminus meus, in cauſam meam.

27. Júdica me ſecundùm juſtítiam tuam, DÓMINE Deus meus; * & non ſupergáudeant mihi.

28. Non dicant in córdibus ſuis: Euge, euge, ánimæ noſtræ; * nec dicant: Devorávimus eum.

29. Erubeſcant & revereantur ſimul, qui gratulantur malis meis: * induantur confuſióne & reveréntiâ, qui magna loquuntur ſuper me.

30. Exſultent & lætentur qui volunt juſtítiam meã; * & dicant ſemper, Magnificétur DÓMINUS, qui volunt pacem ſervi ejus.

31. Et lingua mea meditábitur juſtítiam tuam, * totâ die laudem tuam.

Cant. Nunc dimittis.

FERIA QUARTA.

Spes in Deum & fiducia: Chriſtus miſericordiæ largitor.

AD OFFICIUM NOCT.

Ant. in Pſ. Veníte. *& Hymnus ut in Proprio.*

IN I. NOCTURNO.

I. PSALMUS 9.

Eccleſia de victoriis jam reportatis gratias agit, pro reportandis opem poſcit.

1. COnfitébor tibi, DÓMINE, in toto corde meo: * narrábo ómnia mirabília tua.

2. Lætábor & exſultábo in te: * pſallam nómini tuo, Altíſſime:

3. In convertendo inimícum meum retrorsùm; * infirmabuntur & períbunt à fácie tuâ.

4. Quóniam feciſti judícium meum & cauſam meam: * ſediſti ſuper thronum, qui júdicas juſtítiam.

5. Increpaſti gentes, & périit ímpius: * nomen eórum deleſti in æternum & in ſǽculum ſǽculi.

6. Inimíci defecérunt frámeæ in finem; & civitátes eórum destruxisti: * périit memória eórum cum sónitu.

7. Et Dóminus in ætérnum pérmanet: * parávit in judício thronum suum.

8. Et ipse judicábit orbem terræ in æquitáte; * judicábit pópulos in justítiâ.

9. Et factus est Dóminus refúgium páuperi, * adjútor in opportunitátibus, in tribulatióne:

10. Et sperent in te qui novérunt nomen tuum, * quóniam non dereliquisti quærentes te, Dómine.

11. Psállite Dómino, qui hábitat in Sion: * annuntiáte inter gentes stúdia ejus.

12. Quóniam requírens sánguinum, eórum recordátus est: * non est oblítus clamórem páuperum.

Ant. Sperent in te qui novérunt nomen tuum; quóniam non dereliquisti quærentes te, Dómine.

II. *Divisio Psalmi 9.*

13. Miserére meî, Dómine, * vide humilitátem meam de inimícis meis, qui exaltas me de portis mortis:

14. Ut annúntiem omnes laudatiónes tuas in portis fíliæ Sion; * exsultábo in salutári tuo.

15. Infixæ sunt gentes in intéritu quem fecérunt: * in láqueo isto quem abscondérunt, comprehensus est pes eórum.

16. Cognoscétur Dóminus judícia fáciens: * in opéribus mánuum suárum comprehensus est peccátor.

17. Convertantur pecca tóres in inférnum, * omnes gentes quæ obliviscuntur Deum.

18. Quóniam non in finem oblívio erit páuperis: * patiéntia páuperum non períbit in finem.

19. Exsurge, Dómine, non confortétur homo: * judicentur gentes in conspectu tuo.

20. Constítue, Dómine, legislatórem super eos; * ut sciant gentes quóniam hómines sunt.

Ant. Non in finem oblívio erit páuperis: patiéntia páuperum non períbit in finem.

III. *Divisio Psalmi 9.*

21. Ut quid, Dómine, recessisti longè; * déspicis in opportunitátibus, in tribulatióne?

22. Dùm superbit ímpius, incénditur pauper: * comprehenduntur in consíliis quibus cógitant.

23. Quóniam laudátur peccátor in desidériis ánimæ suæ; * & iníquus benedícitur.

24. Exacerbávit Dóminum peccátor: * secundùm multitúdinem iræ suæ non quæret.

multitúdine operántium iniquitatem.

3. Quia exacuérunt ut gládium linguas suas : * intendérunt arcum, rem amáram :

4. Ut sagittent in occultis immaculátum : * súbitò sagittábunt eum, & non timébunt.

5. Firmavérunt sibi sermónem nequam ; narravérunt ut abscónderent láqueos : * dixérunt : Quis vidébit eos ?

6. Scrutáti sunt iniquitátes : * defecérunt scrutántes scrutínio.

7. Accédet homo ad cor altum ; * & exaltábitur Deus.

8. Sagittæ parvulórum factæ sunt plagæ eórum ;* & infirmátæ sunt contra eos linguæ eórum.

9. Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos ; * & tímuit omnis homo.

10. Et annuntiavérunt ópera Dei ; * & facta ejus intellexérunt.

11. Lætábitur justus in DÓMINO, & sperábit in eo ; * & laudabuntur omnes recti corde.

Ant. Lætábitur justus in Dómino, & sperábit in eo, & laudabuntur omnes recti corde.

Temp. Pasch. Ant. unica. Per Christum fidéles estis in Deo, qui suscitávit eum à mórtuis, & dedit ei glóriam, ut fides vestra & spes esset in Deo. Allel *I. Petr.* 1.

℣. Beneplácitum est : mino super timentes eu

℟. Et in eis qui sperant si misericórdiâ ejus. *Ps.* :

Absolutio. Deus spei pleat vos omni gáudic pace in credendo, ut ab détis in spe & virtúte S tús Sancti. *Rom.* 15.

℟. Amen.

Benedictiones ad ca Psalterii.

IN II. NOCTURI

I. PSALMUS 77

Beneficia Judæis olim, stita immensam Dei sericordiam prædica

1. ADténdite, pó meus, legem mı inclináte aurem vestraı verba oris mei.

2. Apériam in parál os meum : * loquar ı positiónes ab inítio.

3. Quanta audívimu cognóvimus ea, * & tres nostri narravérunt bis.

4. Non sunt occultá filiis eórum, * in gen tióne álterâ :

5. Narrantes laudes MINI, & virtútes ejus & mirabília ejus, qua cit.

6. Et suscitávit testi nium in Jacob, * & le pósuit in Israel :

7. Quanta mandávit tribus nostris, nota fá

ea filiis suis; * ut cognoscat generátio áltera:

8. Fílii qui nascentur, & exsurgent, * & narrábunt filiis suis:

9. Ut ponant in Deo spem suam; & non obliviscantur óperum Dei; * & mandáta ejus exquírant:

10. Ne fiant sicut patres eórum, * generátio prava & exásperans:

11. Generátio quæ non direxit cor suum; * & non est créditus cum Deo spíritus ejus.

II. *Divisio Psalmi* 77.

12. FIlii Ephraim intendentes & mittentes arcum, * conversi sunt in die belli.

13. Non custodiérunt testamentum Dei; * & in lege ejus noluérunt ambuláre;

14. Et oblíti sunt benefactórum ejus, * & mirabílium ejus quæ ostendit eis.

15. Coram pátribus eórum fecit mirabília in terrâ Ægypti, * in campo Táneos.

16. Interrúpit mare, & perduxit eos; * & státuit aquas quasi in utre:

17. Et deduxit eos in nube per diem, * & totâ nocte in illuminatióne ignis.

18. Interrúpit petram in erémo; * & adaquávit eos velut in abysso multâ:

19. Et eduxit aquam de petrâ; * & deduxit tamquàm flúmina aquas.

20. Et apposuérunt adhuc peccáte ei: * in iram excitavérunt Excelsum in inaquóso.

21. Et tentavérunt Deum in córdibus suis; * ut péterent escas animábus suis.

22. Et malè locúti sunt de Deo: * dixérunt: Numquid póterit Deus paráre mensam in deserto?

23. Quóniam percussit petram, & fluxéruntaquæ * & torrentes inundavérunt.

24. Numquid & panem póterit dare, * aut paráre mensam pópulo suo?

25. Ideò audívit DÓMINUS, & dístulit; & ignis accensus est in Jacob; * & ira ascendit in Israel.

26. Quia non credidérunt in Deo; * nec speravérunt in salutári ejus.

27. Et mandávit núbibus désuper; * & jánuas cœli apéruit.

28. Et pluit illis manna ad manducandum; * & panem cœli dedit eis.

29. Panem Angelórum manducávit homo; * cibária misit eis in abundántiâ.

III. *Divisio Psalmi* 77.

30. TRánstulit Austrum de cœlo; * & induxit in virtúte suâ Africum.

31. Et pluit super eos sicut púlverem carnes, * & sicut

arénam maris volatília pennáta.

32. Et cecidérunt in médio castrórum eórum, * circa tabernácula eórum.

33. Et manducavérunt, & saturáti sunt nimis; & desidérium eórum ádtulit eis: * non sunt fraudáti à desidério suo.

34. Adhuc escæ eórum erant in ore ipsórum; * & ira Dei ascendit super eos.

35. Et occídit pingues eórum; * & electos Israel impedívit.

36. In ómnibus his peccavérunt adhuc; * & non credidérunt in mirabílibus ejus.

37. Et defecérunt in vanitáte dies eórum, * & anni eórum cum festinatióne.

38. Cùm occíderet eos, quærébant eum; * & revertebantur, & dilúculo veniébant ad eum.

39. Et rememoráti sunt quia Deus adjútor est eórum; * & Deus excelsus redemptor eórum est.

40. Et dilexérunt eum in ore suo; * & linguâ suâ mentíti sunt ei.

41. Cor autem eórum non erat rectum cum eo;* nec fidéles hábiti sunt in testamento ejus.

42. Ipse autem est miséricors, & propítius fiet peccátis eórum; * & non disperdet eos.

IV. *Divisio Psalmi* 77. ℟

43. ABundávit ut avérteret iram suam; * & non accendit omnem iram suam:

44. Et recordátus est quia caro sunt, * spíritus vadens, & non rédiens.

45. Quóties exacerbavérunt eum in deserto? * in iram concitavérunt eum in inaquóso?

46. Et conversi sunt, & tentavérunt Deum; * & Sanctum Israel exacerbavérunt.

47. Non sunt recordáti manûs ejus, * die quâ redémit eos de manu tribulantis:

48. Sicut pósuit in Ægypto signa sua,* & prodígia sua in campo Táneos.

49. Et convertit in sánguinem flúmina eórum,*& imbres eórum ne bíberent.

50. Misit in eos cœnomyiam, & comédit eos; * & ranam, & dispérdidit eos.

51. Et dedit ærúgini fructus eórum; * & labóres eórum locustæ.

52. Et occídit in grándine víneas eórum,* & moros eórum in pruínâ.

53. Et trádidit grándini jumenta eórum, * & possessiónem eórum igni.

54. Misit in eos iram indignatiónis suæ, indignatiónem, & iram, & tribulatiónem, * immissiónes per ángelos malos.

55. Viam fecit sémitæ iræ

suæ, & non pepercit à morte animábus eórum; * & jumenta eórum in morte conclúsit.

56. Et percussit omne primogénitum in terrá Ægypti, * primítias omnis labóris eórum in tabernáculis Cham.

V. *Divisio Psalmi* 77. Et

57. ABstulit sicut oves pópulum suum; * & perduxit eos tamquàm gregem in deserto.

58. Et deduxit eos in spe, & non timuérunt; * & inimícos eórum opéruit mare.

59. Et induxit eos in montem sanctificatiónis suæ, * montem quem acquisívit déxtera ejus.

60. Et ejécit à fácie eórum gentes; * & sorte divísit eis terram in funículo distributiónis;

61. Et habitáre fecit in tabernáculis eórum, * tribus Israel.

62. Et tentavérunt & exacerbavérunt Deum excelsum; * & testimónia ejus non custodiérunt.

63. Et avertérunt se, & non servavérunt pactum, quemádmodum patres eórum; * conversi sunt in arcum pravum.

64. In iram concitavérunt eum in cóllibus suis; * & in sculptílibus suis ad æmulatiónem eum provocavérũt.

65. Audívit Deus, & sprevit; * & ad níhilum redégit valdè Israel.

66. Et répulit tabernáculum Silo, * tabernáculum suum, ubi habitávit in homínibus.

67. Et trádidit in captivitátem virtútem eórum; * & pulchritúdinem eórum in manus inimíci.

68. Et conclúsit in gládio pópulum suum; * & hereditátem suam sprevit.

69. Júvenes eórum comédit ignis; * & vírgines eórum non sunt lamentátæ.

70. Sacerdótes eórum in gládio cecidérunt; * & viduæ eórũ non plorabantur.

VI. *Divisio Psalmi* 77. Et

71. EXcitátus est tamquàm dórmiens Dóminus, * tamquàm potens crapulátus à vino.

72. Et percussit inimícos suos in posterióra: * oppróbrium sempitérnum dedit illis.

73. Et répulit tabernáculum Joseph; * & tribum Ephraim non elégit;

74. Sed elégit tribum Juda, * montem Sion, quem diléxit.

75. Et ædificávit sicut unicórnium sanctificium suum in terrâ, * quam fundávit in sécula.

76. Et elégit David servum suum, & sustulit eum de grégibus óvium, * de post fœtantes accépit eum:

77. Páscere Jacob servum suum, * & Israel hereditátem suam:

78. Et pavit eos in inno-

céntiâ cordis sui; * & in intelléctibus mánuum suárum deduxit eos.

Ant. Filii qui nascentur, narrábunt filiis suis; ut ponant in Deo spem suam, & non obliviscantur óperum Dei.

Temp. Pasch. Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Lectio, ℣. & Collecta ut in Proprio.

AD LAUDES.

I. PSALMUS 5.

Ecclesia à Deo summè justo adversùs iniquos opem deprecatur.

1. VErba mea áuribus pércipe, DÓMINE:* intéllige clamórem meum.

2. Intende voci oratiónis meæ, Rex meus & Deus meus; * quóniam ad te orábo.

3. DÓMINE, manè exáudies vocem meam: * manè adstábo tibi, & vidébo.

4. Quóniam non Deus volens iniquitátem tu es; neque habitábit juxta te malignus, * neque permanébunt injusti ante óculos tuos.

5. Odisti omnes qui operantur iniquitátem: perdes omnes qui loquuntur mendácium: * virum sanguinum & dolósum abominábitur DÓMINUS.

6. Ego autem, in multitúdine misericórdiæ tuæ introíbo in domum tuam; * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

7. DÓMINE, deduc me in justítiâ tuâ: * propter inimícos meos dírige in conspectu tuo viam meam.

8. Quóniam non est in ore eórum véritas: * cor eórum vanum est.

9. Sepulcrum patens est guttur eórum; linguis suis dolósè agébant: * júdica illos, Deus.

10. Décidant à cogitatiónibus suis: secundùm multitúdinem impietátum eórum expelle eos; * quóniam irritavérunt te, Dómine.

11. Et lætentur omnes qui sperant in te: * in ætérnum exsultábunt, & habitábis in eis.

12. Et gloriabuntur in te omnes qui díligunt nomen tuum; * quóniam tu benedíces justo.

13. DÓMINE, ut scuto bonæ voluntátis tuæ, * coronasti nos.

Ant. Omnes qui sperant in te, Dómine, in æternum exsultábunt, & habitábis in eis.

II. PSALMUS 64.

Summa Dei beneficentia, qui fidelibus suis cibum parat: Ecclesiæ fœcunditas.

1. TE decet hymnus, Deus, in Sion; * & tibi reddétur votum in Jerúsalem.

2. Exaudi oratiónem meam; * ad te omnis caro véniet.

3. Verba iniquórum prævaluérunt super nos; * & impietátibus nostris tu propitiáberis.

4. Beátus quem elegisti, & assumpsisti: * inhabitábit in átriis tuis.

5. Replébimur in bonis domûs tuæ: * sanctum est templum tuum, mirábile in æquitáte.

6. Exaudi nos, Deus salutáris noster, * spes ómnium finium terræ, & in mari longè:

7. Præparans montes in virtúte tuâ, accinctus poténtiâ; * qui conturbas profundum maris, sonum flúctuum ejus.

8. Turbabuntur gentes, & timébunt qui hábitant términos à signis tuis: * éxitus matutíni & vésperæ delectábis.

9. Visitasti terram, & inebriasti eam: * multiplicasti locupletáre eam.

10. Flumen Dei replétum est aquis; parasti cibum illórum; * quóniam ita est præparátio ejus.

11. Rivos ejus inébria; multíplica genímina ejus: * in stillicídiis ejus lætábitur gérminans.

12. Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ; * & campi tui replebuntur ubertáte.

13. Pinguescent speciósa deserti; * & exsultatióne colles accingentur.

14. Indúti sunt aríetes óvium; & valles abundábunt frumento: * clamábunt, étenim hymnum dicent.

Ant. Exaudi nos, Deus salutáris noster, spes ómnium finium terræ.

III. PSALMUS 91.

Laudandus Deus, in opéribus suis magnificus, justus in judiciis.

1. BOnum est confitéri DÓMINO, * & psállere nómini tuo, Altíssime:

2. Ad annuntiandum manè misericórdiam tuam, * & veritátem tuam per noctem;

3. In decachordo & psaltério, * cum cántico, in cítharâ.

4. Quia delectasti me, DÓMINE, in factúrâ tuâ; * & in opéribus mánuum tuárum exsultábo.

5. Quàm magnificáta sunt ópera tua, DÓMINE! * nimìs profundæ factæ sunt cogitatiónes tuæ.

6. Vir insípiens non cognoscet; * & stultus non intélliget hæc:

7. Cùm exorti fúerint peccatóres sicut fenum, & apparúerint omnes qui operantur iniquitátem; * ut intéreant in séculum séculi.

8. Tu autem Altíssimus * in æternum, DÓMINE.

9. Quóniam ecce inimíci tui, DÓMINE, quóniam

ecce inimíci tui períbunt; * & dispergentur omnes qui operantur iniquitátem.

10. Et exaltábitur sicut unicornis cornu meum; * & senectus mea in misericórdiâ úberi.

11. Et despexit óculus meus inimícos meos; * & in insurgéntibus in me malignántibus áudiet auris mea.

12. Justus ut palma florébit: * sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

13. Plantáti in domo Dómini, in átriis domûs Dei nostri florébunt: * adhuc multiplicabuntur in senectâ úberi.

14. Et benè patientes erunt, ut annúntient quóniam rectus Dóminus Deus noster; * & non est iníquitas in eo.

Ant. Bonum est psállere nómini tuo, Altíssime, ad annuntiandum manè misericórdiam tuam.

IV. Canticum. *Is.* 12.

Gratiarum actio pro beneficiis Christi Salvatoris.

1. Confitébor tibi, Dómine, quóniam irátus es mihi; * conversus est furor tuus, & consolátus es me.

2. Ecce Deus Salvátor meus: * fiduciáliter agam, & non timébo.

3. Quia fortitúdo mea & laus mea, Dóminus; * & factus est mihi in salútem.

4. Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris; & dicétis in die illâ: * Confitémini Dómino, & invocáte nomen ejus.

5. Notas fácite in pópulis adinventiónes ejus: * meméntote quóniam excelsum est nomen ejus.

6. Cantáte Dómino, quóniam magnífìcè fecit: * annuntiáte hoc in universâ terrâ.

7. Exsulta & lauda, habitátio Sion; * quia magnus in médio tuî Sanctus Israel.

Ant. Ecce Deus Salvátor meus: fiduciáliter agam, & non timébo.

V. Psalmus 145.

Non in homine, sed in solo Deo confidendum.

1. Lauda, ánima mea, Dóminum: laudábo Dóminum in vitâ meâ; * psallam Deo meo quámdiù fúero.

2. Nolíte confídere in princípibus, * in filiis hóminum, in quibus non est salus.

3. Exíbit spíritus ejus, & revertétur in terram suã: * in illâ die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

4. Beátus cujus Deus Jacob adjútor ejus, spes ejus in Dómino Deo ipsíus; * qui fecit cœlum & terram, mare, & ómnia quæ in eis sunt.

5. Qui custódit veritátem in séculum, facit judícium injúriam patiéntibus, * dat escam esuriéntibus.

6. Dóminus solvit com-

peditos; * Dóminus illúminat cæcos:

7. Dóminus érigit elísos; * Dóminus díligit justos.

8. Dóminus custódit ádvenas, pupillum & víduam suscípiet; * & vias peccatórum disperdet.

9. Regnábit Dóminus in sécula, * Deus tuus, Sion, in generatiónem & generatiónem.

Ant. Beátus cujus Deus Jacob adjútor ejus, spes ejus in Dómino Deo ipsius.

Temp. Pasch. Ant. unica. Si mórtui sumus cum Christo, crédimus quia simul étiam vivémus cum Christo. Allelúia. *Rom. 6.*

Lectio, ℟. br. Hymnus, ℣. Ant. ad Benedictus. *& Collecta ut in Proprio.*

AD PRIMAM.

PSALMUS 30.

Vox Christi morientis, & spiritum suum Patri commendantis.

1. In te, Dómine, sperávi; non confúndar in ætemum: * in justítiâ tuâ líbera me.

2. Inclína ad me aurem tuam: * accélera ut éruas me.

3. Esto mihi in Deum protectórem, & in domum refúgii; * ut salvum me fácias.

4. Quóniam fortitúdo mea & refúgium meum es tu; * & propter nomen tuum dedúces me, & enútries me.

5. Edúces me de láqueo hoc, quem abscondérunt mihi; * quóniam tu es protector meus.

6. In manus tuas commendo spíritum meum: * redemísti me, Dómine Deus veritátis.

7. Odísti observantes vanitátes supervácuè; * ego autem in Dómino sperávi.

8. Exsultábo & lætábor in misericórdiâ tuâ: * quóniam respexísti humilitátem meam; salvasti de necessitátibus ánimam meam;

9. Nec conclusísti me in mánibus inimíci; * statuísti in loco spatióso pedes meos.

Divisio Psalmi 30.

10. Miserére meî, Dómine; quóniam tríbulor: * conturbátus est in irâ óculus meus, ánima mea & venter meus.

11. Quóniam defécit in dolóre vita mea, * & anni mei in gemítibus.

12. Infirmáta est in paupertáte virtus mea, * & ossa mea conturbáta sunt.

13. Super omnes inimícos meos factus sum oppróbrium, & vicínis meis valdè, * & timor notis meis.

14. Qui vidébant me foràs, * fugérunt à me.

15. Oblivióni datus sum tamquàm mórtuus à cor-

de : * factus sum tamquàm vas pérditum :

16. Quóniam audívi vituperatiónem multórum commorántium in circúitu : * in eo dùm convenírent simul advérsùm me, accípere ánimam meam consiliáti sunt.

17. Ego autem in te sperávi, DÓMINE : * dixi : Deus meus es tu ; in mánibus tuis sortes meæ.

18. Eripe me de manu inimicórum meórum, * & à persequéntibus me.

19. Illustra fáciem tuam super servum tuum ; * salvum me fac in misericórdiâ tuâ.

20. DÓMINE, non confundar, quóniam invocávi te : * erubescant ímpii, & deducantur in infernum.

21. Muta fiant lábia dolósa ; * quæ loquuntur advérsùs justum iniquitátem, in supérbiâ & in abusióne.

Divisio Psalmi 30.

22. QUàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, quam abscondisti timéntibus te : * perfecisti eis qui sperant in te, in conspectu filiórum hóminum !

23. Abscondes eos in abscóndito faciéi tuæ, à conturbatióne hóminum : * próteges eos in tabernáculo tuo, à contradictióne linguárum.

24. Benedictus DÓMINUS ; * quóniam mirificávit misericórdiam suam mihi in civitáte muníta.

25. Ego autem dixi in excessu mentis meæ : * Projectus sum à fácie oculórum tuórum.

26. Ideò exaudisti vocem oratiónis meæ, * dùm clamárem ad te.

27. Dilígite DÓMINUM, omnes sancti ejus ; * quóniam veritátem requíret DÓMINUS, & retríbuet abundanter faciéntibus supérbiam.

28. Viríliter ágite, & confortétur cor vestrum, * omnes qui sperátis in DÓMINO.

Ant. Ego in Dómino sperávi : exsultábo & lætábor in misericórdiâ tuâ.

Temp. Pasch. Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

AD TERTIAM.

PSALMUS 10.

Animæ in Deo confidentis securitas.

1. IN DÓMINO confído : * quómodò dícitis ánimæ meæ : Tránsmigra in montem sicut passer ?

2. Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum ; paravérunt sagittas suas in pháretrâ ; * ut sagittent in obscúro rectos corde.

3. Quóniam quæ perfecisti, destruxérunt ; * justus autem quid fecit ?

4. DÓMINUS in templo

sancto suo; * DOMINUS in cœlo sedes ejus:

5. Oculi ejus in páuperem respíciunt; * pálpebræ ejus intérrogant filios hóminum.

6. DOMINUS intérrogat justum & ímpium; * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

7. Pluet super peccatóres láqueos: * ignis, & sulphur, & spíritus procellárum, pars cálicis eórum.

8. Quóniam justus DOMINUS, & justítias dilexit: * æquitátem vidit vultus ejus.

PSALMUS 119.

Justus patiens vitæ præsentis miserias, luget, & ad patriam suspirat.

1. AD DOMINUM, cùm tribulárer, clamávi; * & exaudívit me.

2. DOMINE, líbera ánimam meam à lábiis iníquis, * & à linguâ dolósâ.

3. Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi, * ad linguam dolósam?

4. Sagittæ potentis acútæ, * cum carbónibus desolatóriis.

5. Heu mihi! quia incolátus meus prolongátus est: habitávi cum habitántibus Cedar; * multùm íncola fuit ánima mea.

6. Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus: * cùm loquébar illis, impugnábant me gratis.

PSALMUS 122.

Mens in Deum erigenda tempore tribulationis.

1. AD te levávi óculos meos, * qui hábitas in cœlis.

2. Ecce sicut óculi servórum in mánibus dominórum suórum; * sicut óculi ancillæ in mánibus dóminæ suæ:

3. Ita óculi nostri ad DOMINUM Deum nostrum, * donec misereátur nostrî.

4. Miserére nostrî, DOMINE, miserére nostrî; * quia multùm repléti sumus despectióne;

5. Quia multùm repléta est ánima nostra, * oppróbrium abundántibus, & despéctio supérbis.

Ant. Dóminus in cœlo sedes ejus; óculi ejus in páuperem respíciunt.

Temp. Pasch. Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Lectio, ℣. *& Collecta ut in Proprio.*

AD SEXTAM.

PSALMUS 41.

Christianus in hoc mundo exsul ad cælestem anhelans patriam: spe salvus est.

1. QUemádmodùm desíderat cervus ad fontes aquárum, * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

2. Sitívit ánima mea ad Deum, Fortem vivum; *

quando véniam, & apparébo ante fáciem Dei?

3. Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte, * dùm dícitur mihi quotídiè: Ubi est Deus tuus?

4. Hæc recordátus sum, & effudi in me ánimam meam; * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei:

5. In voce exsultatiónis & confessiónis? * sonûs epulantis.

6. Quare tristis es, ánima mea? * & quare conturbas me?

7. Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultûs mei, & Deus meus.

Divisio Psalmi 41.

8. AD meipsum ánima mea côturbáta est: * proptéreà memor ero tuî de terrâ Jordánis & Hermóniim, à monte módico.

9. Abyssus abyssum ínvocat in voce cataractárum tuárum: * ómnia excelsa tua & fluctus tui super me transiérunt.

10. In die mandávit DÓMINUS misericórdiam suã; & nocte cánticum ejus: * apud me orátio Deo vitæ meæ.

11. Dicam Deo: Suscéptor meus es; quare oblítus es meî? * & quare contristátus incédo, dùm afflígit me inimícus?

12. Dùm confringuntur ossa mea, * exprobravérunt mihi, qui tribulant me, inimíci mei;

13. Dùm dicunt mihi per síngulos dies: * Ubi est Deus tuus?

14. Quare tristis es, ánima mea? * & quare conturbas me?

15. Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultûs mei, & Deus meus.

PSALMUS 42.

In Deo sperandum: Deo duce ad Altare ejus introeundum.

1. JUdica me, Deus, & discerne causam meã de gente non sanctâ; * ab hómine iníquo & dolóso érue me;

2. Quia tu es, Deus, fortitúdo mea; quare me repulisti? * & quare tristis incédo, dùm affligit me inimícus?

3. Emitte lucem tuam & veritátem tuam; * ipsa me deduxérunt & adduxérunt in montem sanctum tuum, & in tabernácula tua.

4. Et introíbo ad altáre Dei, * ad Deum, qui lætíficat juventútem meam.

5. Confitébor tibi in cítharâ, Deus, Deus meus; * quare tristis es, ánima mea, & quare conturbas me?

6. Spera in Deo; quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultûs mei, & Deus meus.

Ant. Spera in Deo, áni-

ma mea : salutáre vultûs mei, & Deus meus.

Temp. Pasch. Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Lectio, ℣. *& Collecta ut in Proprio.*

AD NONAM.

PSALMUS 12.

Ab hominibus ipsoque Deo quodammodo destitutus, animam tamen justus non despondet.

1. USquequò, DÓMINE, oblivisceris me in finem? * úsquequò avertes fáciem tuam à me?

2. Quámdiù ponam consília in ánimâ meâ, dolórem in corde meo per diē?* úsquequò exaltábitur inimícus meus super me?

3. Réspice & exaudi me, DÓMINE Deus meus: * illúmina óculos meos, ne unquàm obdórmiam in morte.

4. Nequandò dicat inimícus meus: Præválui adversùs eum: * qui tríbulant me, exsultábunt si motus fúero.

5. Ego autem in misericórdiâ tuâ sperávi: * exsultábit cor meum in salutári tuo.

6. Cantábo DÓMINO, qui bona tríbuit mihi; * & psallam nómini Dómini altíssimi.

PSALMUS 31.

Misericordia Dei peccatorem per gratiam suam justificantis.

1. BEáti quorum remissæ sunt iniquitátes, * & quorum tecta sunt peccáta!

2. Beátus vir cui non imputávit DÓMINUS peccátum; * nec est in spíritu ejus dolus!

3. Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea, * dùm clamárem totâ die.

4. Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua; * conversus sum in ærumnâ meâ, dùm configitur spina.

5. Delictum meum cógnitum tibi feci; * & injustítiam meam non abscondi.

6. Dixi: Confitébor adversùm me injustítiam meā DÓMINO; * & tu remisisti impietátem peccáti mei:

7. Pro hâc orábit ad te omnis sanctus, * in témpore opportúno.

8. Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

9. Tu es refúgium meum à tribulatióne quæ circúmdedit me: * exsultátio mea, érue me à circumdántibus me.

10. Intellectum tibi dabo, & ínstruam te in viâ hâc quâ gradiéris: * firmábo super te óculos meos.

11. Nolíte fieri sicut equus & mulus, * quibus non est intellectus.

12. In camo & freno maxillas eórum constringe, * qui non appróximant ad te.

13. Multa flagella peccatóris; * sperantem autem in Dómino misericórdia circúmdabit.

14. Lætámini in Dómino, & exsultáte, justi; * & gloriámini, omnes recti corde.

Psalmus 56.

Deus omni ope destituto certus auxiliator. Christi patientis oratio.

1. Miserére meî, Deus, miserére meî; * quóniam in te confídit ánima mea:

2. Et in umbrâ alárum tuárum sperábo, * donec tránseat iníquitas.

3. Clamábo ad Deum altíssimum, * Deum, qui benefécit mihi.

4. Misit de cœlo, & liberávit me: * dedit in oppróbrium conculcantes me.

5. Misit Deus misericórdiam suam & veritátem suam; & erípuit ánimam meam de médio catulórum leónum: * dormívi conturbátus.

6. Filii hóminum, dentes eórum arma & sagittæ, * & lingua eórum gládius acútus.

7. Exaltáre super cœlos, Deus; * & in omnem terram glória tua.

8. Láqueum paravérunt pédibus meis; * & incurvavérunt ánimam meam.

9. Fodérunt ante fáciem meam fóveam; * & incidérunt in eam.

10. Parátum cor meum, Deus, parátum cor meũ: * cantábo & psalmum dicam.

11. Exsurge, glória mea, exsurge, psaltérium & cíthara: * exsurgam dilúculo.

12. Confitébor tibi in pópulis, Dómine, * & psalmum dicam tibi in géntibus;

13. Quóniam magnificáta est usque ad cœlos misericórdia tua, * & usque ad nubes véritas tua.

14. Exaltáre super cœlos, Deus; * & super omnem terram glória tua.

Ant. Ego, Dómine, in misericórdiâ tuâ sperávi: exsultábit cor meum in salutári tuo.

Temp. Pasch. Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Lectio, ℣. & Collecta ut in Proprio.

AD VESPERAS.

I. Psalmus 129.

Oratio pœnitentis veniam à Deo per Christum postulantis.

1. De profundis clamávi ad te, Dómine: * Dómine, exaudi vocem meam.

2. Fiant aures tuæ intendentes, * in vocem deprecatiónis meæ.

3. Si iniquitátes obſervá-veris, DÓMINE ; * Dómine, quis ſuſtinébit ?

4. Quia apud te propitiátio eſt ; * & propter legem tuam ſuſtínui te, DÓMINE.

5. Suſtínuit ánima mea in verbo ejus ; * ſperávit ánima mea in Dómino.

6. A cuſtódiâ matutínâ uſque ad noctem, * ſperet Iſrael in DÓMINO ;

7. Quia apud DÓMINUM miſericórdia, * & copióſa apud eum redémptio :

8. Et ipſe rédimet Iſrael * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Ant. Suſtínuit ánima mea in verbo ejus ; ſperávit ánima mea in Dómino.

II. PSALMUS 130.

Non in ſe, ſed in Domino gloriandum.

1. DÓMINE, non eſt exaltátum cor meum ; * neque eláti ſunt óculi mei :

2. Neque ambulávi in magnis ; * neque in mirabílibus ſuper me.

3. Si non humíliter ſentiébam, * ſed exaltávi ánimam meam :

4. Sicut ablactátus eſt ſuper matre ſuâ, * ita retribútio in ánima mea.

5. Speret Iſrael in DÓMINO, * ex hoc nunc & uſque in ſéculum.

Ant. Speret Iſrael in Dómino, ex hoc nunc & uſque in ſéculum.

III. PSALMUS 136.

Iſrael in captivitate gemens ; lugens in ſeculo Chriſtianus ; ſuam uterque Jeruſalem deſiderat.

1. SUper flúmina Babylónis, illìc ſédimus & flévimus, * cùm recordarémur Sion.

2. In ſalícibus, in médio ejus, * ſuſpéndimus órgana noſtra :

3. Quia illìc interrogavérunt nos, qui captívos duxérunt nos, * verba cantiónum ;

4. Et qui abduxérunt nos : * Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

5. Quómodò cantábimus cánticum DÓMINI, * in terrâ aliénâ.

6. Si oblítus fúero tuî, Jerúſalem, * oblivióni detur déxtera mea.

7. Adhæreat lingua mea fáucibus meis, * ſi non memínero tuî,

8. Si non propoſúero Jerúſalem, * in princípio lætítiæ meæ.

9. Memor eſto, DÓMINE, filiórum Edom, * in die Jerúſalem ;

10. Qui dicunt: Exinaníte, exinaníte, * uſque ad fundamentum in eâ.

11. Fília Babylónis míſera, * beátus qui retríbuet tibi retributiónem tuam, quam retribuiſti nobis !

12. Beátus qui tenébit & allídet, * párvulos tuos ad petram !

Ant. Si oblítus fúero tuî, Jerúsalem, oblivióni detur déxtera mea.

IV. PSALMUS 141.

Justus humanâ ope destitutus, divinum implorat patrocinium; vox Christi patiéntis.

1. VOce meâ ad DÓMINUM clamávi: * voce meâ ad DÓMINUM deprecátus sum.

2. Effúndo in conspéctu ejus oratiónem meam; * & tribulatiónem meam ante ipsum pronúntio.

3. In deficiendo ex me spíritum meum; * & tu cognovísti sémitas meas.

4. In viâ hâc quâ ambulábam, * abscondérunt láqueum mihi.

5. Considerábam ad déxteram, & vidébam; * & non erat qui cognósceret me.

6. Périit fuga à me; * & non est qui requírat ánimam meam.

7. Clamávi ad te, DÓMINE, dixi: Tu es spes mea, * pórtio mea in terrâ vivéntium.

8. Intende ad deprecatiónem meam; * quia humiliátus sum nimìs.

9. Líbera me à persequéntibus me; * quia confortáti sunt super me.

10. Educ de custódiâ ánimam meam ad confiténdum nómini tuo: * me exspéctant justi, donec retríbuas mihi.

Ant. Tu es spes mea, Dómine: pórtio mea in terrâ vivéntium.

Temp. Pasch. Ant. unica. Si complantáti facti sumus, similitúdini mortis ejus, simul & resurrectiónis érimus. Allelúia. *Rom. 6.*

Lectio, ℟. breve, ℣. Ant. ad Magníficat. *& Collecta, ut in Proprio.*

AD COMPLETORIUM.

PSALMUS 45.

Ecclesia in se habens Deum inhabitantem, non commovebitur.

1. DEus noster refúgium & virtus, * adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

2. Proptéreà non timébimus dum turbábitur terra, * & transferentur montes in cor maris.

3. Sonuérunt, & turbátæ sunt aquæ eórum: * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

4. Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

5. Deus in médio ejus; non commovébitur: * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

6. Conturbátæ sunt gentes, & inclináta sunt regna; * dedit vocem suam, mota est terra.

7. DÓMINUS virtútum

nobiſcum; * ſuſceptor noſter Deus Jacob.

8. Veníte, & vidéte ópera DÓMINI, * quæ póſuit prodígia ſuper terram:

9. Auferens bella uſque ad finem terræ; arcum cónteret, & confringet arma; * & ſcuta combúret igni.

10. Vacáte & vidéte, quóniam ego ſum Deus: * exaltábor in géntibus, & exaltábor in terrâ.

11. DÓMINUS virtútum nobiſcum; * ſuſceptor noſter Deus Jacob.

PSALMUS 72.

Summa Dei in impios patientia, ſpes bonorum; argumentum de divinâ providentiâ.

1. QUàm bonus Iſrael Deus, * his qui recto ſunt corde!

2. Mei autem penè moti ſunt pedes; * penè effúſi ſunt greſſus mei.

3. Quia zelávi ſuper iníquos, * pacem peccatórum videns.

4. Quia non eſt reſpectus morti eórum; * & firmamentum in plagâ eórum.

5. In labóre hóminum non ſunt; * & cum homínibus non flagellabuntur.

6. Ideò ténuit eos ſupérbia: * óperti ſunt iniquitáte, & impietáte ſuâ.

7. Pródiit quaſi ex ádipe iníquitas eórum: * tranſiérunt in affectum cordis.

8. Cogitavérunt & locúti ſunt nequítiam: * iniquitátem in excelſo locúti ſunt.

9. Poſuérunt in cœlum os ſuum; * & lingua eórum transívit in terrâ.

10. Ideò convertétur pópulus meus hìc; * & dies pleni invenientur in eis.

11. Et dixérunt: Quómodò ſcit Deus? * &, Si eſt ſciéntia in Excelſo:

Diviſio Pſalmi 72.

12. ECce ipſi peccatóres & abundantes in ſǽculo, * obtinuérunt divítias.

13. Et dixi: Ergo ſine causâ juſtificávi cor meũ; * & lavi inter innocentes manus meas.

14. Et fui flagellátus totâ die; * & caſtigátio mea in matutínis.

15. Si dicébam: Narrábo ſic; * ecce natiónem filiórum tuórum reprobávi.

16. Exiſtimábam ut cognóſcerem hoc; * labor eſt ante me:

17. Donec intrem in ſanctuárium Dei, * & intélligam in noviſſimis eórum.

18. Verúmtamen propter dolos poſuiſti eis; * dejeciſti eos dum allevarentur.

19. Quómodò facti ſunt in deſolatiónem! * ſúbitò defecérunt; periérunt propter iniquitátem ſuam.

20. Velut ſómnium ſurgéntium, Dómine, * in ci-

vitáte tuâ imáginem ipsórum ad níhilum rédiges.

21. Quia inflammátum est cor meum; * & renes mei commutáti sunt.

22. Et ego ad níhilum redáctus sum, & nescivi; * ut juméntum factus sum apud te.

23. Et ego semper tecum: * tenuísti manum déxteram meam.

24. Et in voluntáte tuâ deduxísti me; * & cum glóriâ suscepísti me.

25. Quid enim mihi est in cœlo? * & à te quid vólui super terram?

26. Defécit caro mea & cor meum; * Deus cordis mei, & pars mea Deus in ætérnum.

27. Quia ecce qui elongant se à te, períbunt: * perdidísti omnes qui fornicantur abs te.

28. Mihi autem adhærére Deo bonum est, * pónere in Dómino Deo spem meam;

29. Ut annúntiem omnes prædicatiónes tuas, * in portis fíliæ Sion.

Cant. Nunc dimittis.

FERIA QUINTA.

Christus pascens nos fide & gratiâ.

AD OFFICIUM NOCT.

Ant. in Ps. Venite. & *Hymnus, ut in Proprio.*

IN I. NOCTURNO.

I. PSALMUS 8.

Mundus Verbo Dei creatus & redemptus; Christi excellentia, dignitas & gloria.

1. DOMINE Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in universâ terrâ!

2. Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cœlos.

3. Ex ore infántium & lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum & ultórem.

4. Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum, * lunam & stellas, quæ tu fundásti.

5. Quid est homo, quòd memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

6. Minuísti eum paulò minùs ab Angelis: * glóriâ & honóre coronásti eum;

7. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum: * ómnia subjecísti sub pédibus ejus.

8. Oves & boves univérsas, * ínsuper & pécora campi,

9. Vólucres cœli & pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

10. DÓMINE Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in universâ terrâ!

Ant. Eleváta est magnificéntia tua, Dómine, super cœlos.

II. PSALMUS 23.

Christi ascensio in cœlum; quibus virtutibus cum illo ascendamus?

1. DOMINI est terra & plenitúdo ejus, * orbis terrárum, & universi qui hábitant in eo;

2. Quia ipse super mária fundávit eum; * & super flúmina præparávit eum.

3. Quis ascendet in montem DÓMINI? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

4. Innocens mánibus, & mundo corde: * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

5. Hic accípiet benedictiónem à DÓMINO, * & misericórdiam à Deo salutári suo.

6. Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

7. Attóllite portas, príncipes, vestras; & elevámini, portæ æternáles; * & introíbit Rex glóriæ.

8. Quis est iste Rex glóriæ? * DÓMINUS fortis & potens; DÓMINUS potens in prælio.

9. Attóllite portas, príncipes, vestras; & elevámini, portæ æternáles; * & introíbit Rex glóriæ.

10. Quis est iste Rex glóriæ? * DÓMINUS virtútum ipse est Rex glóriæ.

Ant. Quis ascendet in montem Dómini? ínnocens mánibus & mundo corde.

III. PSALMUS 28.

Suprema Dei majestas: vox prædicationis evangelicæ.

1. AFferte DÓMINO, filii Dei: * afferte DÓMINO glóriam & honórem.

2. Afferte DÓMINO glóriam nómini ejus: * adoráte DÓMINUM in átrio sancto ejus.

3. Vox DÓMINI super aquas: * Deus majestátis intónuit; DÓMINUS super aquas multas.

4. Vox DÓMINI in virtúte! * vox DÓMINI in magnificéntiâ.

5. Vox DÓMINI confringentis cedros; * & confringet DÓMINUS cedros Líbani.

6. Et comminuet eas tamquàm vítulum Líbani, * & dilectus quemádmodùm filius unicórnium.

7. Vox DÓMINI intercidentis flammam ignis; * vox DÓMINI concutientis desertum; & commovébit DÓMINUS desertum Cades.

8. Vox DÓMINI præparantis cervos, & revelábit condensa; * & in templo ejus omnes dicent glóriam.

9. DÓMINUS dilúvium inhabitáre facit; * & sedébit DÓMINUS Rex in æternum.

10. DÓMINUS virtútem

pópulo suo dabit: * DÓMINUS benedícet pópulo suo in pace.

Ant. Sedébit Dóminus Rex in ætérnum: Dóminus virtútem pópulo suo dabit.

IV. PSALMUS 67.

Carmen triumphale de Christi & Ecclesiæ victoriis ab Ascensione Christi usque ad ultimum ejus adventum.

1. EXsurgat Deus, & dissipétur inimíci ejus, * & fúgiant qui odérunt eum, à fácie ejus.

2. Sicut déficit fumus, defíciant: * sicut fluit cera à fácie ignis, sic péreant peccatóres à fácie Dei.

3. Et justi epulentur, & exsultét in conspectu Dei; * & delectentur in lætítiâ.

4. Cantáte Deo; psalmũ dícite nómini ejus: * iter fácite ei qui ascendit super occásum.

5. DÓMINUS nomen illi: * exsultáte in conspectu ejus.

6. Turbabuntur à fácie ejus, * patris orphanórum & júdicis viduárum.

7. Deus in loco sancto suo; * Deus, qui inhabitáre facit unius moris in domo;

8. Qui edúcit vinctos in fortitúdine; * simíliter eos qui exásperant, qui hábitant in sepulcris.

9. Deus, cùm egrederéris in conspectu pópuli tui, * cùm pertransíres in deserto;

10. Terra mota est; * étenim cœli distillavérunt à fácie Dei Sínai, à fácie Dei Israel.

11. Plúviam voluntáriam segregábis, Deus, hereditáti tuæ: * & infirmáta est; tu verò perfecisti eam.

12. Animália tua habitábunt in eâ: * parasti in dulcédine tuâ páuperi, Deus.

Ant. Justi epulentur & exsultent in conspectu Dei, & delectentur in lætítiâ.

V. *Divisio Psalmi* 67.

13. DOminus dabit verbum evangelizántibus * virtúte multâ.

14. Rex virtútum dilecti dilecti; * & speciéi domûs divídere spólia.

15. Si dormiátis inter médios [focos, evolando exíbitis inde; * & pennæ vestræ] pennæ columbæ deargentátæ & posterióra dorsi ejus in pallóre auri.

16. Dùm discernit cœlestis reges super eam; * nive dealbabuntur in Selmon.

17. Mons Dei, mons pinguis; * mons coagulátus, mons pinguis.

18. Ut quid suspicámini montes coagulátos? * mons in quo beneplácitum est Deo habitáre in eo; étenim DÓMINUS habitábit in finem.

19. Currus Dei decem míllibus múltiplex, míllia lætántium: * Dóminus in eis in Sinâ, in sancto.

20. Ascendisti in altum; cepisti captivitátem; * accepisti dona in homínibus.

21. Etenim non credentes, * inhabitáre DÓMINUM Deum.

22. Benedictus Dóminus die, quotídie; * prósperum iter fáciet nobis Deus salutárium nostrórum.

23. Deus noster, Deus salvos faciendi; * & DÓMINI Dómini éxitus mortis.

24. Verúmtamen Deus confringet cápita inimicórum suórum, * vérticem capilli perambulántium in delictis suis.

25. Dixit Dóminus: Ex Basan convertam; * convertam in profundum maris:

26. Ut intingátur pes tuus in sánguine, * lingua canum tuórum ex inimícis ab ipso.

Ant. Benedictus Dóminus die, quotídie: prósperum iter fáciet nobis Deus salutárium nostrórum.

VI. *Divisio Psalmi* 67.

27. VIdérunt ingressus tuos, Deus; * ingressus Dei mei, Regis mei, qui est in sancto.

28. Prævenérunt príncipes conjuncti psalléntibus, * in médio juvenculárum tympanistriárum.

29. In Ecclésiis benedícite Deo; * Dómino, de fóntibus Israel.

30. Ibi Bénjamin adolescéntulus in mentis excessu: * príncipes Juda, duces eórum, príncipes Zabúlon, príncipes Néphthali.

31. Manda, Deus, virtúti tuæ; confirma hoc, Deus, quod operátus es in nobis à templo tuo in Jerúsalem: * tibi ófferent reges múnera.

32. Increpa feras arúndinis, congregátionem taurórum in vaccis populórum, ut exclúdant eos qui probáti sunt argento: * díssipa gentes quæ bella volunt.

33. Vénient legáti ex Ægypto: * Æthiópia prævéniet manus ejus Deo.

34. Regna terræ, cantáte Deo; psállite Dómino: * psállite Deo qui ascendit super cœlum cœli ad Oriéntem.

35. Ecce dabit voci suæ vocem virtútis: * date glóriam Deo.

36. Super Israel magnificéntia ejus; * & virtus ejus in núbibus.

37. Mirábilis Deus in sanctis suis; Deus Israel ipse dabit virtútem, & fortitúdinem plebi suæ; * benedictus Deus.

Ant. Deus Israel ipse dabit virtútem & fortitúdinem plebi suæ: benedictus Deus.

Temp. Pasch. Ant. unica. In hoc Christus mórtuus est & resurrexit, ut & mortuórum & vivórum

dominétur. Allelúia. *Rom.* 4.

℣. Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine! ℟. Quam abscondísti timéntibus te! *Ps.* 30.

Absolutio. Adapériat Deus, cor vestrum in lege suâ, & in præceptis suis, & faciat pacem. *II. Mach.* 1. ℟. Amen.

Benedictiones ad caput Psalterii.

IN II. NOCTURNO.

I. PSALMUS 44.

Carmen nuptiale de Christi & Ecclesiæ dotibus.

1. ERuctávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi: * lingua mea cálamus scribæ velóciter scribentis.

2. Speciósus formâ præ filiis hóminum; diffúsa est grátia in lábiis tuis; * proptéreà benedixit te Deus in æternum.

3. Accíngere gládio tuo super femur tuum, potentíssime, spécie tuâ & pulchritúdine tuâ; * intende, prósperè procéde.

4. Et regna propter veritátem, & mansuetúdinem & justítiam; * & dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

5. Sagittæ tuæ acútæ; pópuli sub te cadent; * in corda inimicórum Regis.

6. Sedes tua, Deus, in séculum séculi: * virga directiónis, virga regni tui.

7. Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem; * proptéreà unxit te, Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

8. Myrrha, & gutta, & cásia à vestimentis tuis; * à dómibus ebúrneis, ex quibus delectavérunt te.

9. Fíliæ regum in honóre tuo: * ádstitit Regína à dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte.

10. Audi, filia, & vide, & inclína aurem tuam; * & oblivíscere pópulum tuũ, & domum patris tui.

11. Et concupiscet Rex decórem tuum; * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum.

12. Et filiæ Tyri in munéribus: * vultum tuum deprecabuntur omnes dívites plebis.

13. Omnis glória ejus filiæ Regis ab intùs; * in fímbriis áureis, circumamicta varietátibus.

14. Adducentur Regi vírgines post eam: * próximæ ejus afferentur tibi.

15. Afferentur in lætítiâ & exsultatióne: * adducentur in templum Regis.

16. Pro pátribus tuis nati sunt tibi filii: * constítues eos príncipes super omnem terram.

17. Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne & generatióne.

18. Proptéreà pópuli confitebuntur tibi in æternum * & in séculum séculi.

II. PSALMUS 46.

Christus in cælum ascendens, gentes vocat, suumque regnum ubiquè propagat.

1. OMnes gentes, pláudite mánibus: * jubiláte Deo in voce exsultatiónis.

2. Quóniam DÓMINUS excelsus, terríbilis: * Rex magnus super omnem terrã.

3. Subjécit pópulos nobis; * & gentes sub pédibus nostris.

4. Elégit nobis hereditátem suam, * spéciem Jacob, quam diléxit.

5. Ascendit Deus in júbilo; * & DÓMINUS in voce tubæ.

6. Psállite Deo nostro, psállite: * psállite Regi nostro, psállite.

7. Quóniam Rex omnis terræ Deus: * psállite sapienter.

8. Regnábit Deus super gentes: * Deus sedet super sedem sanctam suam.

9. Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham; * quóniam Dei sunt fortes terræ; vehementer elevátus est.

III. PSALMUS 47.

Ecclesia Dei frustrà impugnata; Deus fundavit eam in æternum.

1. MAgnus DÓMINUS & laudábilis nimìs, * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

2. Fundátur exsultatióne universæ terræ mons Sion; * látera Aquilónis, cívitas Regis magni.

3. Deus in dómibus ejus cognoscétur, * cùm suscípiet eam.

4. Quóniam ecce reges terræ congregáti sunt; * convenérunt in unum.

5. Ipsi videntes sic, admiráti sunt; * conturbáti sunt, commóti sunt.

6. Tremor apprehendit eos: * ibi dolóres ut parturientis.

7. In spíritu vehementi * cónteres naves Tharsis.

8. Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte DÓMINI virtútum, in civitáte Dei nostri; * Deus fundávit eam in æternum.

9. Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam, * in médio templi tui.

10. Secundùm nomen tuum, Deus, sic & laus tua in fines terræ; * justítiâ plena est déxtera tua.

11. Lætétur mons Sion, & exultent fíliæ Judæ; * propter judícia tua, Dómine.

12. Circúmdate Sion, & complectímini eam: * narráte in túrribus ejus.

13. Pónite corda vestra in virtúte ejus; * & distribúite domos ejus, ut enarrétis in progénie álterâ.

14. Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum, & in séculum séculi; * ipse reget nos in sécula.

IV. Psalmus 88.

Promissiones Davidi factæ in Christo solo adimplendæ; immutabiles sunt, nec adversis hujus vitæ delendæ.

1. Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo: * in generatiónem & generatiónem annuntiábo veritátem tuam in ore meo.

2. In ætérnum misericórdia ædificábitur in cœlis: * præparábitur véritas tua in eis.

3. Quóniam dixisti: Dispósui testaméntum eléctis meis; * jurávi David servo meo.

4. Usque in ætérnum præparábo semen tuum; * & ædificábo in generatiónem & generatiónem sedem tuam.

5. Confitebúntur cœli mirabília tua, Dómine; * étenim veritátem tuam in ecclésiâ sanctórum.

6. Quóniam quis in núbibus æquábitur Dómino? * símilis erit Deo in fíliis Dei?

7. Deus qui glorificátur in concílio sanctórum; * magnus & terríbilis super omnes qui in circúitu ejus sunt.

8. Dómine Deus virtútum, quis símilis tibi? * potens es, Dómine, & véritas tua in circúitu tuo.

9. Tu domináris potestáti maris: * motum autem flúctuum ejus tu mítigas.

10. Tu humiliasti sicut vulnerátum, supérbum: * in bráchio virtútis tuæ dispersisti inimícos tuos.

11. Tui sunt cœli, & tua est terra: * orbem terræ & plenitúdinem ejus tu fundasti.

12. Aquilónem & mare tu creasti: * Thabor & Hermon in nómine tuo exsultábunt.

13. Tuum bráchium cum poténtiâ: * firmétur manus tua; & exaltétur déxtera tua.

14. Justítia & judícium præparátio sedis tuæ: * misericórdia & véritas præcédent fáciem tuam.

V. *Divisio Psalmi* 88.

15. Beátus pópulus qui scit jubilatiónem! * Dómine, in lúmine vultûs tui ambulábunt.

16. Et in nómine tuo exsultábunt totâ die; * & in justítiâ tuâ exaltabuntur:

17. Quóniam glória virtútis eórum tu es; * & in beneplácito tuo exaltábitur cornu nostrum:

18. Quia Dómini est assúmptio nostra; * & Sancti Israel Regis nostri.

19. Tunc locútus es in visióne Sanctis tuis, & dixisti: * Pósui adjutórium in potente; & exaltávi eléctum de plebe meâ.

20. Invéni David servum meum: * óleo sancto meo unxi eum.

21. Manus enim mea au-

xiliábitur ei; * & bráchium meum confortábit eum.

22. Nihil profíciet inimícus in eo; * & fílius iniquitátis non appónet nocére ei.

23. Et concídam à fácie ipsíus inimícos ejus; * & odiéntes eum in fugam convertam.

24. Et véritas mea & misericórdia mea cum ipso; * & in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

25. Et ponam in mari manum ejus, * & in flumínibus déxteram ejus.

26. Ipse invocábit me: Pater meus es tu: * Deus meus, & suscéptor salútis meæ.

27. Et ego primogénitum ponam illum, * excelsum præ régibus terræ.

28. In ætérnum servábo illi misericórdiam meam; * & testaméntum meum fidéle ipsi.

29. Et ponam in séculum séculi semen ejus, * & thronum ejus sicut dies cœli.

30. Si autem derelíquerint fílii ejus legem meam; * & in judíciis meis non ambuláverint:

31. Si justítias meas profanáverint; * & mandáta mea non custodíerint:

32. Visitábo in virgâ iniquitátes eórum, * & in verbéribus peccáta eórum;

33. Misericórdiam autem meam non dispergam ab eo; * neque nocébo in veritáte meâ:

34. Neque profanábo testaméntum meum; * & quæ procédunt de lábiis meis, non fáciam írrita.

35. Semel jurávi in sancto meo: * Si David méntiar:

36. Semen ejus in ætérnum manébit; * & thronus ejus sicut sol in conspectu meo;

37. Et sicut luna perfecta in ætérnum, * & testis cœlo fidélis.

VI. *Divisio Psalmi* 88.

38. TU verò repulisti & despexisti: * distulisti Christum tuum.

39. Evertisti testaméntum servi tui: * profanasti in terrâ sanctuárium ejus.

40. Destruxisti omnes sepes ejus: * posuisti firmaméntum ejus formídinem.

41. Diripuérunt eum omnes transeuntes viam: * factus est oppróbrium vicínis suis.

42. Exaltasti déxteram depriméntium eum: * lætificasti omnes inimícos ejus.

43. Avertisti adjutórium gládii ejus; * & non es auxiliátus ei in bello.

44. Destruxisti eum ab emundatióne; * & sedem ejus in terram collisisti.

45. Minorasti dies témporis ejus: * perfudisti eum confusióne.

46. Usquequò, DÓMINE, avertis in finem? *

álius extra te: * & non est Fortis sicut Deus noster.

4. Nolíte multiplicáre loqui sublímia, gloriantes:* recédant vétera de ore vestro.

5. Quia Deus scientiárum DÓMINUS est; * & ipsi præparantur cogitatiónes.

6. Arcus fórtium superátus est;* & infirmi accincti sunt róbore.

7. Repléti priùs, pro pánibus se locavérunt; * & famélici saturáti sunt:

8. Donec stérilis péperit plúrimos; * & quæ multos habébat fílios, infirmáta est.

9. DÓMINUS mortíficat, & vivíficat: * dedúcit ad ínferos, & redúcit.

10. DÓMINUS páuperem facit, & ditat: * humíliat, & súblevat.

11. Súscitat de púlvere egénum; * & de stércore élevat páuperem:

12. Ut sédeat cum princípibus, * & sólium glóriæ téneat.

13. DÓMINI enim sunt cárdines terræ; * & pósuit super eos orbem.

14. Pedes sanctórum suórum servábit, & ímpii in ténebris conticescent; * quia non in fortitúdine suâ roborábitur vir.

15. DÓMINUM formidábunt adversárii ejus; * & super ipsos in cœlis tonábit.

16. DÓMINUS judicábit *fines terræ*; & dabit impérium Regi suo; * & sublimábit cornu Christi sui.

Ant. Deus scientiárum Dominus est; & ipsi præparantur cogitatiónes.

V. PSALMUS 146.

Dei jucunda de suis infinitis attributis laudatio; de Ecclesiæ formatione & collectione prophetia.

1. LAudáte DÓMINUM, quóniam bonus est psalmus; * Deo nostro sit jucunda decóraque laudátio.

2. Ædíficans Jérusalem DÓMINUS; * dispersiónes Israélis congregábit.

3. Qui sanat contrítos corde; * & álligat contritiónes eórum.

4. Qui númerat multitúdinem stellárum; * & ómnibus eis nómina vocat.

5. Magnus Dóminus noster, & magna virtus ejus; * & sapiéntiæ ejus non est númerus.

6. Suscípiens mansuétos DÓMINUS; * humílians autem peccatóres usquè ad terram.

7. Præcínite DÓMINO in confessióne: * psállite Deo nostro in cítharâ;

8. Qui óperit cœlum núbibus, * & parat terræ plúviam;

9. Qui prodúcit in móntibus fœnum,* & herbam servitúti hóminum;

10. Qui dat jumentis escam ipsórum, * & pullis

corvórum invocántibus eum.

11. Non in fortitúdine equi voluntátem habébit;* nec in tíbiis viri beneplácitum erit ei.

12. Beneplácitum est DÓMINO super timentes eũ,* & in eis qui sperant super misericórdiâ ejus.

Ant. Ædíficans Jerúsalem Dóminus: dispersiónes Isráélis congregábit.

Temp. Pasch. Ant. unica. Crédimus in Deo secundùm operatiónem poténtiæ virtútis ejus, quam operátus est in Christo, súscitans illum à mórtuis. Allelúia. *Ephes.* 1.

Lectio, ℣. *breve, Hymnus,* ℟. *Ant. ad* Benedíctus. *& Collecta, ut in Proprio.*

AD PRIMAM.

PSALMUS 19.

Christi preces & sacrificium pro suis acceptari plebs ejus poscit.

1. EXáudiat te DÓMINUS in die tribulatiónis;* prótegat te nomen Dei Jacob.

2. Mittat tibi auxílium de Sancto; * & de Sion tueátur te.

3. Memor sit omnis sacrificii tui; * & holocaustum tuum pingue fiat.

4. Tríbuat tibi secundùm cor tuum; * & omne consílium tuum confírmet.

5. Lætábimur in salutári tuo; & in nómine Dei nostri magnificábimur: * ímpleat DÓMINUS omnes petitiónes tuas.

6. Nunc cognóvi quóniam salvum fecit DÓMINUS Christum suum; * exáudiet illum de cœlo sancto suo; in potentátibus salus déxteræ ejus.

7. Hi in cúrribus, & hi in equis; * nos autem in nómine DÓMINI Dei nostri invocábimus.

8. Ipsi obligáti sunt, & cecidérunt; * nos autem surréximus, & erecti sumus.

9. DÓMINE, salvum fac Regem; * & exaudi nos in die quâ invocavérimus te.

PSALMUS 89.

Brevitas & miseria hujus vitæ: peccati pœna. Misericordia Dei semper exoranda.

1. DOmine, refúgium factus es nobis, * à generatióne in generatiónem.

2. Priusquàm montes fíerent, aut formarétur terra & orbis, * à século & usque in séculum tu es Deus.

3. Ne avertas hóminem in humilitátem;* & dixisti: Convertímini, filii hóminum.

4. Quóniam mille anni ante óculos tuos tamquàm dies hesterna quæ prætériit, & custódia in nocte: * quæ

pro níhilo habentur, eórum anni erunt.

5. Mane ſicut herba tránſeat: mane flóreat & tránſeat: * véſpere décidat, indúret & areſcat.

6. Quia defécimus in irâ tuâ; * & in furóre tuo turbáti ſumus.

7. Poſuiſti iniquitátes noſtras in conſpectu tuo: * ſéculum noſtrum in illuminatióne vultûs tui.

8. Quóniam omnes dies noſtri defecérunt; * & in irâ tuâ defécimus.

9. Anni noſtri ſicut aránea meditabuntur: * dies annórum noſtrórum in ipſis ſeptuaginta anni.

10. Si autem in potentátibus, octoginta anni; * & ámpliùs eórum labor & dolor.

11. Quóniam ſupervénit manſuetúdo, * & corripiémur.

Diviſio Pſalmi 89.

12. QUis novit poteſtátem iræ tuæ, * & præ timóre tuo iram tuam dinumeráre?

13. Déxteram tuam ſic notam fac, * & erudítos corde in ſapiéntiâ.

14. Convértere, Dómine, úſquequò? * & deprecábilis eſto ſuper ſervos tuos.

15. Repléti ſumus mane miſericórdiâ tuâ; * & exſultávimus, & delectáti ſumus ómnibus diébus noſtris.

16. Lætáti ſumus pro diébus quibus nos humiliaſti, * annis quibus vídimus mala.

17. Réſpice in ſervos tuos, in ópera tua: * & dírige fílios eórum;

18. Et ſit ſplendor Dómini Dei noſtri ſuper nos, * & ópera mánuum noſtrárum dírige.

Ant. Lætábimur in ſalutári tuo, Dómine; & in nómine Dei noſtri magnificábimur.

Temp. Paſch. Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

AD TERTIAM.

PSALMUS 25.

Sacerdotes accedentes ad altare purgari ſemper expetunt.

1. JUdica me, Dómine, quóniam ego in innocéntiâ meâ ingreſſus ſum; * & in Dómino ſperans, non infirmábor.

2. Proba me, Dómine, & tenta me; * ure renes meos & cor meum.

3. Quóniam miſericórdia tua ante óculos meos eſt, * & complácui in veritáte tuâ.

4. Non ſedi cum concílio vanitátis, * & cum iníqua geréntibus non introíbo.

5. Odívi ecclésiam malignántium, * & cum ímpiis non ſedébo.

6. Lavábo inter innocentes manus meas; * & cir-

circúmdabo altáre tuum, Dó-
MINE:
7. Ut áudiam vocem laudis, * & enarrem universa mirabília tua.
8. DÓMINE, diléxi decórem domûs tuæ, * & locum habitatiónis glóriæ tuæ.
9. Ne perdas cum ímpiis, Deus, ánimam meam, * & cum viris sánguinum vitam meam:
10. In quorum mánibus iniquitátes sunt, * déxtera eórum repléta est munéribus.
11. Ego autem in innocéntiâ meâ ingressus sum; * rédime me, & miserére meî.
12. Pes meus stetit in directo; * in ecclésiis benedícam te, DÓMINE.

PSALMUS 83.

Æterna Dei tabernacula, unicum fidelis desiderium.

1. QUàm dilecta tabernácula tua, DÓMINE virtútum! * concupíscit, & déficit ánima mea in átria DÓMINI.
2. Cor meum & caro mea, * exsultavérunt in Deum vivum.
3. Etenim passer invénit sibi domum; * & turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.
4. Altária tua, DÓMINE virtútum, * Rex meus, & Deus meus.
5. Beáti qui hábitant in domo tuâ, Dómine! * in sécula seculórum laudábunt te.
6. Beátus vir cujus est auxílium abs te! * ascensiónes in corde suo dispósuit in valle lacrymárum, in loco quem pósuit!
7. Etenim benedictiónem dabit legislátor; ibunt de virtúte in virtútem: * vidébitur Deus deórum in Sion.
8. DÓMINE Deus virtútum, exaudi oratiónem meam: * áuribus pércipe, Deus Jacob.
9. Protector noster, áspice, Deus: * & réspice in fáciem Christi tui.
10. Quia mélior est dies una in átriis tuis super míllia: * elégi abjectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum.
11. Quia misericórdiam & veritátem díligit Deus: * grátiam & glóriam dabit DÓMINUS.
12. Non privábit bonis eos qui ámbulant in innocéntiâ; * DÓMINE virtútum, beátus homo qui sperat in te!

PSALMUS 98.

Christi regnum super omnes populos; ipse est cui serviebant patres antiqui.

1. DOMINUS regnávit; irascantur pópuli: * qui sedet super Chérubim; moveátur terra.
2. DÓMINUS in Sion ma-

gnus ; * & excelsus super omnes pópulos.

3. Confiteántur nómini tuo magno ; quóniam terríbile & sanctum est ; * & honor Regis judícium díligit.

4. Tu parasti directiónes : * judícium & justítiam in Jacob tu fecisti.

5. Exaltáte Dóminum Deum nostrum, * & adoráte scabellum pedum ejus, quóniam sanctum est.

6. Móyses & Aaron in sacerdótibus ejus, * & Sámuel inter eos qui ínvocant nomen ejus.

7. Invocábant Dóminum, & ipse exaudiébat eos ; * in columnâ nubis loquebátur ad eos.

8. Custodiébant testimónia ejus, * & præceptum quod dedit illis.

9. Dómine Deus noster, tu exaudiébas eos ; * Deus, tu propítius fuisti eis, & ulciscens in omnes adinventiónes eórum.

10. Exaltáte Dóminum Deum nostrum, & adoráte in monte sancto ejus ; * quóniam sanctus Dóminus Deus noster.

Ant. Misericórdiam & veritátem díligit Deus : grátiam & glóriam dabit Dóminus.

Temp. Pasch. Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Lectio, ℣. & Collecta, ut in Proprio.

AD SEXTAM.

Psalmus 22.

Quem Deus tuetur & pascit, nihil illi deest.

1. Dominus regit me ; * & nihil mihi déerit.

2. In loco páscuæ, ibi me collocávit : * super aquam refectiónis educávit me.

3. Animam meam convertit ; * deduxit me super sémitas justítiæ, propter nomen suum.

4. Nam & si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala ; * quóniam tu mecum es.

5. Virga tua & báculus tuus, * ipsa me consoláta sunt.

6. Parasti in conspectu meo mensam, * advérsus eos qui tríbulant me.

7. Impinguasti in óleo caput meum ; * & calix meus inébrians quàm præclárus est !

8. Et misericórdia tua subsequétur me, * ómnibus diébus vitæ meæ ;

9. Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

Psalmus 32.

Justorum exsultatio ob mundi per Verbum Dei creationem & redemptionem.

1. Exsultáte, justi, in Dómino : * rectos decet collaudátio.

2. Confitémini Dómino in cítharâ : * in psaltério decem chordárum psállite illi.

3. Cantáte ei cánticum novum : * benè psállite ei in vociferatióne.

4. Quia rectum est verbum Dómini : * & ómnia ópera ejus in fide.

5. Díligit misericórdiam & judícium : * misericórdiâ Dómini plena est terra.

6. Verbo Dómini cœli firmáti sunt, * & spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

7. Cóngregans sicut in utre aquas maris ; * ponens in thesauris abyssos.

8. Tímeat Dóminum omnis terra ; * ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.

9. Quóniam ipse dixit, & facta sunt ; * ipse mandávit, & creáta sunt.

10. Dóminus díssipat consília géntium : * réprobat autem cogitatiónes populórum, & réprobat consília príncipum.

11. Consílium autem Dómini in ætérnum manet : * cogitatiónes cordis ejus, in generatiónem & generatiónem.

Divisio Psalmi 32.

12. Beáta gens cujus est Dóminus Deus ejus ; * pópulus quem elégit in hæreditátem sibi.

13. De cœlo respexit Dóminus :* vidit omnes filios hóminum.

14. De præparáto habitáculo suo, * respexit super omnes qui hábitant terram.

15. Qui finxit singulátim corda eórum ; * qui intélligit ómnia ópera eórum.

16. Non salvátur Rex per multam virtútem ; * & gigas non salvábitur in multitúdine virtútis suæ.

17. Fallax equus ad salútem :* in abundántiâ autem virtútis suæ non salvábitur.

18. Ecce óculi Dómini super metuentes eum, * & in eis qui sperant super misericórdiâ ejus :

19. Ut éruat à morte ánimas eórum, * & alat eos in fame.

20. Anima nostra sústinet Dóminum ; * quóniam adjútor & protector noster est.

21. Quia in eo lætábitur cor nostrum ; * & in nómine sancto ejus sperávimus.

22. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, * quemádmodum sperávimus in te.

Ant. Dóminus regit me, & nihil mihi déerit.

Temp. Pasch. Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Lectio, ℣. & Collecta, ut in Proprio.

AD NONAM.

PSALMUS 102.

Deus ob immensam bonitatem & innumera beneficia toto corde & ore benedicendus.

1. BEnedic, ánima mea, DÓMINO;* & ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto ejus.

2. Bénedic, ánima mea, DÓMINO; * & noli oblivísci omnes retributiónes ejus:

3. Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis; * qui sanat omnes infirmitátes tuas:

4. Qui rédimit de intéritu vitam tuam; * qui corónat te in misericórdiâ & miseratiónibus:

5. Qui replet in bonis desidérium tuum; * renovábitur ut áquilæ juventus tua.

6. Fáciens misericórdias DÓMINUS, * & judícium ómnibus injúriam patiéntibus.

7. Notas fecit vias suas Móysi, * fíliis Israel voluntátes suas.

Divisio Psalmi 102.

8. MIserátor & miséricors DÓMINUS, * longánimis & multùm miséricors:

9. Non in perpétuum irascétur; * neque in ætérnum comminábitur.

10. Non secundùm peccáta nostra fecit nobis; * neque secundùm iniquitátes nostras retríbuit nobis.

11. Quóniam secundùm altitúdinem cœli à terrâ, * corroborávit misericórdiâ suam super timentes se.

12. Quantùm distat Ortus ab Occidente, * longè fecit à nobis iniquitátes nostras.

13. Quómodò miserétur pater filiórum, * misertus est DÓMINUS timéntibus se.

14. Quóniam ipse cognóvit figmentum nostrum: * recordátus est quóniam pulvis sumus.

15. Homo sicut fœnum dies ejus; * tamquàm flos agri, sic efflorébit.

16. Quóniam spíritus pertransíbit in illo, & non subsistet; * & non cognoscet ámpliùs locum suum.

Divisio Psalmi 102.

17. MIsericórdia autem DÓMINI ab ætérno & usquè in ætérnum * super timentes eum.

18. Et justítia illíus in fílios filiórum, his qui servant testamentum ejus; * & mémores sunt mandatórum ipsíus ad faciendum ea.

19. DÓMINUS in cœlo parávit sedem suam; * & regnum ipsíus ómnibus dominábitur.

20. Benedícite DÓMINO, omnes Angeli ejus, potentes virtúte facientes verbum,

illíus, * ad audiendam vocem sermónum ejus.

21. Benedícite Dómino, omnes virtútes ejus, * ministri ejus, qui fácitis voluntátem ejus.

22. Benedícite Dómino, ómnia ópera ejus, in omni loco dominatiónis ejus: * bénedic, ánima mea, Dómino.

Ant. Benedícite Dómino, ministri ejus, qui fácitis voluntátem ejus.

Temp. Pasch. Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Lectio, ℣. & Collecta, ut in Proprio.

AD VESPERAS.

I. Paslmus 115.

Calix salutaris accipiendus; vota Deo reddenda.

1. Crédidi; propter quod locútus sum: * ego autẽ humiliátus sum nimìs.

2. Ego dixi in excessu meo: * Omnis homo mẽdax.

3. Quid retríbuam Dómino * pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

4. Cálicem salutáris accípiam; * & nomen Dómini invocábo.

5. Vota mea Dómino reddam, * coram omni pópulo ejus.

6. Pretiósa in conspectu Dómini, * mors Sanctórum ejus.

7. O Dómine, quia ego servus tuus; ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ: * dirupisti víncula mea.

8. Tibi sacrificábo hóstiam laudis; * & nomen Dómini invocábo.

9. Vota mea Dómino reddam in conspectu omnis pópuli ejus, * in átriis domûs Dómini, in médio tuî, Jerúsalem.

Ant. Crédidi; propter quod locútus sum: ego autem humiliátus sum nimìs.

II. Psalmus 144.

Dei magnitudo, potentia, magnificentia, patientia, justitia, bonitas.

1. Exaltábo te, Deus meus Rex; * & benedícam nómini tuo in séculum, & in séculum séculi.

2. Per síngulos dies benedícam tibi; * & laudábo nomen tuum in séculum, & in séculum séculi.

3. Magnus Dóminus & laudábilis nimìs; * & magnitúdinis ejus non est finis.

4. Generátio & generátio laudábit ópera tua; * & poténtiam tuam pronuntiábunt.

5. Magnificéntiam glóriæ sanctitátis tuæ loquentur; * & mirabília tua narrábunt.

6. Et virtútem terribílium tuórum dicent; * & magnitúdinem tuam narrábunt.

7. Memôriam abundántiæ suavitátis tuæ eructábunt; * & justítiâ tuâ exsultábunt.

8. Miserátor & miséricors DÓMINUS, * pátiens & multùm miséricors.

9. Suávis DÓMINUS univérsis; * & miseratiónes ejus super ómnia ópera ejus.

Ant. Generátio & generátio laudábit ópera tua, & poténtiam tuam pronuntiábunt.

III. *Divisio Psalmi* 144.

10. CONfiteantur tibi, DÓMINE, ómnia ópera tua; * & sancti tui benedícant tibi.

11. Glóriam regni tui dicent, * & poténtiam tuam loquentur:

12. Ut notam fáciant filiis hóminum poténtiam tuam, * & glóriam magnificéntiæ regni tui.

13. Regnum tuum, regnum ómnium seculórũ; * & dominátio tua in omni generatióne & generatióne.

14. Fidélis Dóminus in ómnibus verbis suis; * & sanctus in ómnibus opéribus suis.

15. Allevat DÓMINUS omnes qui córruunt; * & érigit omnes elísos.

16. Oculi ómnium in te sperant, Dómine; * & tu das escam illórum in témpore opportúno.

17. Aperis tu manum tuam; * & imples omne ánimal benedictióne.

18. Justus DÓMINUS in ómnibus viis suis; * & sanctus in ómnibus opéribus suis.

19. Propè est DÓMINUS ómnibus invocántibus eũ, * ómnibus invocántibus eum in veritáte.

20. Voluntátem timéntium se fáciet, & deprecatiónem eórum exáudiet, * & salvos fáciet eos.

21. Custódit DÓMINUS omnes diligentes se; * & omnes peccatóres disperdet.

22. Laudatiónem DÓMINI loquétur os meum; * & benedícat omnis caro nómini sancto ejus in séculum, & in séculum séculi.

Ant. Fidélis Dóminus in ómnibus verbis suis, & sanctus in ómnibus opéribus suis.

IV. PSALMUS 147.

Specialis Dei erga Ecclesiam magnificentia.

1. LAuda, Jerúsalem, DÓMINUM; * lauda Deum tuum, Sion.

2. Quóniam confortávit seras portárum tuárum, * benedixit filiis tuis in te:

3. Qui pósuit fines tuos pacem; * & ádipe frumenti sátiat te:

4. Qui emittit elóquium suum terræ; * velóciter currit sermo ejus.

5. Qui dat nivem sicut lanam; * nébulam sicut cinerem spargit:

6. Mittit crystallum suam sicut buccellas; * ante fáciem frígoris ejus, quis sustinébit?

7. Emittet verbum suum,

& liquefáciet ea; * flabit spíritus ejus, & fluent aquæ.

8. Qui annúntiat verbum suum Jacob, * justítias & judícia sua Israel.

9. Non fecit táliter omni natióni; * & judícia sua non manifestávit eis.

Ant. Annúntiat Dóminus verbum suum Jacob. & judícia sua Israel: non fecit táliter omni natióni.

Temp. Pasch. Ant. unica. Corpus quidem mórtuum est propter peccátum, spíritus verò vivit propter justificatiónem. Allelúia. *Rom.* 8.

Lectio, ℟. *breve*, *Hymnus*, ℣. *Ant. ad* Magníficat. *& Collecta*, *ut in Proprio.*

AD COMPLETORIUM.

PSALMUS II.

Justorum paucitas; eloquiorum Domini laus; fidelitas ejus in promissis.

1. SAlvum me fac, Dómine; quóniam defécit sanctus: * quóniam diminútæ sunt veritátes à filiis hóminum.

2. Vana locúti sunt unusquisque ad próximum suum: * lábia dolósa in corde & corde locúti sunt.

3. Disperdat Dóminus univérsa lábia dolósa,* & linguam magníloquam;

4. Qui dixérunt: Linguam nostram magnificábimus; lábia nostra à nobis sunt:* quis noster Dóminus est?

5. Propter misériam inopum & gémitum páuperũ,* nunc exsurgam, dicit Dóminus.

6. Ponam in salutári: * fiduciáliter agam in eo.

7. Elóquia Dómini, elóquia casta: * argentum igne examinátum, probátum terræ, purgátum séptuplum.

8. Tu, Dómine, servábis nos,* & custódies nos à generatióne hâc in ætérnum.

9. In circúitu ímpii ámbulant: * secundùm altitúdinem tuam multiplicasti filios hóminum.

PSALMUS 38.

Continenda lingua; mundi contemptus; vitæ præsentis brevitas, æternæ desiderium.

1. DIxi: Custódiam vias meas; * ut non delinquam in linguâ meâ.

2. Pósui ori meo custódiam, * cùm consísteret peccátor advérsùm me.

3. Obmútui, & humiliátus sum, & sílui à bonis;* & dolor meus renovátus est.

4. Concáluit cor meum intra me; & in meditatióne meâ exardescet ignis: * locútus sum in linguâ meâ.

5. Notum fac mihi, Dómine, finem meum, & númerum diérum meórum quis est; * ut sciam quid desit mihi.

6. Ecce mensurábiles po-

ſuiſti dies meos; & ſubſtántia mea tamquàm níhilum ante te: * verúmtamen univerſa vánitas, omnis homo vivens.

7. Verúmtamen in imágine pertranſit homo; * ſed & fruſtrà conturbátur.

8. Theſaurízat;* & ignórat cui congregábit ea.

9. Et nunc quæ eſt exſpectátio mea? nonne Dóminus? * & ſubſtántia mea apud te eſt.

Diviſio Pſalmi 38.

10. AB ómnibus iniquitátibus meis érue me; * oppróbrium inſipienti dediſti me.

11. Obmútui, & non apérui os meum; * quóniam tu feciſti.

12. Amove à me plagas tuas; * à fortitúdine manûs tuæ, ego deféci in increpatiónibus.

13. Propter iniquitátem corripuiſti hóminem, & tabéſcere feciſti ſicut aráneam ánimam ejus; * verúmtamen vanè conturbátur omnis homo.

14. Exaudi oratiónem meam, DÓMINE, & deprecatiónem meam: * áuribus pércipe lácrymas meas.

15. Ne ſíleas, quóniam ádvena ego ſum apud te, & peregrínus; * ſicut omnes patres mei.

16. Remitte mihi, ut refrígerer; * priuſquàm ábeam, & ámplius non ero.

Cant. Nunc dimittis.

FERIA SEXTA.

Chriſtus patiens & moriens, adjutor in tribulationibus.

AD OFFICIUM NOCT.

Ant. in Pſ. Veníte. & *Hymnus, ut in Proprio.*

IN I. NOCTURNO.

I. PSALMUS 68.

Agonia Chriſti & varia paſſionis ejus circumſtantia; reprobatio Judæorum, & Eccleſiæ ædificatio.

1. SAlvum me fac, Deus;* quóniam intravérunt aquæ uſque ad ánimam meam.

2. Infixus ſum in limo profundi; * & non eſt ſubſtántia.

3. Veni in altitúdinem maris; * & tempeſtas demerſit me.

4. Laborávi clamans; raucæ factæ ſunt fauces meæ: * defecérunt óculi mei, dum ſpero in Deum meum.

5. Multiplicáti ſunt ſuper capillos cápitis mei, * qui odérunt me gratìs.

6. Confortáti ſunt qui perſecúti ſunt me inimíci mei injuſtè; * quæ non rápui, tunc exſolvébam.

7. Deus, tu ſcis inſipiéntiam meam; * & delicta

mea à te non sunt abscóndita.

8. Non erubescant in me qui exspectant te, Dómine, Dómine virtútum: * non confundantur super me qui quærunt te, Deus Israel.

9. Quóniam propter te sustínui oppróbrium: * opéruit confúsio fáciem meam.

Ant. Propter te, Dómine, sustínui oppróbrium: opéruit confúsio ánimam meam.

II. *Divisio Psalmi 68.*

10. Extráneus factus sum frátribus meis, * & peregrínus fíliis matris meæ.

11. Quóniam zelus domûs tuæ comédit me; * & oppróbria exprobrántium tibi cecidérunt super me.

12. Et opérui in jejúnio ánimam meam; * & factum est in oppróbrium mihi.

13. Et pósui vestimentum meum cilícium; * & factus sum illis in parábolam.

14. Adversùm me loquebantur qui sedébant in portâ; * & in me psallébant qui bibébant vinum.

15. Ego verò oratiónem meam ad te, Dómine: * tempus beneplácíti, Deus.

16. In multitúdine misericórdiæ tuæ exaudi me, * in veritáte salútis tuæ.

17. Eripe me de luto, ut non infigar: * líbera me ab iis qui odérunt me, & de profundis aquárum.

18. Non me demergat tempestas aquæ, neque absórbeat me profundum; * neque úrgeat super me púteus os suum.

Ant. Opérui in jejúnio ánimam meam, & factum est in oppróbrium mihi.

III. *Divisio Psalmi 68.*

19. Exaudi me, Dómine, quóniam benigna est misericórdia tua: * secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum réspice in me.

20. Et ne avertas fáciem tuam à púero tuo; * quóniam tríbulor, velóciter exaudi me.

21. Intende ánimæ meæ, & líbera eam; * propter inimícos meos éripe me.

22. Tu scis impropérium meum, & confusiónem meam & reveréntiã meã: * in conspectu tuo sunt omnes qui tríbulant me.

23. Impropérium exspectávit cor meum & misériam: * & sustínui qui simul contristarétur, & non fuit; * & qui consolarétur, & non invéni.

24. Et dedérunt in escam meam fel; * & in siti meâ potavérunt me acéto.

25. Fiat mensa eórum coram ipsis in láqueum, * & in retributiónes, & in scándalum.

26. Obscurentur óculi eórum ne vídeant; * & dorsum eórum semper incurva.

27. Effunde ſuper eos iram tuam; * & furor iræ tuæ comprehendat eos.

28. Fiat habitátio eórum deſerta; * & in tabernáculis eórum non ſit qui inhábitet.

29. Quóniam quem tu percuſſiſti, perſecúti ſunt; * & ſuper dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

30. Appóne iniquitátem ſuper iniquitátem eórum; * & non intrent in juſtítiam tuam.

31. Deleantur de libro vivéntium; * & cum juſtis non ſcribantur.

Ant. In conſpectu tuo ſunt omnes qui tríbulant me: impropérium exſpectávit cor meum & miſériam.

IV. *Diviſio Pſalmi 68.*

32. EGo ſum pauper & dolens: * ſalus tua, Deus, ſuſcépit me.

33. Laudábo nomen Dei cum cántico; * & magnificábo eum in laude.

34. Et placébit Deo ſuper vítulum novellum, * córnua producentem & úngulas.

35. Vídeant páuperes, & lætentur; * quærite Deum, & vivet ánima veſtra:

36. Quóniam exaudívit páuperes Dóminus; * & vinctos ſuos non deſpexit.

37. Laudent illum cœli & terra, * mare, & ómnia reptília in eis.

38. Quóniam Deus ſalvam fáciet Sion, * & ædificabuntur civitátes Juda.

39. Et inhabitábunt ibi; * & hereditáte acquírent eam.

40. Et ſemen ſervórum ejus poſſidébit eam; * & qui díligunt nomen ejus, habitábunt in eâ.

Ant. Exaudívit páuperes Dóminus, & vinctos ſuos non deſpexit.

V. PSALMUS 73.

Refugium noſtrum in Deo ſolo; vox Eccleſiæ inter tribulationes.

1. UT quid, Deus, repuliſti in finem? * irátus eſt furor tuus ſuper oves páſcuæ tuæ?

2. Memor eſto congregatiónis tuæ, quam poſſediſti ab inítio: * redemiſti virgam hereditátis tuæ; mons Sion, in quo habitaſti in eo.

3. Leva manus tuas in ſupérbias eórum in finem: * quanta malignátus eſt inimícus in Sancto!

4. Et gloriáti ſunt qui odérunt te, * in médio ſolemnitátis tuæ.

5. Poſuérunt ſigna ſua, ſigna; * & non cognovérunt, ſicut in éxitu ſuper ſummum.

6. Quaſi in ſilvâ lignórum ſecúribus excidérunt jánuas ejus in idipſum: * in ſecúri & áſciâ dejecérunt eam.

7. Incendérunt igni Sanctuárium tuum: * in terrâ

polluérunt tabernáculum nóminis tui.

8. Dixérunt in corde suo, cognátio eórum simul : * Quiéscere faciámus omnes dies festos Dei à terrâ.

9. Signa nostra non vídimus : jam non est Prophéta ; * & nos non cognoscet ámpliùs.

Ant. Quanta malignátus est inimícus in Sancto ! & gloriáti sunt qui odérunt te in médio solemnitátis tuæ.

VI. *Divisio Psalmi* 73.

10. USquequò, Deus, improperábit inimícus ? * irrítat adversárius nomen tuum in finem?

11. Ut quid avertis manum tuam & déxteram tuam, * de médio sinu tuo, in finem ?

12. Deus autem Rex noster ante sécula, * operátus est salútem in médio terræ.

13. Tu confirmasti in virtúte tuâ mare ; * contribulasti cápita dracónum in aquis.

14. Tu confregisti cápita dracónis : * dedisti eum escam pópulis Æthíopum.

15. Tu dirupisti fontes & torrentes : * tu siccasti flúvios Ethan.

16. Tuus est dies, & tua est nox : * tu fabricátus es auróram & solem.

17. Tu fecisti omnes términos terræ : * æstátem & ver, tu plasmasti ea.

18. Memor esto hujus : inimícus improperávit Dómino ; * & pópulus insípiens incitávit nomen tuū.

19. Ne tradas béstiis ánimas confitentes tibi ; * & ánimas páuperum tuórum ne oblivíscáris in finem.

20. Réspice in testamentum tuum ; * quia repléti sunt, qui obscuráti sunt terræ, dómibus iniquitátum.

21. Ne avertátur húmilis factus confúsus ; * pauper & inops laudábunt nomen tuum.

22. Exsurge, Deus, júdica causam tuam : * memor esto improperiórum tuórum, eórum quæ ab insipiente sunt totâ die.

23. Ne oblivíscáris voces inimicórum tuórum : * supérbia eórum qui te odérunt, ascendit semper.

Ant. Exsurge, Deus ; júdica causam tuam ; memor esto improperiórum tuórum.

Temp. Pasch. Ant. unica. Crucifixus ex infirmitáte, vivit ex virtúte Dei. Allelúia. *II. Cor.* 13.

℣. Die ac nocte graváta est super me manus tua : ℟. Conversus sum in ærumnâ meâ, dum configitur spina. *Ps.* 31.

Absolutio. Occurrámus omnes in unitátem fidei & agnitiónis Fílii Dei, ut non circumferámur omni vento doctrínæ. *Eph.*4. ℟. Amen.

27. Effunde super eos iram tuam; * & furor iræ tuæ comprehendat eos.

28. Fiat habitátio eórum deserta; * & in tabernáculis eórum non sit qui inhábitet.

29. Quóniam quem tu percussisti, persecúti sunt; * & super dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

30. Appóne iniquitátem super iniquitátem eórum; * & non intrent in justítiam tuam.

31. Deleantur de libro vivéntium; * & cum justis non scribantur.

Ant. In conspectu tuo sunt omnes qui tríbulant me: impropérium exspectávit cor meum & misériam.

IV. *Divisio Psalmi 68.*

32. EGo sum pauper & dolens: * salus tua, Deus, suscépit me.

33. Laudábo nomen Dei cum cántico; * & magnificábo eum in laude.

34. Et placébit Deo super vítulum novellum, * córnua producentem & úngulas.

35. Vídeant páuperes, & læténtur; * quærite Deum, & vivet ánima vestra:

36. Quóniam exaudívit páuperes DÓMINUS; * & vinctos suos non despexit.

37. Laudent illum cœli & terra, * mare, & ómnia reptília in eis.

38. Quóniam Deus salvam fáciet Sion, * & ædificabuntur civitátes Juda.

39. Et inhabitábunt ibi; * & hereditáte acquírent eam.

40. Et semen servórum ejus possidébit eam; * & qui díligunt nomen ejus, habitábunt in eâ.

Ant. Exaudívit páuperes Dóminus, & vinctos suos non despexit.

V. PSALMUS 73.

Refugium nostrum in Deo solo; vox Ecclesiæ inter tribulationes.

1. UT quid, Deus, repulisti in finem? * irátus est furor tuus super oves páscuæ tuæ?

2. Memor esto congregatiónis tuæ, quam possedisti ab inítio: * redemisti virgam hereditátis tuæ; mons Sion, in quo habitasti in eo.

3. Leva manus tuas in supérbias eórum in finem: * quanta malignátus est inimícus in Sancto!

4. Et gloriáti sunt qui odérunt te, * in médio solemnitátis tuæ.

5. Posuérunt signa sua, signa; * & non cognovérunt, sicut in éxitu super summum.

6. Quasi in silvâ lignórum secúribus excidérunt jánuas ejus in idipsum: * in secúri & ásciâ dejecérunt eam.

7. Incendérunt igni Sanctuárium tuum: * in terrâ

polluérunt tabernáculum nóminis tui.

8. Dixérunt in corde suo, cognatio eórum simul: * Quiéscere faciámus omnes dies festos Dei a terrâ.

9. Signa nostra non vídimus: jam non est Prophéta; * & nos non cognoscet ámpliùs.

Ant. Quanta malignátus est inimícus in Sancto! & gloriáti sunt qui odérunt te in médio solemnitátis tuæ.

VI. *Divisio Psalmi* 73.

10. USquequò, Deus, improperábit inimícus? * irrítat adversárius nomen tuum in finem?

11. Ut quid avertis manum tuam & déxteram tuam, * de médio sinu tuo in finem?

12. Deus autem Rex noster ante sǽcula, * operátus est salútem in médio terræ.

13. Tu confirmásti in [illegible] túte tuâ mare; * con[illegible] bulásti cápita dracónum [illegible] aquis.

14. Tu confregísti [illegible] dracónis: * dedísti [illegible] escam pópulis Æ[illegible]

15. Tu dirupísti [illegible] torrentes: * tu [illegible] vios Ethan.

16. Tuus est d[illegible] est nox: * tu fab[illegible] auróram & solem.

17. Tu fecísti [illegible] minos terræ [illegible] & ver, [illegible]

[illegible]

[illegible]

Benedictiones ad caput Psalterii.

IN II. NOCTURNO.

I. PSALMUS 54.

Proditionem Judæ conquerens Christus, persecutoribus ruinam minatur.

1. EXaudi, Deus, oratiónem meam, & ne despéxeris deprecatiónem meam: * intende mihi, & exaudi me.

2. Contristátus sum in exercitatióne meâ, * & conturbátus sum à voce inimíci, & à tribulatióne peccatóris.

3. Quóniam declinavérunt in me iniquitátem; * & in irâ molesti erant mihi.

4. Cor meum conturbátum est in me; * & formído mortis cécidit super me.

5. Timor & tremor venérunt super me; * & contexérunt me ténebræ.

6. Et dixi: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? * & volábo, & requiescam.

7. Ecce elongávi fúgiẽs; * & mansi in solitúdine.

8. Exspectábam eum qui salvum me fecit, * à pusillanimitáte spíritûs & tempestáte.

II. *Divisio Psalmi* 54.

9. PRæcípita, Dómine, dívide linguas eórum; * quóniam vidi iniquitátem & contradictiónem in civitáte.

10. Die ac nocte circúmdabit eam super muros ejus iníquitas; & labor in médio ejus, & injustítia: * & non defécit de platéis ejus usúra & dolus.

11. Quóniam si inimícus meus maledixisset mihi, * sustinuissem útique;

12. Et si is qui óderat me, super me magna locútus fuisset, * abscondissem me fórsitan ab eo.

13. Tu verò, homo unánimis, * dux meus & notus meus;

14. Qui simul mecum dulces capiébas cibos, * in domo Dei ambulávimus cum consensu.

15. Véniat mors super illos, & descendant in infernum viventes; * quóniam nequítiæ in habitáculis eórum, in médio eórum.

16. Ego autem ad Deum clamávi; * & DÓMINUS salvábit me.

III. *Divisio Psalmi* 54.

17. VÉspere, & mane, & merídie narrábo & annuntiábo; * & exáudiet vocem meam.

18. Rédimet in pace ánimam meam ab his qui appropinquant mihi; * quóniam inter multos erant mecum.

19. Exáudiet Deus, & humiliábit illos; * qui est ante sécula.

20. Non enim est illis commutátio, * & non timuérunt Deum.

21. Extendit manum suam in retribuendo : * contaminavérunt testamentum ejus.

22. Divísi sunt ab irâ vultûs ejus ; * & appropinquávit cor illíus.

23. Mollíti sunt sermónes ejus super óleum ; * & ipsi sunt jácula.

24. Jacta super DÓMINUM curam tuam, & ipse te enútriet ; * non dabit in æternum fluctuatiónem justo.

25. Tu verò, Deus, dedúces eos in púteum intéritûs ; viri sánguinum & dolósi non dimidiábunt dies suos : * ego autem sperábo in te, Dómine.

IV. PSALMUS 58.

Christus morti traditus, Judæorum dispersiónem prædicit.

1. ERipe me de inimícis meis, Deus meus ; * & ab insurgéntibus in me líbera me.

2. Eripe me de operántibus iniquitátem ; * & de viris sánguinum salva me.

3. Quia ecce cepérunt ánimam meam : * irruérunt in me fortes.

4. Neque iníquitas mea, neque peccátum meum, DÓMINE : sine iniquitáte cucurri & direxi : * exsurge in occursum meum, & vide.

5. Et tu, DÓMINE Deus virtútum, Deus Israel, intende ad visitandas omnes gentes : * non misereáris ómnibus qui operantur iniquitátem.

6. Convertentur ad vésperam, & famem patientur ut canes ; * & circuíbunt civitátem.

7. Ecce loquentur in ore suo, & gládius in lábiis eórum ; * quóniam quis audívit ?

8. Et tu, DÓMINE, deridébis eos : * ad níhilum dedúces omnes gentes.

9. Fortitúdinem meam ad te custódiam ; * quia Deus susceptor meus es.

10. Deus meus, misericórdia ejus prævéniet me : * Deus ostendet mihi super inimícos meos.

11. Ne occídas eos, nequando obliviscantur pópuli mei : * disperge illos in virtúte tuâ, & depóne eos, protector meus, Dómine.

12. Delictum oris eórum, sermónem labiórum ipsórum, * & comprehendantur in supérbiâ suâ.

13. Et de exsecratióne & mendácio annuntiabuntur in consummatióne, * in irâ consummatiónis, & non erunt.

14. Et scient quia Deus dominábitur Jacob, * & fínium terræ.

15. Convertentur ad vésperam, & famem patientur ut canes, * & circuíbunt civitátem.

16. Ipsi dispergentur ad manducandum; * si verò non fuerint saturáti, & murmurábunt.

17. Ego autem cantábo fortitúdinem tuam, * & exsultábo mane misericórdiam tuam.

18. Quia factus es susceptor meus,* & refúgium meum in die tribulatiónis meæ.

19. Adjútor meus, tibi psallam, quia Deus suscéptor meus es; * Deus meus, misericórdia mea.

V. Psalmus 69.

Christus pro nobis patiens sibi pro nobis opem precatur.

1. DEus, in adjutórium meum intende; * Dómine, ad adjuvandum me, festína.

2. Confundantur & revereantur, * qui quærunt ánimam meam.

3. Avertantur retrorsùm & erubescant,* qui volunt mihi mala.

4. Avertantur statìm erubescentes,* qui dicunt mihi: Euge, euge.

5. Exsultent & lætentur in te omnes qui quærunt te; * & dicant semper, Magnificétur Dóminus, qui díligunt salutáre tuum.

6. Ego verò egénus & pauper sum: * Deus, ádjuva me.

7. Adjútor meus, & líberátor meus es tu: * Dómine, ne moréris.

VI. Psalmus 75.

Terribilis Deus in judiciis contra inimicos Ecclesiæ.

1. NOtus in Judæâ Deus: * in Israel magnum nomen ejus.

2. Et factus est in pace locus ejus, * & habitátio ejus in Sion.

3. Ibi confrégit poténtias árcuum, * scutum, gládium & bellum.

4. Illúminans tu mirabíliter * à móntibus æternis.

5. Turbáti sunt omnes insipientes corde; dormiérunt somnum suum, * & nihil invenérunt omnes viri divitiárum in mánibus suis.

6. Ab increpatióne tuâ, Deus Jacob, * dormitavérunt qui ascendérunt equos.

7. Tu terríbilis es; * & quis resistet tibi, ex tunc ira tua?

8. De cœlo audítum fecisti judícium: * terra trémuit & quiévit.

9. Cùm exsúrgeret in judícium Deus, * ut salvos fáceret omnes mansuétos terræ.

10. Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi: * & relíquiæ cogitatiónis diem festum agent tibi.

11. Vovéte & rèddite Dómino Deo vestro, * omnes qui in circúitu ejus affertis múnera;

12. Terríbili & ei qui aufert spíritum príncipum, * terríbili apud Reges terræ.

Ant. Ab insurgéntibus in me, líbera me, Dómine; quia irruérunt in me fortes. *Ps.* 58.

Temp. Pasch. Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Lectio, ℣. *& Collecta*, *ut in Proprio.*

AD LAUDES.

I. PSALMUS 70.

Oratio Christi & Ecclesiæ auxilium Dei adversùs impios deprecantium.

1. IN te, DÓMINE, sperávi: * non confúndar in ætérnum.

2. In justítiâ tuâ líbera me, & éripe me: * inclína ad me aurem tuam, & salva me.

3. Esto mihi in Deum protectórem, & in locum munítum, ut salvum me fácias; * quóniam firmaméntum meum & refúgium meum es tu.

4. Deus meus, éripe me de manu peccatóris, * & de manu contra legem agentis, & iníqui;

5. Quóniam tu es patiéntia mea, Dómine; * DÓMINE, spes mea à juventúte meâ.

6. In te confirmátus sum ex útero; de ventre matris meæ tu es protector meus: * in te cantátio mea semper.

7. Tamquàm prodígium factus sum multis; * & tu adjútor fortis.

8. Repleátur os meum laude; * ut cantem glóriam tuam, totâ die magnitúdinem tuam.

9. Ne projícias me in témpore senectútis: * cùm defécerit virtus mea, ne derelinquas me.

10. Quia dixérunt inimíci mei mihi; * & qui custodiébant ánimam meã, consílium fecérunt in unum,

11. Dicentes: Deus derelíquit eum; persequímini, & comprehéndite eum; * quia non est qui erípiat.

12. Deus, ne elongéris à me: * Deus meus, in auxílium meum réspice.

13. Confundántur & defíciant detrahentes ánimæ meæ: * operiántur confusióne & pudóre, qui quærunt mala mihi.

14. Ego autem semper sperábo; * & adjíciam super omnem laudem tuam.

Ant. Deus meus, éripe me de manu peccatóris; quóniam tu es patiéntia mea.

II. *Divisio Psalmi* 70.

15. OS meum annuntiábit justítiam tuã, totâ die salutáre tuum; * quóniam non cognóvi litteratúram.

16. Introíbo in poténtias Dómini: * DÓMINE, memorábor justítiæ tuæ solíus.

17. Deus, docuísti me à juventúte meâ; * & usquè nunc pronuntiábo mirabília tua.

18. Et usque in senéctam & sénium, Deus, ne derelinquas me; * donec annúntiem bráchium tuum generatióni omni quæ ventúra est,

19. Poténtiam tuam, & justítiam tuam, Deus, usque in altíssima, quæ fecisti magnália: * Deus, quis símilis tibi?

20. Quantas ostendisti mihi tribulatiónes multas & malas, & convérsus vivificasti me; * & de abyssis terræ íterùm reduxisti me.

21. Multiplicasti magnificéntiam tuam; * & convérsus consolátus es me.

22. Nam & ego confitébor tibi in vasis psalmi veritátem tuam, Deus: * psallam tibi in cítharâ Sanctus Israel.

23. Exsultábunt lábia mea cùm cantávero tibi, * & ánima mea quam redemisti.

24. Sed & lingua mea totâ die meditábitur justítiam tuam, * cùm confúsi & revériti fúerint qui quærunt mala mihi.

Ant. Lingua mea totâ die meditábitur justítiam tuam, cùm confúsi & revériti fúerint qui quærunt mala mihi.

III. Cant. Habacuc. 3.

Prophetia de Christi passione, Ecclesiæ tribulationibus & victoriis.

1. DOMINE, audívi auditiónem tuam, * & tímui.

2. DÓMINE, opus tuum, in médio annórum vivífica illud; in médio annórum notum fácies: * cùm irátus fúeris, misericórdiæ recordáberis.

3. Deus ab Austro véniet, * & Sanctus de monte Pharan.

4. Opéruit cœlos glória ejus, & laudis ejus plena est terra: * splendor ejus ut lux erit.

5. Córnua in mánibus ejus: * ibi abscóndita est fortitúdo ejus.

6. Ante fáciem ejus ibit mors; * & egrediétur diábolus ante pedes ejus.

7. Stetit, & mensus est terram: * adspexit, & dissolvit gentes.

8. Et contríti sunt montes sǽculi: * incurváti sunt colles mundi, ab itinéribus æternitátis ejus.

9. Pro iniquitáte vidi tentória Æthiópiæ: * turbabuntur pelles terræ Mádian.

10. Numquid in flumínibus irátus es, DÓMINE? aut in flúminibus furor tuus?* vel in mari indignátio tua?

11. Qui ascendes super equos tuos, * & quadrígæ tuæ salvátio.

12. Súscitans suscitábis arcum tuum, * juramenta tribubus quæ locútus es.

13. Flúvios scindes terræ; * vidérunt te, & doluérunt montes.

14. Gurges aquárum tránsiit;

tránsiit; dedit abyssus vocem suam; * altitúdo manus suas levávit.

15. Sol & luna stetérunt in habitáculo suo: * in luce sagittárum tuárum ibunt, in splendóre fulgurantis hastæ tuæ.

16. In frémitu conculcábis terram, * & in furóre obstupefácies gentes.

Ant. Cùm irátus fúeris, Dómine, misericórdiæ recordáberis.

IV. *Divisio Cantici Habacuc.*

17. EGressus es [Dómine] in salútem pópuli tui, * in salútem cum Christo tuo.

18. Percussisti caput de domo ímpii; * denudasti fundamentum ejus usque ad collum.

19. Maledixisti sceptris ejus, cápiti bellatórum ejus, veniéntibus ut turbo ad dispergendum me: * exsultátio eórum sicut ejus qui dévorat páuperem in abscóndito.

20. Viam fecisti in mari equis tuis, * in luto aquárum multárum.

21. Audívi, & conturbátus est venter meus; * à voce contremuérunt lábia mea.

22. Ingrediátur putrédo in óssibus meis, * & subter me scáteat:

23. Ut requiescam in die tribulatiónis; * ut ascendam ad pópulum accinctum nostrum.

24. Ficus enim non florébit; * & non erit germen in víneis.

25. Mentiétur opus olívæ; * & arva non áfferent cibum.

26. Abscindétur de ovíli pecus; * & non erit armentum in præsépibus.

27. Ego autem in DÓMINO gaudébo; * & exsultábo in Deo JESU meo.

28. DEUS Dóminus fortitúdo mea; * & ponet pedes meos quasi cervórum; & super excelsa mea dedúcet me.

Ant. Ego in Dómino gaudébo, & exsultábo in Deo Jesu meo. Deus Dóminus fortitúdo mea.

V. PSALMUS 149.

Christus celebrandus qui suis in gentes ultricem potestatem daturus est.

1. CAntáte DÓMINO cánticum novum; * laus ejus in ecclésiâ sanctórum.

2. Lætétur Israel in eo qui fecit eum; * & filii Sion exsultent in Rege suo.

3. Laudent nomen ejus in choro; * in tympano & psaltério psallant ei.

4. Quia beneplácitum est DÓMINO in pópulo suo; * & exaltábit mansuétos in salútem.

5. Exsultábunt sancti in glóriâ; * lætabuntur in cubílibus suis.

6. Exaltatiónes Dei in gútture eórum; * & gládii ancípites in mánibus eórum:

7. Ad faciendam vindíctam in natiónibus, * increpatiónes in pópulis;

8. Ad alligandos reges eórum in compédibus; * & nóbiles eórum in mánicis férreis;

9. Ut fáciant in eis judícium conscriptum: * glória hæc est ómnibus sanctis ejus.

Ant. Lætétur Israel in eo qui fecit eum; & fílii Sion exsúltent in Rege suo.

Temp. Pasch. Ant. unica. Tráditus est propter delícta nostra, resurrexit propter justificatiónem nostrã. *Rom.* 4.

Lectio, ℟. *br. Hymnus*, ℣. *Ant. ad* Benedíctus. & *Collecta, ut in Proprio.*

AD PRIMAM.

PSALMUS 16.

Christi pro nobis patientis oratio cum spe resurgendi.

1. EXaudi, DÓMINE, justítiam meam: * inténde deprecatiónem meã.

2. Auribus pércipe oratiónem meam, * non in lábiis dolósis.

3. De vultu tuo judícium meum pródeat: * óculi tui vídeant æquitátes.

4. Probasti cor meum, & visitasti nocte: * igne me examinasti, & non est inventa in me iníquitas.

5. Ut non loquátur os meum ópera hóminum: * propter verba labiórum tuórum, ego custodívi vias duras.

6. Pérfice gressus meos in sémitis tuis; * ut non moveantur vestígia mea.

7. Ego clamávi, quóniã exaudísti me, Deus: * inclína aurem tuam mihi, & exaudi verba mea.

8. Mirífica misericórdias tuas, * qui salvos facis sperantes in te.

9. A resisténtibus déxteræ tuæ custódi me, ut pupillam óculi: * sub umbrâ alárum tuárum prótege me, à fácie impiórum qui me afflixérunt.

10. Inimíci mei ánimam meam circumdedérunt; ádipem suum conclusérunt; * os eórum locútum est supérbiam.

11. Projiciéntes me, nunc circumdedérunt me: * óculos suos statuérunt declináre in terram.

12. Suscepérunt me sicut leo parátus ad prædam, * & sicut cátulus leónis hábitans in ábditis.

13. Exsurge, DÓMINE, præveni eum, & supplanta eum; * éripe ánimam meam ab ímpio, frámeam tuam ab inimícis manûs tuæ.

14. DÓMINE, à paucis de terrâ dívide eos in vitâ eó-

tuam: * de abscónditis tuis adimplétus est venter eórum.

15. Saturáti sunt filii, * & dimisérunt relíquias suas párvulis suis.

16. Ego autem in justítiâ apparébo conspéctui tuo; * satiábor; cùm apparúerit glória tua.

PSALMUS 57.

Christus Judæorum injustitiam arguit, & Dei vindictam in ipsos pronuntiat.

1. SI verè útique justítiam loquímini? * recta judicáte, filii hóminum.

2. Etenim in corde iniquitátes operámini: * in terrâ injustítias manus vestræ concinnant.

3. Alienáti sunt peccatóres à vulvâ; erravérunt ab útero; * locúti sunt falsa.

4. Furor illis secundùm similitúdinem serpentis; * sicut áspidis surdæ & obturantis aures suas:

5. Quæ non exáudiet vocem incantántium, * & venéfici incantantis sapienter.

6. Deus cónteret dentes eórum in ore ipsórum: * molas leónum confringet DÓMINUS.

7. Ad níhilum devénient tamquàm aqua decurrens: * intendit arcum suum donec infirmentur.

8. Sicut cera quæ fluit, auferentur: * supercécidit ignis, & non vidérunt solem.

9. Priusquàm intellígerent spinæ vestræ rhamnum; * sicut viventes, sic in irâ absorbet vos.

10. Lætábitur justus cùm víderit vindíctam: * manus suas lavábit in sánguine peccatóris.

11. Et dicet homo: Si útique est fructus justo; * útique est Deus júdicans eos in terrâ.

PSALMUS 128.

Christi & Ecclesiæ prælia & victoria.

1. SÆpè expugnavérunt me à juventúte meâ; * dicat nunc Israel:

2. Sæpè expugnavérunt me à juventúte meâ; * étenim non potuérunt mihi.

3. Supra dorsum meum fabricavérunt peccatóres: * prolongavérunt iniquitátem suam.

4. DÓMINUS justus; * concídit cervíces peccatórum.

5. Confundantur & convertantur retrorsùm, * omnes qui odérunt Sion.

6. Fiant sicut fœnum tectórum, * quod priusquàm evellátur exáruit:

7. De quo non implévit manum suam qui metit, * & sinum suum qui manípulos cólligit:

8. Et non dixérunt qui præteríbant: Benedíctio DÓMINI super vos; * be-

nedíximus vobis in nómine Dómini.

Ant. Pérfice greſſus meos in ſémitis tuis, ut non moveantur veſtígia mea.

Temp. Paſch. Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

AD TERTIAM.

Psalmus 39.

Veterum victimarum loco ſe ſubſtituit Chriſtus; ipſe obedientiæ typus.

1. EXſpectans exſpectávi Dóminum; * & inténdit mihi.

2. Et exaudívit preces meas; * & eduxit me de lacu miſériæ, & de luto fæcis.

3. Et ſtátuit ſuper petram pedes meos; * & direxit greſſus meos.

4. Et immíſit in os meum cánticum novum, * carmen Deo noſtro.

5. Vidébunt multi, & timébunt; * & ſperábunt in Dómino.

6. Beátus vir cujus eſt nomen Dómini ſpes ejus; * & non reſpexit in vanitátes & inſánias falſas.

Diviſio Pſalmi 39.

7. MUlta feciſti tu, Dómine Deus meus, mirabília tua; * & cogitatiónibus tuis non eſt qui ſímilis ſit tibi.

8. Annuntiávi, & locútus ſum: * multiplicáti ſunt ſuper númerum.

9. Sacrifícium & oblatiónem noluiſti; * aures autem perfeciſti mihi.

10. Holocauſtum & pro peccáto non poſtulaſti; * tunc dixi: Ecce vénio.

11. In cápite libri ſcriptum eſt de me, ut fácerem voluntátem tuam: * Deus meus, vólui; & lex tua in médio cordis mei.

12. Annuntiávi juſtítiam tuam in eccléſiâ magnâ: * ecce lábia mea non prohibébo; Dómine, tu ſciſti.

13. Juſtítiam tuam non abſcondi in corde meo: veritátem tuam & ſalutáre tuum dixi: * non abſcondi miſericórdiam tuam à concílio multo.

14. Tu autem, Dómine, ne longè fácias miſeratiónes tuas à me; * miſericórdia tua & véritas tua ſemper ſuſcepérunt me.

15. Quóniam circumdedérunt me mala, quorum non eſt númerus: * comprehendérunt me iniquitátes meæ; & non pótui ut vidérem:

16. Multiplicátæ ſunt ſuper capillos cápitis mei; * & cor meum dereliquit me.

Diviſio Pſalmi 39.

17. COmpláceat tibi, Dómine, ut éruas me: * Dómine, ad adjuvandum me réſpice.

18. Confundantur & revereantur ſimul, * qui quærunt ánimam meam, ut áuferant eam.

19. Convertantur retror-

ſum, & reverearntur, * qui volunt mihi mala:

20. Ferant confeſtìm confuſiónem ſuam, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

21. Exſultent & lætentur ſuper te omnes quærentes te; * & dicant ſemper, Magnificétur Dóminus, qui díligunt ſalutáre tuum.

22. Ego autem mendícus ſum & pauper: * Dóminus ſollícitus eſt meî.

23. Adjútor meus & protéctor meus tu es: * Deus meus, ne tardáveris.

Ant. Circumdedérunt me mala, quorum non eſt númerus: compláceat tibi, Dómine, ut éruas me.

Temp. Paſch. Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Lectio, ℣. *& Collecta, ut in Proprio.*

AD SEXTAM.

PSALMUS 101.

Judaicæ captivitatis mala, Eccleſiæ ædificatio; promiſſa Sion immutabilis reſtauratio.

1. DOMINE, exaudi oratiónem meam; * & clamor meus ad te véniat.

2. Non avertas fáciem tuam à me: * in quâcumque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

3. In quâcumque die invocávero te, * velóciter exaudi me.

4. Quia defecérunt ſicut fumus dies mei; * & oſſa mea ſicut crémium aruérũt.

5. Percuſſus ſum ut fœnum, & áruit cor meum; * quia oblítus ſum comédere panem meum.

6. A voce gémitûs mei, * adhæſit os meum carni meæ.

7. Símilis factus ſum pelicáno ſolitúdinis: * factus ſum ſicut nycticorax in domicílio.

8. Vigilávi, * & factus ſum ſicut paſſer ſolitárius in tecto.

9. Totâ die exprobrábant mihi inimíci méi; * & qui laudábant me, adverſùm me jurábant.

10. Quia cínerem tamquam panem manducábam; * & potum meum cum fletu miſcébam:

11. A fácie iræ & indignatiónis tuæ; * quia élevans alliſiſti me.

12. Dies mei ſicut umbra declinavérunt; * & ego ſicut fœnum árui.

13. Tu autem, Domine, in æternum pérmanes; * & memoriále tuum in generatiónem & generatiónem.

Diviſio Pſalmi 101.

14. TU exſurgens miſeréberis Sion; * quia tempus miſerendi ejus, quia venit tempus.

15. Quóniam placuérunt ſervis tuis lápides ejus, * & terræ ejus miſerebuntur.

16. Et timébunt gentes nomen tuum, Domine, *

& omnes Reges terræ glóriam tuam.

17. Quia ædificávit Dóminus Sion; * & vidébitur in glóriâ suâ.

18. Respexit in oratiónem humílium; * & non sprevit precem eórum.

19. Scribantur hæc in generatiónem álteram: * & pópulus qui creábitur, laudábit Dóminum.

20. Quia prospexit de excelso sancto suo; * Dóminus de cœlo in terram adspexit:

21. Ut audíret gémitus compeditórum; * ut sólveret filios interemptórum:

22. Ut annúntient in Sion nomen Dómini, * & laudem ejus in Jerúsalem:

23. In conveniendo pópulos in unum & Reges, * ut sérviant Dómino.

24. Respondit ei in viâ virtútis suæ: * Paucitátem diérum meórum núntia mihi.

25. Ne révoces me in dimídio diérum meórum: * in generatiónes generatiónum anni tui.

Divisio Psalmi 101.

26. INitio tu, Dómine, terram fundasti; * & ópera mánuum tuárum sunt cœli.

27. Ipsi peribunt; * tu autem pérmanes.

28. Et omnes sicut vestimentum veterascent; * & sicut opertórium mutábis eos, & mutabuntur.

29. Tu autem idem ipse es; * & anni tui non defícient.

30. Fílii servórum tuórum habitábunt; * & semen eórum in séculum dirigétur.

Ant. Potum meum cum fletu miscébam, à fácie iræ & indignatiónis tuæ, Dómine.

Temp. Pasch. Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Lectio, ℣. & Collécta, ut in Proprio.

AD NONAM.

PSALMUS 21.

Vox Christi in cruce: per passionem suam gentes liberabit.

1. DEus, Deus meus, [réspice in me:] quare me dereliquisti? * longè à salúte meâ verba delictórum meórum.

2. Deus meus, clamábo per diem, & non exáudies; * & nocte, & non ad insipiéntiam mihi.

3. Tu autem in sancto hábitas, * laus Israel.

4. In te speravérunt patres nostri; * speravérunt, & liberasti eos.

5. Ad te clamavérunt, & salvi facti sunt; * in te speravérunt, & non sunt confúsi.

6. Ego autem sum vermis, & non homo; * oppróbrium hóminum, & abjéctio plebis.

7. Omnes videntes me,

derisérunt me :* locúti sunt lábiis, & movérunt caput.

8. Sperávit in DÓMINO, erípiat eum : * salvum fáciat eum, quóniam vult eum.

9. Quóniam tu es qui extraxísti me de ventre ; * spes mea ab ubéribus matris meæ.

10. In te projectus sum ex útero : * de ventre matris meæ Deus meus es tu.

Divisio Psalmi 21.

11. NE discésseris à me:* quóniam tribulátio próxima est ; quóniam non est qui ádjuvet.

12. Circumdedérunt me vítuli multi ; * tauri pingues obsedérunt me :

13. Aperuérunt super me os suum,* sicut leo rápiens & rúgiens.

14. Sicut aqua effúsus sum ; * & dispersa sunt ómnia ossa mea.

15. Factum est cor meum tamquàm cera liquescens,* in médio ventris mei.

16. Aruit tamquàm testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis ; * & in púlverem mortis deduxísti me :

17. Quóniam circumdedérunt me canes multi : * concílium malignántium obsédit me.

18. Fodérunt manus meas & pedes meos : * dinumeravérunt ómnia ossa mea.

19. Ipsi verò consideravérunt & inspexérunt me;* divisérunt sibi vestimenta mea ; & super vestem meã misérunt sortem.

20. Tu autem, DÓMINE, ne elongáveris auxílium tuum à me ; * ad defensiónem meam cónspice.

21. Erue à frámeâ, Deus, ánimam meam, * & de manu canis únicam meam.

22. Salva me ex ore leónis,* & à córnibus unicórnium humilitátem meam.

Divisio Psalmi 21.

23. NArrábo nomen tuũ frátribus meis:* in médio Ecclésiæ laudábo te.

24. Qui timétis DÓMINUM, laudáte eum ; univérsum semen Jacob, glorificáte eum : * tímeat eum omne semen Israel.

25. Quóniam non sprevit, neque despexit deprecatiónem páuperis ; nec avertit fáciem suam à me;* & cùm clamárem ad eum, exaudívit me.

26. Apud te laus mea in ecclésiâ magnâ : * vota mea reddam in conspectu timéntium eum.

27. Edent páuperes, & saturabuntur ; & laudábunt DÓMINUM qui requírunt eum:* vivent corda eórum in séculum séculi.

28. Reminiscentur, & convertentur ad DÓMINUM univérsi fines terræ ; * & adorábunt in conspectu ejus, univérsæ famíliæ géntium.

29. Quóniam DÓMINI est

regnum; * & ipse dominábitur géntium.

30. Manducavérunt, & adoravérunt omnes pingues terræ: * in conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram.

31. Et ánima mea illi vivet; * & semen meum sérviet ipsi.

32. Annuntiábitur Dómino generátio ventúra;* & annuntiábunt justítiam ejus pópulo qui nascétur, quem fecit Dóminus.

Ant. Deus meus, quare me dereliquisti? longè à salúte meâ verba delictórum meórum.

Temp. Pasch. Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Lectio, ℣. & Collecta, ut in Proprio.

AD VESPERAS.

I. PSALMUS 138.

Deus ubique præsens; sciens omnia. Vox Christi in incarnatione, passione & resurrectione.

1. DOMINE, probasti me, & cognovisti me: * tu cognovisti sessiónem meam & resurrectiónem meam.

2. Intellexisti cogitatiónes meas de longè: sémitam meam & funículum meum investigasti; * & omnes vias meas prævidisti.

3. Quia non est sermo in linguâ meâ; * ecce, DOMINE, tu cognovisti ómnia novíssima & antíqua.

4. Tu formasti me, * & posuisti super me manum tuam.

5. Mirábilis facta est sciéntia tua ex me: * confortáta est, & non pótero ad eam.

6. Quò ibo à spíritu tuo?* & quò à fácie tuâ fúgiam?

7. Si ascéndero in cœlum, tu illic es; * si descéndero in infernum, ades.

8. Si súmpsero pennas meas dilúculo, * & habitávero in extrémis maris.

9. Etenim illuc manus tua dedúcet me; * & tenébit me déxtera tua.

10. Et dixi: Fórsitan ténebræ conculcábunt me; * & nox illuminátio mea in delíciis meis.

11. Quia ténebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminábitur: * sicut ténebræ ejus, ita & lumen ejus.

12. Quia tu possedisti renes meos: * suscepisti me de útero matris meæ.

Ant. Posuisti super me manum tuam, Dómine: quò à fácie tuâ fúgiam?

II. *Divisio Psalmi* 138.

13. CONfitébor tibi, quia terribíliter magnificátus es:* mirabília ópera tua, & ánima mea cognoscit nimìs.

14. Non est occultátum os meum à te, quod fecisti in occulto; * & substántia mea in inferióribus terræ.

15. Imperfectum meum

vidérunt óculi tui ; & in libro tuo omnes scribentur dies : * formabuntur, & nemo in eis.

16. Mihi autem nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus : * nimis confortátus est principátus eórum.

17. Dinumerábo eos, & super arénam multiplicabuntur : * exsurrexi, & adhuc sum tecum.

18. Si occíderis, Deus, peccatóres, * viri sánguinum, declináte à me.

19. Quia dícitis in cogitatióne : * Accípient in vanitáte civitátes tuas.

20. Nonne qui odérunt te, DÓMINE, óderam ; * & super inimícos tuos tabescébam ?

21. Perfecto ódio óderam illos ; * & inimíci facti sunt mihi.

22. Proba me, Deus, & scito cor meum : * intérroga me, & cognosce sémitas meas ;

23. Et vide si via iniquitátis in me est ; * & deduc me in viâ æternâ.

Ant. Proba me, Deus, & scito cor meum : intérroga me, & cognosce sémitas meas.

III. PSALMUS 139.

Christus patiens & fideles se ab improbis defendi precantur.

1. ERipe me, DÓMINE, ab hómine malo ; * à viro iníquo eripe me :

2. Qui cogitavérunt iniquitátes in corde ; * totâ die constituébant prælia.

3. Acuérunt linguas suas sicut serpentis : * venénum áspidum sub lábiis eórum.

4. Custódi me, DÓMINE, de manu peccatóris, * & ab homínibus iníquis éripe me, qui cogitavérunt supplantáre gressus meos.

5. Abscondérunt supérbi láqueum mihi ; & funes extendérunt in láqueum ; * juxta iter scándalum posuérunt mihi.

6. Dixi DÓMINO : Deus meus es tu ; * exaudi, DÓMINE, vocem deprecatiónis meæ.

Ant. Custódi me, Dómine de manu peccatóris.

IV. *Divisio Psalmi* 139.

7. DOMINE Dómine, virtus salútis meæ, * obumbrasti super caput meum in die belli.

8. Ne tradas me, DÓMINE, à desidério meo peccatóri : * cogitavérunt contra me ; ne derelinquas me ; ne fortè exaltentur.

9. Caput circúitûs eórum, * labor labiórum ipsórum opériet eos.

10. Cadent super eos carbónes ; in ignem dejícies eos ; * in misériis non subsistent.

11. Vir linguósus non dirigétur in terrâ : * virum injustum mala cápient in intéritu.

12. Cognóvi quia fáciet DÓMINUS judícium ínopis, * & vindíctam páuperum.

13. Verúmtamen justi confitebûtur nómini tuo;* & habitábunt recti cum vultu tuo.

Ant. Dómine Dómine, virtus salútis meæ, ne derelinquas me.

Temp. Pasch. Ant. unica. Erípuit nos Deus de potestáte tenebrárum; & transtúlit in regnum Fílii dilectiónis suæ. Allelúia. *Coloss.* 1.

Lectio, ℟. *br. Hymnus*, ℣. *Ant. ad* Magníficat. *& Collecta, ut in Proprio.*

AD COMPLETORIUM.

PSALMUS 37.

Peccatoris pœnitentis dolor & gemitus.

1. DÓMINE, ne in furóre tuo árguas me;* neque in irâ tuâ corrípias me.

2. Quóniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi;* & confirmasti super me manum tuam.

3. Non est sánitas in carne meâ à fácie iræ tuæ; * non est pax óssibus meis à fácie peccatórum meórum.

4. Quóniam iniquitátes meæ supergressæ sunt caput meum; * & sicut onus grave graváŧæ sunt super me.

5. Putruérunt & corruptæ sunt cicatrices meæ, * à fácie insipiéntiæ meæ.

6. Miser factus sum, & curvátus sum usquè in finem: * totâ die contristátus ingrediébar.

7. Quóniam lumbi mei impléti sunt illusiónibus; * & non est sánitas in carne meâ.

8. Afflictus sum & humiliátus sum nimis: * rugiébam à gémitu cordis mei.

9. Dómine, ante te omne desidérium meum; * & gémitus meus à te non est abscónditus.

10. Cor meum conturbátum est, derelíquit me virtus mea; * & lumen oculórum meórum, & ipsum non est mecum.

Divisio Psalmi 37.

11. AMíci mei & próximi mei adversùm me appropinquavérunt & stetérunt; * & qui juxta me erant, de longè stetérunt.

12. Et vim faciébant, qui quærébant ánimam meã;* & qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes, & dolos totâ die meditabantur.

13. Ego autem tamquàm surdus non audiébam, * & sicut mutus non apériens os suum.

14. Et factus sum sicut homo non áudiens, * & non habens in ore suo redargutiónes.

15. Quóniam in te, Dómine, sperávi: * tu exáudies me, Dómine Deus meus.

16. Quia dixi: Nequando supergáudeant mihi inimíci mei; * & dum commoventur pedes mei, super me magna locúti sunt.

17. Quóniam ego in flagella parátus sum; * & dolor meus in conspectu meo semper.

18. Quóniam iniquitátem meam annuntiábo; * & cogitábo pro peccáto meo:

19. Inimíci autem mei vivunt, & confirmáti sunt super me; * & multiplicáti sunt qui odérunt me iniquè.

20. Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi; * quóniam sequébar bonitátem.

21. Ne derelinquas me, Dómine; Deus meus, ne discésseris à me: * intende in adjutórium meum, Dómine Deus salútis meæ.

Psalmus 55.

Justi à Deo auxilium postulantis oratio.

1. Miserére meî, Deus; quóniam conculcávit me homo: * totâ die impugnans tribulávit me.

2. Conculcavérunt me inimíci mei totâ die; * quóniam multi bellantes adversùm me.

3. Ab altitúdine diéi timébo; * ego verò in te sperábo.

4. In Deo laudábo sermónes meos: * in Deo sperávi; non timébo quid fáciat mihi caro.

5. Totâ die verba mea execrabantur: * adversùm me omnes cogitatiónes eórum in malum.

6. Inhabitábunt & abscondent; * ipsi calcáneum meum observábunt.

7. Sicut sustinuérunt ánimam meam, pro níhilo salvos fácies illos: * in irâ pópulos confringes.

8. Deus, vitam meam annuntiávi tibi: * posuisti lácrymas meas in conspectu tuo, sicut & in promissióne tuâ.

9. Tunc convertentur inimíci mei retrorsùm: * in quâcumque die invocávero te, ecce cognóvi quóniam Deus meus es.

10. In Deo laudábo verbum: * in Dómino laudábo sermónem.

11. In Deo sperávi: * non timébo quid fáciat mihi homo.

12. In me sunt, Deus, vota tua, * quæ reddam, laudatiónes tibi.

13. Quóniam eripuisti ánimam meam de morte, & pedes meos de lapsu; * ut pláceam coram Deo in lúmine vivéntium.

Cant. Nunc dimittis.

SABBATO.

Militantem Ecclesiam perpetuâ Christus donans pace; merces Justis promissa.

AD OFFICIUM NOCT.

Ant. in Ps. Veníte. & *Hymnus, ut in Proprio.*

IN I. NOCTURNO.

I. PSALMUS 13.

Gratiæ Redemptoris necessitas.

1. DIxit insípiens in corde suo: * Non est Deus.

2. Corrupti sunt & abominábiles facti sunt in stúdiis suis: * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

3. DÓMINUS de cœlo prospexit super filios hóminum; * ut vídeat, si est intélligens, aut requírens Deum.

4. Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt: * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

[5. Sepulcrum patens est guttur eórum: linguis suis dolósè agébant: * venénum áspidum sub lábiis eórum.

6. Quorum os maledictióne & amaritúdine plenum est; * velóces pedes eórum ad effundendum sánguinem.

7. Contrítio & infelícitas in viis eórum, & viam pacis non cognovérunt; * non est timor Dei ante óculos eórum.]

8. Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam sicut escam panis?

9. DÓMINUM non invocavérunt;* illic trepidavérunt timóre, ubi non erát timor.

10. Quóniam Dóminus in generatióne justâ est: * consílium ínopis confudístis; quóniam DÓMINUS spes ejus est.

11. Quis dabit ex Sion salutáre Israel?* cùm avérterit DÓMINUS captivitátem plebis suæ, exsultábit Jacob, & lætábitur Israel.

Ant. Cùm avérterit Dóminus captivitátem plebis suæ, exsultábit Jacob, & lætábitur Israel.

II. PSALMUS 17.

Christi regnum, Ecclesiæ victoria, prædicatio Evangelii.

1. DIligam te, DÓMINE, fortitúdo mea; * DÓMINUS firmamentum meum, & refúgium meum, & liberátor meus.

2. Deus meus adjútor meus;* & sperábo in eum.

3. Protector meus, & cornu salútis meæ; * & susceptor meus.

4. Laudans invocábo Dó-

MINUM; * & ab inimícis meis salvus ero.

5. Circumdedérunt me dolóres mortis; * & torrentes iniquitátis conturbavérunt me.

6. Dolóres inferni circumdedérunt me: * præoccupavérunt me láquei mortis.

7. In tribulatióne meâ invocávi DÓMINUM; * & ad Deum meum clamávi:

8. Et exaudívit de templo sancto suo vocem meam; * & clamor meus in conspectu ejus, introívit in aures ejus.

9. Commóta est & contrémuit terra: * fundamenta móntium conturbáta sunt, & commóta sunt; quóniam irátus est eis.

10. Ascendit fumus in irâ ejus; & ignis à fácie ejus exarsit: * carbónes succensi sunt ab eo.

11. Inclinávit cœlos, & descendit; * & calígo sub pédibus ejus.

12. Et ascendit super Chérubim, & volávit: * volávit super pennas ventórum.

13. Et pósuit ténebras latíbulum suum; * in circúitu ejus tabernáculum ejus, tenebrósa aqua in núbibus áeris.

14. Præ fulgóre in conspectu ejus nubes transiérunt; * grando & carbónes ignis.

15. Et intónuit de cœlo DÓMINUS, * & Altíssimus dedit vocem suam.

16. Et misit sagittas suas, & dissipávit eos: * fúlgura multiplicávit, & conturbávit eos.

17. Et apparuérunt fontes aquárum; * & reveláta sunt fundamenta orbis terrárum:

18. Ab increpatióne tuâ, DÓMINE, * ab inspiratióne spíritûs iræ tuæ.

Ant. Intónuit de cœlo Dóminus, & Altíssimus dedit vocem suam.

III. *Divisio Psalmi* 17.

19. MIsit de summo, & accépit me; * & assumpsit me de aquis multis.

20. Erípuit me de inimícis meis fortíssimis, * & ab his qui odérunt me, quóniam confortáti sunt super me.

21. Prævenérunt me in die afflictiónis meæ; * & factus est DÓMINUS protector meus.

22. Et eduxit me in latitúdinem: * salvum me fecit, quóniam vóluit me.

23. Et retríbuet mihi DÓMINUS secundùm justítiam meam, * & secundùm puritátem mánuum meárum retríbuet mihi:

24. Quia custodívi vias DÓMINI, * nec ímpiè gessi à Deo meo.

25. Quóniam ómnia judícia ejus in conspectu meo; * & justítias ejus non répuli à me.

26. Et ero immaculátus cum eo; * & obſervábo me ab iniquitáte meâ.

27. Et retríbuet mihi Dóminus ſecundùm juſtítiam meam, * & ſecundùm puritátem mánuum meárum in conſpectu oculórum ejus.

28. Cum ſancto ſanctus eris; * & cum viro innocente ínnocens eris.

29. Et cum electo electus eris; * & cum perverſo pervertéris.

30. Quóniam tu pópulum húmilem ſalvum fácies; * & óculos ſuperbórum humiliábis.

31. Quóniam tu illúminas lucernam meam, Dómine: * Deus meus, illúmina ténebras meas.

32. Quóniam in te erípiar à tentatióne; * & in Deo meo tranſgrédiar murum.

Ant. Eduxit me Dóminus in latitúdinem: ſalvum me fecit, quóniam vóluit me.

IV. *Diviſio Pſalmi* 17.

33. DEus meus, impollúta via ejus; elóquia Dómini igne examináta; * protector eſt ómnium ſperántium in ſe.

34. Quóniam quis Deus præter Dóminum? * aut quis Deus præter Deum noſtrum?

35. Deus, qui præcinxit me virtúte, * & póſuit immaculátam viam meam;

36. Qui perfécit pedes meos tamquàm cervórū, * & ſuper excelſa ſtátuens me:

37. Qui docet manus meas ad prælium; * & poſuiſti ut arcum æreum bráchia mea:

38. Et dediſti mihi protectiónem ſalútis tuæ, & déxtera tua ſuſcépit me; * & diſciplína tua correxit me in finem.

39. Dilataſti greſſus meos ſubtus me; * & non ſunt infirmáta veſtígia mea.

40. Pérſequar inimícos meos, & comprehendam illos; * & non convertar donec defíciant.

41. Confringam illos: nec póterunt ſtare: * cadent ſubtus pedes meos.

42. Et præcinxiſti me virtúte ad bellum; * & ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtus me.

43. Et inimícos meos dediſti mihi dorſum; * & odientes me diſperdidiſti.

44. Clamavérunt, nec erat qui ſalvos fáceret: * ad Dóminum, nec exaudívit eos.

45. Et comminuam eos ut púlverem ante fáciem venti: * ut lutum plateárum delébo eos.

Ant. Quis Deus præter Dóminum? aut quis Deus præter Deum noſtrum?

V. *Diviſio Pſalmi* 17.

46. ERípies me de contradictiónibus pópuli mei: * conſtítues me in caput géntium.

47. Pópulus, quem non cognóvi, servívit mihi: * in audítu auris obedívit mihi.

48. Filii aliéni mentíti sunt mihi: * filii aliéni inveteráti sunt, & claudicavérunt à sémitis suis.

49. Vivit Dóminus, & benedíctus Deus meus: * & exaltétur Deus salútis meæ:

50. Deus, qui das vindíctas mihi, & subdis pópulos sub me; * liberátor meus de inimícis meis iracundis:

51. Et ab insurgéntibus in me exaltábis me: * à viro iníquo erípies me.

52. Proptéreà confitébor tibi in natiónibus, Dómine; * & nómini tuo psalmum dicam:

53. Magníficans salútes Regis ejus;* & fáciens misericórdiam Christo suo David, & sémini ejus, usque in séculum.

Ant. Confitébor tibi in natiónibus, Dómine; & nómini tuo psalmum dicam.

VI. Psalmus 86.

Ecclesia Dei laus: ejusque dilatatio.

1. Fundamenta ejus in móntibus sanctis: * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

2. Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

3. Memor ero Rahab & Babylónis, * sciéntium me.

4. Ecce alienígenæ, & Tyrus, & pópulus Æthiópum, * hi fuérunt illìc.

5. Numquid Sion dicet: Homo & homo natus est in eâ; * & ipse fundávit eam Altíssimus?

6. Dóminus narrábit in scriptúris populórum & príncipum, * horum qui fuérunt in eâ.

7. Sicut lætántium, * ómnium habitátio est in te.

Ant. Gloriósa dicta sunt de te, cívitas Dei.

Temp. Pasch. Ant. unica. Deus & Dóminum suscitávit; & nos suscitábit per virtútem suam. Allelúia. *I. Cor. 6.*

℣. Repleátur os meum laude, ut cantem glóriam tuam: ℟. Totâ die magnitúdinem tuam. *Ps. 70.*

Absolutio. Deus spei répleat vos omni gáudio, & pace in credendo, ut abundétis in spe & virtúte Spíritûs Sãcti. *Rom.* 15. ℟. Amen.

Benedictiones ad caput Psalterii.

IN II. NOCTURNO.

I. Psalmus 43.

Ecclesia priora in se Dei beneficia recolens, posterioraque exponens mala, opem sibi à Deo poscit.

1. Deus, áuribus nostris audívimus, patres nostri annuntiavérunt no-

bis, * opus quod operátus es in diébus eórum, & in diébus antíquis.

2. Manus tua gentes dispérdidit, & plantasti eos :* afflixisti pópulos, & expulisti eos.

3. Nec enim in gládio suo possedérunt terram ; * & bráchium eórum non salvávit eos.

4. Sed déxtera tua, & bráchium tuum, & illuminátio vultûs tui ;* quóniam complacuisti in eis.

5. Tu es ipse Rex meus & Deus meus, * qui mandas salútes Jacob.

6. In te inimícos nostros ventilábimus cornu ; * & in nómine tuo spernémus insurgentes in nobis.

7. Non enim in arcu meo sperábo ; * & gládius meus non salvábit me.

8. Salvasti enim nos de affligéntibus nos ; * & odientes nos confudisti.

9. In Deo laudábimur totâ die, * & in nómine tuo confitébimur in séculum.

II. *Divisio Psalmi* 43.

10. NUnc autem repulisti & confudisti nos ; * & non egrediéris, Deus, in virtútibus nostris.

11. Avertisti nos retrorsùm post inimícos nostros ;* & qui odérunt nos, diripiébant sibi.

12. Dedisti nos tamquàm oves escárum * & in géntibus dispersisti nos.

13. Vendidisti pópulum tuum sine prétio ; * & non fuit multitúdo in commutatiónibus eórum.

14. Posuisti nos oppróbrium vicínis nostris, * subsannatiónem & derísum his qui sunt in circúitu nostro.

15. Posuisti nos in similitúdinem géntibus, * commotiónē cápitis in pópulis.

16. Totâ die verecúndia mea contra me est ; * & confúsio faciéi meæ coopéruit me:

17. A voce exprobrantis & obloquentis, * à fácie inimíci & persequentis.

18. Hæc ómnia venérunt super nos, nec oblíti sumus te ; * & iniquè non égimus in testamento tuo :

19. Et non recessit retrò cor nostrum ; * & declinasti sémitas nostras à viâ tuâ.

20. Quóniam humiliasti nos in loco afflictiónis ; * & coopéruit nos umbra mortis.

III. *Divisio Psalmi* 43.

21. SI oblíti sumus nomen Dei nostri, * & si expándimus manus nostras ad deum aliénum ;

22. Nonne Deus requíret ista ? * ipse enim novit abscóndita cordis.

23. Quóniam propter te mortificámur totâ die : * æstimáti sumus sicut oves occisiónis.

24. Exsurge ; quare obdormis, Dómine ? * exsur-

ge; & ne repellas in finem.

25. Quare fáciem tuam avertis; * oblivísceris inópiæ nostræ & tribulatiónis nostræ?

26. Quóniam humiliáta est in púlvere ánima nostra, * conglutinátus est in terrâ venter noster.

27. Exsurge, Dómine, ádjuva nos, * & rédime nos propter nomen tuum.

IV. PSALMUS 59.

Mala gentis deflet Psaltes: Christique regni dilatationem prænuntiat.

1. DEus, repulisti nos, & destruxisti nos: * irátus es; & misertus es nobis.

2. Commovisti terram, & conturbasti eam: * sana contritiónes ejus, quia commóta est.

3. Ostendisti pópulo tuo dura; * potasti nos vino compunctiónis.

4. Dedisti metuéntibus te significatiónem; * ut fúgiant à fácie arcûs.

5. Ut liberentur dilecti tui; * salvum fac dexterâ tuâ, & exaudi me.

6. Deus locútus est in sancto suo: * Lætábor, & partíbor Sichimam; & convallem tabernaculórum metíbor.

7. Meus est Gálaad, & meus est Manasses; & Ephraim fortitúdo cápitis mei: * Juda rex meus.

8. Moab olla spei meæ: in Idumæam extendam calceamentum meum; * mihi alienígenæ súbditi sunt.

9. Quis dedúcet me in civitátem munítam? * quis dedúcet me usque in Idumæam?

10. Nonne tu, Deus, qui repulisti nos; * & non egrediéris, Deus, in virtútibus nostris?

11. Da nobis auxílium de tribulatióne; * quia vana salus hóminis.

12. In Deo faciémus virtútem; * & ipse ad níhilum dedúcet tribulantes nos.

V. PSALMUS 71.

Christi regnum super omnes gentes. Fructus prædicatiónis Evangelicæ.

1. DEus, judícium tuum Regi da, * & justítiam tuam fílio Regis;

2. Judicáre pópulum tuū in justítiâ, * & páuperes tuos in judício.

3. Suscípiant montes pacem pópulo, * & colles justítiam.

4. Judicábit páuperes pôpuli, & salvos fáciet fílios páuperum, * & humiliábit calumniatórem:

5. Et permanébit cum sole & ante lunam, * in generatiónes generatiónū.

6. Descendet sicut plúvia in vellus, * & sicut stillicídia stillántia super terram.

7. Oriétur in diébus ejus justítia & abundántia pacis, * donec auferátur luna.

8. Et dominábitur à mari usque ad mare, * & à flú-

mine uſque ad términos orbis terrárum.

9. Coram illo prócident Æthíopes, & inimíci ejus terram lingent.

VI. *Diviſio Pſalmi* 71.

10. REges Tharſis, & Inſulæ múnera ófferent; * Reges Arabum & Saba dona addúcent;

11. Et adorábunt eum omnes Reges terræ; * omnes gentes ſérvient ei;

12. Quia liberábit páuperem à potente, * & páuperem, cui non erat adjútor.

13. Parcet páuperi & ínopi; * & ánimas páuperum ſalvas fáciet.

14. Ex uſúris & iniquitáte rédimet ánimas eórum, * & honorábile nomen eórum coram illo.

15. Et vivet, & dábitur ei de auro Arábiæ, & adorábunt de ipſo ſemper; * totâ die benedícent ei.

16. Et erit firmamentum in terrâ in ſummis móntium; ſuperextollétur ſuper Líbanum fructus ejus, * & florébunt de civitáte ſicut fœnum terræ.

17. Sit nomen ejus benedictum in ſécula; * ante ſolem pérmanet nomen ejus.

18. Et benedicentur in ipſo omnes tribus terræ; * omnes gentes magnificábunt eum.

19. Benedictus DÓMINUS Deus Iſrael, * qui facit mirabília ſolus.

20. Et benedictum nomen majeſtátis ejus in æternum, & replébitur majeſtáte ejus omnis terra: * fiat, fiat.

Ant. Replébitur majeſtáte Dómini omnis terra: fiat, fiat.

Temp. Paſch. Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Lectio, ℣. & Collecta, ut in Proprio.

AD LAUDES.

I. PSALMUS 74.

Deus judex: hunc laudant Juſti.

1. COnfitébimur tibi, Deus; confitébimur & invocábimus nomen tuum: * narrábimus mirabília tua.

2. Cùm accépero tempus, * ego juſtítias judicábo.

3. Liquefacta eſt terra, & omnes qui hábitant in eâ: * ego confirmávi columnas ejus.

4. Dixi iníquis, Nolíte iníquè ágere; * & delinquéntibus, Nolíte exaltáre cornu.

5. Nolíte extóllere in altum cornu veſtrum: * nolíte loqui adversùs Deum iniquitátem.

6. Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, * neque à deſertis móntibus.

7. Quóniam Deus judex eſt: * hunc humíliat, & hunc exaltat.

8. Quia calix in manu DÓMINI vini meri plenus

misto; * & inclinávit ex hoc in hoc.

9. Verúmtamen fæx ejus non est exinaníta: * bibent omnes peccatóres terræ.

10. Ego autem annuntiábo in sǽculum: * cantábo Deo Jacob.

11. Et ómnia córnua peccatórum confríngam; * & exaltabuntur córnua justi.

Ant. Deus judex est: hunc humíliat & hunc exaltat.

II. CANTICUM MOYSIS II. *Deut.* 32.

Judæorum infidelitates, Deique vindictas & miserationes prænuntiat. Ecclesiæ typus.

1. AUdíte, cœli, quæ loquor: * áudiat terra verba oris mei.

2. Concrescat ut plúvia doctrína mea; * fluat ut ros elóquium meum:

3. Quasi imber super herbam, * & quasi stillæ super grámina.

4. Quia nomen DÓMINI invocábo: * date magnificéntiam Deo nostro.

5. Dei perfecta sunt ópera, & omnes viæ ejus judícia: * Deus fidélis, & absque ullâ iniquitáte, justus & rectus.

6. Peccavérunt ei, & non filii ejus in sórdibus; * generátio prava atque perversa.

7. Hæccine reddis DÓMINO, * pópule stulte & insípiens?

8. Numquid non ipse est pater tuus, * qui possédit te, & fecit, & creávit te?

9. Memento diérum antiquórum: * cógita generatiónes síngulas.

10. Intérroga patrem tuum, & annuntiábit tibi; * majóres tuos, & dicent tibi.

11. Quando dividébat Altíssimus gentes; * quando separábat filios Adam:

12. Constítuit términos populórum, * juxta númerum filiórum Israel.

13. Pars autem DÓMINI pópulus ejus: * Jacob funículus hereditátis ejus.

14. Invénit eum in terrâ desertâ, * in loco horróris & vastæ solitúdinis.

15. Circumduxit eum, & dócuit; * & custodívit quasi pupillam óculi sui.

16. Sicut áquila próvocans ad volandum pullos suos, * & super eos vólitans:

17. Expandit alas suas, & assumpsit eum; * atque portávit in húmeris suis.

18. DÓMINUS solus dux ejus fuit; * & non erat cum eo deus aliénus.

19. Constítuit eum super excelsam terram; * ut coméderet fructus agrórum:

20. Ut súgeret mel de petrâ, * oleumque de saxo duríssimo;

21. Bútyrum de armento, & lac de óvibus, * cum ádipe agnórum & aríetum filiórum Basan;

22. Et hircos cum medul-

lâ trítici, * & sánguinem uvæ bíberet meracíssimum.

23. Incrassátus est diléctus, & recalcitrávit; * incrassátus, impinguátus, dilatátus:

24. Dereliquit Deum factórem suum; * & recessit à Deo salutári suo.

25. Provocavérunt eum in diis aliénis; * & in abominatiónibus ad iracúndiam concitavérunt.

26. Immolavérunt dæmóniis, & non Deo; * diis quos ignorábant.

27. Novi recentesque venérunt, * quos non coluérunt patres eórum.

28. Deum, qui te génuit, dereliquisti; * & oblítus es Dómini creatóris tui.

Ant. Pars Dómini pópulus ejus; Jacob funículus hereditátis ejus.

III. *Divisio Cantici Moys.*

29. Vidit Dóminus, & ad iracúndiam concitátus est; * quia provocavérunt eum filii sui & filiæ.

30. Et ait: Abscondam fáciem meam ab eis; * & considerábo novíssima eórum.

31. Generátio enim perversa est, * & infidéles filii.

32. Ipsi me provocavérunt in eo qui non erat Deus; * & irritavérunt in vanitátibus suis:

33. Et ego provocábo eos in eo qui non est pópulus; * & in gente stultâ, irritábo illos.

34. Ignis accensus est in furóre meo; * & ardébit usque ad inferni novíssima:

35. Devorabitque terram cum gérmine suo; * & móntium fundamenta combúret.

36. Congregábo super eos mala; * & sagittas meas complébo in eis.

37. Consumentur fame; * & devorábunt eos aves morsu amaríssimo:

38. Dentes bestiárum immittam in eos, * cum furóre trahéntium super terram, atque serpéntium.

39. Foris vastábit eos gládius, & intùs pavor; * júvenem simul ac vírginem, lacténtem cum hómine sene.

40. Dixi: Ubinam sunt? * cessáre fáciam ex homínibus memóriam eórum.

41. Sed propter iram inimicórum dístuli; * ne fortè superbírent hostes eórum:

42. Et dícerent: Manus nostra excelsa, * & non Dóminus, fecit hæc ómnia.

43. Gens absque consílio est, & sine prudéntiâ: * útinam sáperent, & intellígerent; ac novíssima providérent!

44. Quómodo persequátur unus mille? * & duo fugent decem míllia?

45. Nonnè ideò, quia Deus

ſuus véndidit eos; * & Dóminus conclúſit illos.

46. Non enim eſt Deus noſter ut dii eórum; * & inimíci noſtri ſunt júdices.

47. De víneâ Sodomórum vínea eórum, * & de ſuburbánis Gomorrhæ:

48. Uva eórum uva fellis, * & botri amariſſimi:

49. Fel dracónum vinum eórum; * & venénum áſpidum inſanábile.

50. Nonne hæc cóndita ſunt apud me, * & ſignáta in theſauris meis?

51. Mea eſt últio; & ego retríbuam in témpore; * ut labátur pes eórum.

52. Juxta eſt dies perditiónis, * & adeſſe feſtínant témpora.

Ant. Mea eſt últio, & ego retríbuam in témpore.

IV. *Diviſio Cant. Moyſis.*

53. Judicábit Dóminus pópulum ſuum; * & in ſervis ſuis miſerébitur.

54. Vidébit quòd infirmáta ſit manus, & clauſi quoque defecérunt; * reſiduíque conſumpti ſunt.

55. Et dicet: Ubi ſunt dii eórum, * in quibus habébant fidúciam?

56. De quorum víctimis comedébant ádipes, * & bibébant vinum libáminum?

57. Surgant, & opitulentur vobis; * & in neceſſitáte vos prótegant.

58. Vidéte quòd ego ſim ſolus; * & non ſit álius Deus præter me;

59. Ego occídam, & ego vívere fáciam; percútiam, & ego ſanábo; * & non eſt qui de manu meâ poſſit erúere.

60. Levábo ad cœlum manum meam, & dicam: * Vivo ego in æternum.

61. Si acúero ut fulgur gládium meum, * & arripúerit judícium manus mea;

62. Reddam ultiónem hóſtibus meis, * & his qui odérunt me, retríbuam.

63. Inebriábo ſagittas meas ſánguine; * & gládius meus devorábit carnes:

64. De cruóre occiſórum, * & de captivitáte, nudáti inimicórum cápitis.

65. Laudáte, gentes, pópulum ejus; * quia ſánguinem ſervórum ſuórum ulciſcétur:

66. Et vindíctam retríbuet in hoſtes eórum; * & propítius erit terræ pópuli ſui.

Ant. Judicábit Dóminus pópulum ſuum; & in ſervis ſuis miſerébitur.

V. Psalmus 116.

Miſericordia & veritas Dei in populum ſuum à gentibus laudanda.

1. Laudáte Dóminum, omnes gentes; * laudáte eum, omnes pópuli.

2. Quóniam confirmáta eſt ſuper nos miſericórdia ejus, * & véritas Dómini manet in æternum.

Ant. Laudáte Dóminum omnes pópuli ; quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus.

Temp. Pasch. Ant. unica. Si commórtui sumus, & convivémus ; si sustinébimus, & conregnábimus. Allelúia. *II. Tim. 2.*

Lectio, ℟. br. Hymnus, ℣. Ant. ad Benedictus. *& Collecta, ut in Proprio.*

AD PRIMAM.

PSALMUS 18.

Cœlorum ordo, Evangelii propagatio, Legis inconcussa veritas, Dei sapientiam prædicant.

1. CŒli enarrant glóriam Dei ; * & ópera mánuum ejus annúntiat firmamentum.

2. Dies diéi eructat verbum ; * & nox nocti índicat sciéntiam.

3. Non sunt loquélæ neque sermónes, * quorum non audiantur voces eórum.

4. In omnem terram exívit sonus eórum, * & in fines orbis terræ verba eórum.

5. In sole pósuit tabernáculum suum ; & ipse tamquàm sponsus procédens de thálamo suo : * exsultávit ut gigas ad curréndam viam.

6. A summo cœlo egréssio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus ; * nec est qui se abscondat à calóre ejus.

Divisio Psalmi 18.

7. LEx DÓMINI immaculáta, convertens ánimas : * testimónium DÓMINI fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

8. Justítiæ DÓMINI rectæ, lætificantes corda : * præceptum DÓMINI lúcidum, illúminans óculos.

9. Timor DÓMINI sanctus, pérmanens in séculum séculi : * judícia DÓMINI vera, justificáta in semetipsa :

10. Desiderabília super aurum, & lápidem pretiósum multum ; * & dulcióra super mel & favum.

11. Etenim servus tuus custódit ea : * in custodiendis illis retribútio multa.

12. Delicta quis intélligit ? * ab occultis meis munda me ; & ab aliénis parce servo tuo.

13. Si meî non fúerint domináti, tunc immaculátus ero ; * & emundábor à delicto máximo :

14. Et erunt ut compláceant elóquia oris mei ; & meditátio cordis mei in conspectu tuo semper ; * DÓMINE adjútor meus, & redemptor meus.

PSALMUS 87.

Vox Christi ad Patrem sese commendantis.

1. DOMINE Deus salútis meæ, * in die clamávi, & nocte coram te.

2. Intret in conspectu tuo

orátio mea; * inclína aurem tuam ad precem meam.

3. Quia repléta est malis ánima mea; * & vita mea inferno appropinquávit.

4. Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum: * factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber;

5. Sicut vulneráti dormientes in sepulcris, quorum non es memor ámplius; * & ipsi de manu tuâ repulsi sunt.

6. Posuérunt me in lacu inferióri, * in tenebrósis & in umbrâ mortis.

7. Super me confirmátus est furor tuus; * & omnes fluctus tuos induxisti super me.

8. Longè fecisti notos meos à me: * posuérunt me abominatiónem sibi.

9. Tráditus sum, & non egrediébar: * óculi mei languérunt præ inópiâ.

10. Clamávi ad te, Dómine, totâ die: * expandi ad te manus meas.

11. Numquid mórtuis fácies mirabília? * aut médici suscitábunt, & confitebuntur tibi?

12. Numquid narrábit áliquis in sepulcro misericórdiam tuam, * & veritátem tuam in perditióne?

13. Numquid cognoscentur in ténebris mirabília tua, * & justítia tua in terrâ oblivionis?

14. Et ego ad te, Dómine, clamávi; * & mane orátio mea prævéniet te.

15. Ut quid, Dómine, repellis oratiónem meam; * avertis fáciem tuam à me?

16. Pauper sum ego, & in labóribus à juventúte meâ; * exaltátus autem, humiliátus sum & conturbátus.

17. In me transiérunt iræ tuæ; * & terróres tui conturbavérunt me.

18. Circumdedérunt me sicut aqua totâ die; * circumdedérunt me simul.

19. Elongasti à me amícum & próximum, * & notos meos à miséria.

Ant. Ego ad te, Dómine, clamávi, & mane orátio mea prævéniet te.

Temp. Pasch. Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

AD TERTIAM.

PSALMUS 52.

Redemptionis necessitas & effectus.

1. DIxit insípiens in corde suo: * Non est Deus.

2. Corrupti sunt & abominábiles facti sunt in iniquitátibus: * non est qui fáciat bonum.

3. Deus de cœlo prospexit super filios hóminum; * ut vídeat si est intélligens, aut requírens Deum.

4. Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt: * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

5. Nonne scient omnes qui operantur iniquitátẽ,* qui dévorant plebem meam ut cibum panis?

6. Deum non invocavérunt; * illìc trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

7. Quóniam Deus dissipávit ossa eórum qui homínibus placent: * confúsi sunt; quóniam Deus sprevit eos.

8. Quis dabit ex Sion salutáre Israel? * cùm convérterit Deus captivitátem plebis suæ, exsultábit Jacob, & lætábitur Israel.

PSALMUS 79.

Miseriarum finis per Christi adventum postulatur. Vox Ecclesiæ. Expectatio nostra Judæorum conversio.

1. QUi regis Israel, intende; * qui dedúcis velut ovem Joseph.

2. Qui sedes super Chérubim, manifestáre, * coram Ephraim, Bénjamin & Manasse.

3. Excita poténtiam tuã, & veni; * ut salvos fácias nos.

4. Deus, converte nos;* & ostende fáciem tuam, & salvi érimus.

5. DÓMINE Deus virtútum,* quousque irascéris super oratiónem servi tui?

6. Cibábis nos pane lacrymárum; * & potum dabis nobis in lácrymis in mensúrâ.

7. Posuisti nos in contradictiónem vicínis nostris;* & inimíci nostri subsannavérunt nos.

8. Deus virtútum, converte nos; * & ostende fáciem tuam, & salvi érimus.

Divisio Psalmi 79.

9. VIneam de Ægypto transtulisti; * ejecisti gentes, & plantasti eam.

10. Dux itíneris fuisti in conspectu ejus: * plantasti radíces ejus, & implévit terram.

11. Opéruit montes umbra ejus, * & arbusta ejus cedros Dei.

12. Extendit pálmites suos usque ad mare,* & usque ad flumen propágines ejus.

13. Ut quid destruxisti macériam ejus; * & vindémiant eam omnes qui prætergrediuntur viam?

14. Extermínávit eam aper de silvâ; * & singuláris ferus depastus est eam.

15. Deus virtútum, convértere: * réspice de cœlo, & vide:

16. Et vísita víneam istam; * & pérfice eam quam plantávit déxtera tua.

17. Incensa est igni & suffossa: * ab increpatióne vultûs tui períbunt.

18. Fiat manus tua super virum déxteræ tuæ, * & super fílium hóminis quem confirmasti tibi.

19. Et non discédimus à te: * vivificábis nos; & nomen tuum invocábimus.

20.

20. DÓMINE Deus virtútum, converte nos; * & ostende fáciem tuam, & salvi érimus.

Ant. Deus virtútum, converte nos; & ostende fáciem tuam, & salvi érimus.

Temp. Pasch. Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Lectio, ℣. & Collecta, ut in Proprio.

AD SEXTAM.

PSALMUS 33.

Deus semper benedicendus, Justorum defensor, malorum eversor.

1. BEnedícam DÓMINUM in omni témpore: * semper laus ejus in ore meo.

2. In DÓMINO laudábitur ánima mea: * áudiant mansuéti, & lætentur.

3. Magnificáte DÓMINUM mecum; * & exaltémus nomen ejus in idipsum.

4. Exquisívi DÓMINUM, & exaudívit me; * & ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

5. Accédite ad eum, & illuminámini; * & fácies vestræ non confundentur.

6. Iste pauper clamávit, & DÓMINUS exaudívit eum, * & de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

7. Immittet Angelus DÓMINI in circúitu timéntium eum, * & erípiet eos.

8. Gustáte, & vidéte quóniam suávis est DÓMINUS: * beátus vir qui sperat in eo.

Divisio Psalmi 33.

9. TIméte DÓMINUM, omnes sancti ejus; * quóniam non est inópia timéntibus eum.

10. Dívites eguérunt, & esuriérunt; * inquirentes autem DÓMINUM non minuentur omni bono.

11. Veníte, filii, audíte me: * timórem DÓMINI docébo vos.

12. Quis est homo qui vult vitam, * díligit dies vidére bonos?

13. Próhibe linguam tuam à malo; * & lábia tua, ne loquantur dolum:

14. Diverte à malo, & fac bonum: * inquíre pacem, & persequere eam.

Divisio Psalmi 33.

15. OCuli DÓMINI super justos; * & aures ejus in preces eórum.

16. Vultus autem DÓMINI super facientes mala; * ut perdat de terrâ memóriam eórum.

17. Clamavérunt justi, & DÓMINUS exaudívit eos; * & ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

18. Juxtà est DÓMINUS iis qui tribuláto sunt corde; * & húmiles spíritu salvábit.

19. Multæ tribulatiónes justórum; * & de ómnibus his liberábit eos DÓMINUS.

20. Custódit Dóminus

ómnia ossa eórum : * unum ex his non conterétur.

21. Mors peccatórum péssima ; * & qui odérunt justum, delinquent.

22. Rédimet DÓMINUS ánimas servórum suórũ ;* & non delinquent omnes qui sperant in eo.

Ant. Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum.

Temp. Pasch. Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Lectio, ℣. *& Collecta, ut in Proprio.*

AD NONAM.

PSALMUS 120.

Dominus custos Ecclesiæ suæ.

1. LEvávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

2. Auxílium meum à DÓMINO, * qui fecit cœlum & terram.

3. Non det in commotiónem pedem tuum, * neque dormítet qui custódit te.

4. Ecce non dormitábit, neque dórmiet, * qui custódit Israel.

5. DÓMINUS custódit te ;* DÓMINUS protéctio tua super manum déxteram tuã.

6. Per diem sol non uret te, * neque luna per noctem.

7. DÓMINUS custódit te ab omni malo : * custódiat ánimam tuam Dóminus.

8. DÓMINUS custódiat introítum tuum & éxitum tuum, * ex hoc nunc & usque in séculum.

PSALMUS 123.

Ecclesia à periculis erepta gratiarum actio.

1. NIsi quia DÓMINUS erat in nobis, dicat nunc Israel, * nisi quia DÓMINUS erat in nobis :

2. Cùm exsúrgerent hómines in nos, * fortè vivos deglutissent nos :

3. Cùm irascerétur furor eórum in nos, * fórsitan aqua absorbuisset nos.

4. Torrentem pertransívit ánima nostra ; * fórsitan pertransisset ánima nostra aquam intolerábilem.

5. Benedictus DÓMINUS, * qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum.

6. Anima nostra sicut passer erepta est, * de láqueo venántium :

7. Láqueus contrítus est, * & nos liberáti sumus.

8. Adjutórium nostrum in nómine DÓMINI, * qui fecit cœlum & terram.

PSALMUS 124.

Fidelium Deus ipse tutela. Ecclesiæ stabilitas.

1. QUi confidunt in DÓMINO, sicut mons Sion ; * non commovébitur in æternum, qui hábitat in Jerúsalem.

2. Montes in circúitu ejus, & DÓMINUS in circúitu pópuli sui, * ex hoc nunc & usque in séculum ;

3. Quia non relinquet Dó-

minus virgam peccatórum super sortem justórum; * ut non extendant justi ad iniquitátem manus suas.

4. Bénefac, DÓMINE, bonis, * & rectis corde.

5. Declinantes autem in obligatiónes addúcet DÓMINUS cum operántibus iniquitátem: * pax super Israel.

Ant. Dóminus custódit te; Dóminus protéctio tua.

Temp. Pasch. Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Lectio, ℣. *& Collecta, ut in Proprio.*

AD VESPERAS.

I. PSALMUS 127.

Christi & Ecclesiæ filii, in circuitu mensæ Domini.

1. BEáti omnes qui timent DÓMINUM, * qui ámbulant in viis ejus.

2. Labóres mánuum tuárum quia manducábis; * beátus es, & benè tibi erit.

3. Uxor tua sicut vitis abundans, * in latéribus domûs tuæ.

4. Fílii tui sicut novellæ olivárum, * in circúitu mensæ tuæ.

5. Ecce sic benedicétur homo, * qui timet DÓMINUM.

6. Benedícat tibi DÓMINUS ex Sion, * & vídeas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ:

7. Et vídeas fílios filiórum tuórum, * pacem super Israel.

Ant. Beáti omnes qui timent Dóminum, qui ámbulant in viis ejus.

II. PSALMUS 131.

Justus orat ut in Ecclesiâ Christus inhabitet, Sacerdotesque sanctos reddat.

1. MEmento, DÓMINE, David, * & omnis mansuetúdinis ejus:

2. Sicut jurávit DÓMINO, * votum vovit Deo Jacob.

3. Si introíero in tabernáculum domûs meæ; * si ascéndero in lectū strati mei;

4. Si dédero somnum óculis meis, & pálpebris meis dormitatiónem, * & réquiem tempóribus meis;

5. Donec invéniam locum DÓMINO, * tabernáculum Deo Jacob.

6. Ecce audívimus eam in Ephráthâ: * invénimus eam in campis silvæ.

7. Introíbimus in tabernáculum ejus: * adorábimus in loco ubi steterúnt pedes ejus.

8. Surge, DÓMINE, in réquiem tuam, * tu & arca sanctificatiónis tuæ.

9. Sacerdótes tui induantur justítiam; * & sancti tui exsultent.

10. Propter David servum tuum, * non avertas fáciem Christi tui.

11. Jurávit DÓMINUS David veritátem, & non frustrábitur eam: * De

fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

12. Si custodíerint filii tui testamentum meum, * & testimónia mea hæc quæ docébo eos;

13. Et filii eórum usque in séculum, * sedébunt super sedem tuam;

14. Quóniam elégit DÓMINUS Sion: * elégit eam in habitatiónem sibi.

15. Hæc réquies mea in séculum séculi: * hìc habitábo; quóniam elégi eam.

16. [Victum] ejus benedícens benedícam: * páuperes ejus saturábo pánibus.

17. Sacerdótes ejus índuā salutári; * & Sancti ejus exsultatióne exsultábunt.

18. Illuc prodúcam cornu David: * parávi lucernam Christo meo.

19. Inimícos ejus índuam confusióne; * super ipsum autem efflorébit sanctificátio mea.

Ant. Sion réquies mea in séculum séculi: Sancti ejus exsultatióne exsultábunt.

III. PSALMUS 143.

Victoria ab hostibus, Dei donum est.

1. BEnedictus DÓMINUS Deus meus, qui docet manus meas ad præliū, * & digitos meos ad bellum.

2. Misericórdia mea & refúgium meum; * suscéptor meus & liberátor meus:

3. Protector meus, & in ipso sperávi; * qui subdit pópulum meum sub me,

4. DÓMINE, quid est homo, quia innotuisti ei? * aut filius hóminis, quia réputas eum?

5. Homo vanitáti símilis factus est, * dies ejus sicut umbra prætéreunt.

6. DÓMINE, inclína cœlos tuos, & descende: * tange montes, & fumigábunt.

7. Fúlgura coruscatióne, & dissipábis eos: * emitte sagittas tuas, & conturbábis eos.

8. Emitte manum tuam de alto; * éripe me, & líbera me de aquis multis, de manu filiórum alienórum,

9. Quorum os locútum est vanitátem; * & déxtera eórum, déxtera iniquitátis.

Ant. Deus meus misericórdia mea, & susceptor meus.

IV. *Divisio Psalmi* 143.

10. DEus, cánticum novū cantábo tibi; * in psaltério dechacordo psallam tibi:

11. Qui das salútem Régibus; * qui redemisti David servum tuum de gládio maligno.

12. Eripe me, & érue me de manu filiórum alienórum, * quorum os locútum est vanitátem; & déxtera eórum, déxtera iniquitátis:

13. Quorum filii sicut novellæ plantatiónes, * in juventúte suâ;

14. Filiæ eórum compósitæ, * circumornátæ ut similitúdo templi.

15. Promptuária eórum plena, * eructántia ex hoc in illud:

16. Oves eórum fœtósæ, abundantes in egréssibus suis; * boves eórum crassæ.

17. Non est ruína macériæ, neque tránsitus, * neque clamor in platéis eórum.

18. Beátum dixérunt pópulum, cui hæc sunt: * beátus pópulus cujus Dóminus Deus ejus.

Ant. Beátus pópulus cujus Dóminus Deus ejus.

Temp. Pasch. Ant. unica. Cùm Christus apparúerit, vita vestra, tunc & vos apparébitis cum ipso in glóriâ. Allelúia. *Coloss.* 3.

Lectio, ℟. *brev. Hymnus,* ℣. *Ant. ad* Magnificat. *& Collecta, ut in Proprio.*

AD COMPLETORIUM.

PSALMUS 50.

Pœnitentis animæ acerbi gemitus. Vox Israelis ad fidem conversi.

1. MIserére meî, Deus, secundùm magnam misericórdiam tuam; * & secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum, dele iniquitátem meam.

2. Ampliùs lava me ab iniquitáte meâ; * & à peccáto meo munda me:

3. Quóniam iniquitátem meam ego cognosco, * & peccátum meum contra me est semper:

4. Tibi soli peccávi; * & malum coram te feci:

5. Ut justificéris in sermónibus tuis; * & vincas cùm judicáris.

6. Ecce enim in iniquitátibus conceptus sum, * & in peccátis concépit me mater mea.

7. Ecce enim veritátem dilexisti; * incerta & occulta sapiéntiæ tuæ manifestasti mihi.

8. Asperges me hyssópo, & mundábor: * lavábis me, & super nivem dealbábor.

9. Audítui meo dabis gáudium & lætítiam; * & exsultábunt ossa humiliáta.

10. Averte fáciem tuam à peccátis meis; * & omnes iniquitátes meas dele.

11. Cor mundum crea in me, Deus; * & spíritum rectum innova in viscéribus meis.

12. Ne projícias me à fácie tuâ; * & Spíritum sanctum tuum ne áuferas à me.

13. Redde mihi lætítiam salutáris tui; * & spíritu principáli confirma me.

14. Docébo iníquos vias tuas; * & ímpii ad te convertentur.

15. Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ; * & exsultábit lingua mea justítiam tuam.

16. Dómine, lábia mea

apéries; * & os meum annuntiábit laudem tuam.

17. Quóniam si voluisses, sacrifícium dedissem útique; * holocaustis non delectáberis.

18. Sacrifícium Deo spíritus contribulátus: * cor contrítum & humiliátum, Deus, non despícies.

19. Benignè fac, Dómine, in bonâ voluntáte tuâ Sion; * ut ædificentur muri Jerúsalem.

20. Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes & holocausta: * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

PSALMUS 85.

Vox Christi, Ecclesiæ liberationem, gentiumque conversionem exposcentis.

1. INclína, DÓMINE, aurem tuam, & exaudi me; * quóniam inops & pauper sum ego.

2. Custódi ánimam meã, quóniam sanctus sum: * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

3. Miserére meî, Dómine; * quóniam ad te clamávi totâ die.

4. Lætífica ánimam servi tui; * quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi.

5. Quóniam tu, Dómine, suávis & mitis, * & multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

6. Auribus pércipe, DÓMINE, oratiónem meam; * intende voci deprecatiónis meæ.

7. In die tribulatiónis meæ, clamávi ad te; * quia exaudisti me.

8. Non est símilis tuî in diis, Dómine; * & non est secundùm ópera tua.

9. Omnes gentes quascumque fecisti, vénient, & adorábunt coram te, Dómine; * & glorificábunt nomen tuum.

10. Quóniam magnus es tu, & fáciens mirabília; * tu es Deus solus.

Divisio Psalmi 85.

11. DEduc me, DÓMINE, in viâ tuâ, & ingrédiar in veritáte tuâ: * lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuum.

12. Confitébor tibi, Dómine Deus meus, in toto corde meo; * & glorificábo nomen tuum in æternum.

13. Quia misericórdia tua magna est super me; * & eruisti ánimam meam ex inferno inferióri.

14. Deus, iníqui insurrexérunt super me, & synagóga potentium quæsiérunt ánimam meam; * & non proposuérunt te in conspectu suo.

15. Et tu, Dómine Deus, miserátor & miséricors, * pátiens, & multæ misericórdiæ, & verax.

16. Réspice in me, & miserére meî: * da impérium

tuum púero tuo; & sálvum fac fílium ancíllæ tuæ.

17. Fac mecum signum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, & confundantur; * quóniam tu, Dómine, adjuvisti me, & consolátus es me.

Cant. Nunc dimittis.

ANTIPHONÆ DE BEATA AD DEVOTIONEM.

Tempore Quadragesimæ & Passionis usque ad Feriam IV. majoris Hebdomadæ.

ANTIPHONA.

Ave, Regína cœlórum;
Ave, Dómina Angelórum:
Salve, pura lucis porta,
Et in Nato Mater nostra.
Gaude, Virgo glorióse,
Super omnes benedicta:
Vale, ô valdè beáta,
Et Christum pro nobis ora.

℣. Elégit eam Dóminus, ℟. In habitatiónem sibi. *Ps.* 131.

Orémus.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

Concéde, miséricors Deus, fragilitáti nostræ præsídium; † ut qui sanctæ Dei Genitrícis memóriam ágimus, * intercessiónis ejus auxílio à nostris iniquitátibus resurgámus: Per eumdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

A Completorio Sabbati sancti usque ad Nonam Sabbati post Pentecosten inclusivè.

ANTIPHONA.

Regína cœli, lætáre, allelúia;
Quia quem meruisti portáre, allelúia,
Resurrexit, sicut dixit, allelúia.
Ora pro nobis Deum, allelúia.

℣. Circumdedisti me lætítiâ, Dómine, ℟. Ut cantet tibi glória mea. *Ps.* 28.

Orémus.

COLLECTA. *Br. Rom.*

Deus, qui per resurrectiónem Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi mundum lætificáre dignátus es: † præsta, quæsumus, ut per ejus Genitrícem Vírginem Maríam * perpétuæ capiámus gáudia vitæ: Per eumdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

PRECES SEROTINÆ.

Præses Chori. Ant. Asperges me, Dómine, hyssópo, & mundábor;

Chorus: Lavábis me, & super nivem dealbábor.

Ps. 50. Miserére meî,

Deus, secundùm magnam misericórdiam tuam; * & secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum, dele iniquitátem meam.

℣. Glória Patri, &c. ℣. Sicut erat, &c.

Repetitur: Asperges.

Hebdomadarius seu Celebrans: ℣. Véniat super me misericórdia tua, Dómine: ℟. Salutáre tuum secundùm elóquium tuum. *Ps.* 118.

℣. Custódi me, Dómine, ut pupillam óculi: ℟. Sub umbrâ alárum tuárum prótege me. *Ps.* 16.

℣. Orémus pro frátribus nostris abséntibus. ℟. Bénefac, Dómine, bonis & rectis corde. *Ps.* 124.

℣. Pro infirmis, afflictis & captívis. ℟. Líbera, Deus, Israel ex ómnibus tribulatiónibus suis. *Ps.* 24.

℣. Dómine, dabis pacem nobis; ℟. Omnia enim ópera nostra operátus es nobis. *Is.* 26.

℣. Dóminus vobiscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

COLLECTA. *Br. Rom.*

Visita, quæsumus, Dómine, habitatiónem istam, & omnes insídias inimíci ab eâ longè repelle: Angeli tui sancti hábitent in eâ, qui nos in pace custódiant; & benedíctio tua sit super nos semper: Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

℣. Pro frátribus nostris defunctis. ℟. Edúcat eos Dóminus in lucem, & vídeant justítiam ejus. *Mich.* 7.

Hìc dicitur Ps. 129. De profundis. *suprà, pag.* 88.

In fine: Réquiem ætérnam dona eis, Dómine; * & lux perpétua lúceat eis.

Orémus.

COLLECTA. *Sacr. Grimold.*

Deus, véniæ largítor, & humánæ salútis amátor; quæsumus cleméntiam tuam, ut nostræ congregatiónis fratres, propinquos & benefactóres, qui ex hoc sǽculo transiérunt, beátâ Maríâ semper vírgine intercedente cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium pervenire concédas: Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde singulis diebus alternatìm dicitur una ex Litaniis quæ ad Breviarii calcem annotantur.

VIDE, ut quod ore cantas, corde credas; & quod corde credis, operibus comprobes.

Concil. Carth. IV. an. 398. 20.



PROPRIUM DE TEMPORE.

PARS VERNA.

IN FERIIS *QUADRAGESIMÆ.*

A Feriâ IV. Cinerum usque ad Dominicam Passionis.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Veníte; * Revertámur ad Dóminum, & sanábit nos. *Ose. 6.*

HYMNUS. C.

QUod lex adumbrávit vetus,
Quod ipse sacrávit novi
Christus minister fœderis,
Decúrrimus jejúnium.

Utámur ergo párciùs
Verbis, cibis & pótibus,
Somno, jocis; & árctiùs
Perstémus in custódiâ.

Intenta mens cupídinis
Frenet rebelles ímpetus;
Ne cordis arcem, jánua
Quà se dat, hostis óccupet.

Omnes ad aram cérnuo
Vultu precémur súpplices:
Plorémus, atque víndicem
Flectámus iram Júdicis.

Judex tremende, nos premit
Immensa moles críminum;
Immensa sed clemens Pater
Parcendo vinces crímina.

Nos, testa quamquam fictilis,
Opus tuum sumus tamen;
Períre ne plebem sinas
Christi redemptâ sánguine.

Quod fécimus, sana malum;
Auge bonum quod póscimus:
Da corde contríto, Deus,
Tuam meréri grátiam.

Præsta, beáta Trínitas,
Concéde, simplex Unitas;
Ut fructuósa sint tuis
Jejuniórum múnera.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Antiphona, & ℣. ut in Psalterio.

Lectiones, ut infra in quâlibet Feriâ.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO. *Jac.* 4.

EMundáte manus, peccatóres; & purificáte corda, dúplices ánimo. Míseri estóte, & lugéte, & ploráte: risus vester in luctum convertátur, & gáudium in mœrórem. Humiliámini in conspectu Dómini, & exaltábit vos.

℣. Ne memíneris, Dómine, iniquitátum nostrárum antiquárum: ℟. Citò antícipent nos misericórdiæ tuæ. *Ps.* 78.

Collecta singulis Feriis propria.

AD LAUDES.

Antiphona ut in Psalterio.

LECTIO. *Isai.* 58.

CLama, ne cesses; quasi tuba exalta vocem tuam, & annúntia pópulo meo scélera eórum, & dómui Jacob peccáta eórum.

℟. *br.* Propter glóriam nóminis tui, * Dómine, líbera nos. ℟. Propter. ℣. Et propítius esto peccátis nostris propter nomen tuum. * Dómine. ℣. Glória. ℟. Propter. *Ps.* 78.

HYMNUS. *C.*

SOlemne nos jejúnii
Nunc tempus ad planctum vocat:
Plorat sacerdos; flébili
Clamóre templa pérsonant.

Lugúbris at frustrà sonus
Ad Numen irátum venit,
Ni corde pulsus íntimo
Sensum dolóris índicet.

Nil fróntibus sparsus cinis,
Nil scissa vestis próderit,
Nî fracta scindantur simul
Vivo dolóre péctora.

Vultum rigantes flétibus
Flectámus iram Núminis,
Nostri reátûs quæ memor
Intentat ultríces minas.

O juste Judex! ô Deus!
Sis lentus ad pœnam Pater:
Das pœnitendi témpora,
Et cor simul da pœnitens.

Laudanda semper Trínitas,
Nunc prædicanda pléniùs;
Fac casta per jejúnia
Tibi fidéles mílitent.

℣. Si iniquitátes obserbáveris, Dómine; ℟. Dómine, quis sustinébit? *Ps.* 129.

Antiphona ad Benedictus. *& Collecta, ut in quâlibet Feriâ.*

AD HORAS, *Antiphonæ ut in Psalterio.*

AD PRIMAM.

PRECES.

Flexis genibus dicuntur in singulis Feriis usque ad Feriam IV. in majori Hebdomadâ.

Kyrie, eleéson, &c.

Pater noster. *secretò.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Et ego ad te, Dómine, clamávi; ℟. Et mane orátio mea prævéniet te. *Ps.* 87.

℣. Averte fáciem tuam

à peccátis meis; ℟. Et omnes iniquitátes meas dele. *Pſ.* 50.

℣. Cor mundum crea in me, Deus; ℟. Et ſpíritum rectum ínnova in viſcéribus meis. *Pſ.* 50.

℣. Reminíſcere miſeratiónum tuárum, Dómine; ℟. Et miſericordiárum tuárum quæ à ſǽculo ſunt. *Pſ.* 24.

℣. Exaudi nos, Deus Salutáris noſter, ℟. Spes ómnium finium terræ. *Pſ.* 64.

℣. Fiat miſericórdia tua, Dómine, ſuper nos; ℟. Quemádmodum ſperávimus in te. *Pſ.* 32.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101.

℣. Dóminus vobiſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Collecta, &c. ut in Pſalterio, pag. 20.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Joel.* 2.

NUnc dicit Dóminus: † Convertímini ad me in toto corde veſtro, in jejúnio, & in fletu, & in planctu; * & ſcíndite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra.

℣. Sanat Dóminus contrítos corde; ℟. Et álligat contritiónes eórum. *Pſ.* 146.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Iſai.* 55.

DErelinquat ímpius viã ſuam, & vir iníquus cogitatiónes ſuas, † & revertátur ad Dóminum, & miſerébitur ejus; * & ad Deum noſtrum, quóniam multus eſt ad ignoſcendum.

℣. Multa flagella peccatóris; ℟. Sperantem autem in Dómino miſericórdia circúmdabit. *Pſ.* 31.

AD NONAM.

LECTIO. *Joel.* 2.

INter veſtíbulum & altáre plorábunt ſacerdótes, miniſtri Dómini, & dicent: † Parce, Dómine, parce pópulo tuo; * & ne des hæreditátem tuam in oppróbrium.

℣. Sacrificium Deo ſpíritus contribulátus: ℟. Cor contrítum & humiliátum, Deus, non deſpícies. *Pſ.* 50.

AD VESPERAS.

Antiphonæ ut in Pſalterio.

LECTIO. *Ezech.* 33.

SI ímpius in mandátis vitæ ambuláverit, nec fécerit quidquam injuſtum, † vitâ vivet, & non moriétur. * Omnia peccáta ejus, quæ peccávit, non imputabuntur ei.

℟. *br.* Ipſe eſt miſéricors, * Et propítius fiet peccátis eórum. ℟. Ipſe eſt. ℣. Et non diſperdet eos. * Et propítius. ℣. Glória. ℟. Ipſe eſt. *Pſ.* 77.

HYMNUS. *S. Greg.*

AUdi, benígne Cónditor,
Noſtras preces cum flétibus,
In hoc ſacro jejúnio
Fuſas quadragenário.

Scrutátor alme córdium,
Infirma tu scis vírium;
Ad te reversis éxhibe
Remissiónis grátiam.

Multùm quidem peccávimus;
Sed parce confiténtibus:
Ad nóminis laudem tui
Confer medélam lánguidis.

Sic corpus extrà cónteri
Dona per abstinéntiam,
Jejúnet ut mens sóbria
A labe prorsùs críminum.

Præsta, beáta Trínitas,
Concéde, simplex Unitas,
Ut fructuósa sint tuis
Jejuniórum múnera.
Amen.

℣. Tempus beneplácitì, Deus: ℟. In multitúdine misericórdiæ tuæ exaudi me. *Ps.* 68.

Antiphona ad Magníficat: *& Collecta, ut in quâlibet Feriâ.*

AD COMPLETORIUM.

PRECES.

Flexis genibus dicuntur singulis Feriis usque ad Feriam IV. in majori Hebdomadâ.

Kyrie, eleéson, &c.

Pater noster. *secretò.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Deus, converte nos; ℟. Et osténde fáciem tuã, & salvi érimus. *Ps.* 79.

℣. Deus virtútum, converte nos; ℟. Et osténde fáciem tuam, & salvi érimus. *Ps.* 79.

℣. Dómine Deus virtútum, converte nos; ℟. Et osténde fáciem tuam, & salvi érimus. *Ps.* 79.

℣. Tu exurgens miseréberis Sion; ℟. Quia tempus miseréndi ejus, quia venit tempus. *Ps.* 101.

℣. Tempus faciéndi, Dómine; ℟. Dissipavérunt legem tuam. *Ps.* 118.

℣. Miserére nostrì, Dómine; ℟. Miserére nostrì. *Ps.* 122.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meã; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobíscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

Collecta, &c. ut in Psalterio, pag. 31.

FERIA QUARTA CINERUM,

IN CAPITE JEJUNII.

Omnia ut suprà in Officio Feriarum Quadragesimæ, additis quæ sequuntur.

AD OFFICIUM NOCT.

LECTIO I.

Ex Libro Génesis. *Cap.* 39.

JOseph ductus est in Ægyptum, emitque eum Pútiphar eunúchus Pharaónis, princeps exércitûs. Fuitque Dóminus cum eo, & erat vir in cunctis prósperè agens: habitavitque in domo dómini sui, qui óptimè nóverat Deum esse cum eo, & ómnia, quæ géreret, ab

eo dírigi in manu illíus. Invenitque Joseph grátiam coram dómino suo, & ministrábat ei; à quo præpósitus ómnibus gubernábat créditam sibi domum: benedixitque Dóminus dómui Ægyptii propter Joseph. Erat autem Joseph pulchrâ fácie, & decórus adspectu. Post multos ítaque dies injécit dómina sua óculos suos in Joseph; cúmque vidisset múlier se esse contemptam, ait maríto suo: Ingressus est ad me servus Hebræus quem adduxisti, ut illúderet mihi. His audítis dóminus, & nimiùm crédulus verbis cónjugis, irátus est valdè: tradiditque Joseph in cárcerem. Fuit autem Dóminus cum Joseph; & misertus illíus, dedit ei grátiam in conspectu príncipis cárceris. Qui trádidit in manu illíus universos vinctos qui in custódiâ tenebantur: & quidquid fiébat, sub ipso erat.

℟. Sapiéntia vénditum justum non derelíquit; descenditque cum illo in fóveam, & in vínculis non derelíquit illum, * Donec afferret illi sceptrum regni. ℣. Erat Deus cum eo, & erípuit eum ex ómnibus tribulatiónibus ejus. * Donec. *Sap.* 10. *Act.* 7.

LECTIO II. *Cap.* 41.

POst duos annos vidit Phárao sómnium: & facto mane, pavóre pertérritus, misit ad omnes conjectóres Ægypti, cunctosque sapientes: & accersítis narrávit sómnium, nec erat qui interpretarétur. Prótinùs ad regis impérium eductum de cárcere Joseph obtulérunt ei. Cui ille ait: Vidi sómnia, nec est qui edísserat: quæ audívi te sapientíssimè conjícere. Respondit Joseph: Absque me Deus respondébit próspera Pharaóni. Narrávit ergo Phárao quod víderat. Respondit Joseph: Sómnium regis unum est: quæ factúrus est Deus, ostendit Pharaóni. Septem boves pulchræ, & septem spicæ plenæ, septem ubertátis anni sunt: eamdemque vim sómnii comprehendunt. Septem quoque boves ténues atque macilentæ, quæ ascendérunt post eas, & septem spicæ ténues, & vento urente percussæ: septem anni ventúræ sunt famis. Nunc ergo provídeat rex virum sapientem & indústrium, & præfíciat eum terræ Ægypti: qui constítuat præpósitos per cunctas regiónes, & quintam partem frúctuum per septem annos fertilitátis qui jam nunc futúri sunt, cóngreget in hórrea, & omne frumentum sub Pharaónis potestáte condátur, serveturque in úrbibus, & præparétur futúræ septem annórum fami. Dixit ergo ad

Joseph : Quia ostendit tibi Deus ómnia quæ locútus es, numquid sapientiórem & consímilem tuî inveníre pótero ? Tu eris super domum meam, & ad tui oris impérium cunctus pópulus obédiet : uno tantùm regni sólio te præcédam. Tulitque ánnulum de manu suâ, & dedit eum in manu ejus. Vertitque nomen ejus, & vocávit eum linguâ Ægyptiácâ, Salvatórem mundi.

℟. Joseph in témpore angústiæ custodívit mandátum ; * Et factus est Dóminus Ægypti. ℣. Dedit illi Deus grátiam & sapiéntiam in conspectu Pharaónis. * Et. *I. Mach.* 2. *Act.* 7.

LECTIO III.

Ex Sermóne sexto sancti Leónis Papæ de Quadragésimâ. *Serm.* 43. *Edit. Paris. cap.* 1. & 2.

QUamvis principáliter novos hómines fáciat regeneratiónis ablútio; quia tamen semper necessária est ómnibus contra rubíginem mortalitátis quotidiána renovátio, & inter provéctuũ gradus nullus est, qui non semper mélior esse débeat ; generáliter adnitendum est, ut in die redemptiónis nemo inveniátur in vítiis vetustátis. Quod ergo, dilectíssimi, in omni témpore unumquemque cónvenit fácere Christiánum, id nunc sollicítiùs est & devótiùs exsequendum : ut Apostólica institútio Quadraginta diérum jejúniis impleátur, non cibórum tantúmmodò parcitáte, sed privatióne máximè vitiórum. Nam cùm ob hoc castigátio ista sumátur, ut carnálium desideriórum fómites subtrahantur, nullum magis sectandum est continéntiæ genus, quàm ut semper simus ab injustâ voluntáte sóbrii, & ab inhonestâ actióne jejúni. Quæ devótio non omittit ægros, non secernit inválidos ; quia étiam in lánguido atque inútili córpore potest ánimi intégritas reperíri, si ubi fuit sedes pravitátis, ibi confirmentur fundamenta virtútis.

℟. Convertímini ad me in toto corde vestro, in jejúnio, & in fletu, & in planctu ; & * Scíndite corda vestra, & non vestimenta vestra. ℣. Homo videt ea quæ parent ; Dóminus autem intuétur cor. * Scíndite. ℣. Glória. * Scíndite. *Joel.* 2. *I. Reg.* 16.

Ad Benedictus. *Ant.* Cùm jejúnas, unge caput tuum, & fáciem tuam lava, ne videáris homínibus jejúnans, sed Patri tuo qui est in abscóndito ; & Pater tuus qui videt in abscóndito, reddet tibi. *Matth.* 6.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

PRæsta Dómine, fidélibus tuis ; † ut jejunió-

rum veneranda solémnia & cóngruâ pietáte suscípiant, * & secúrâ devotióne percurrant: Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Senonensi.

An. 1528. *Can.* 7.

SI quis Quadragesimále jejúnium, non tam terrénâ cogitatióne initiátum, quàm cœlesti majestáte consecrátum, & cætera ecclesiástica jejúnia, vel præscriptas à pátribus abstinéntias non observáverit, aut non observandas dúxerit, sacrórum Conciliórum autoritáte, anáthema sit. Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Deo grátias.

Ad Magníficat. *Ant.* Thesaurizáte vobis thesauros in cœlo: ubi neque ærúgo, neque tínea demolítur. *Matth.* 6.

COLLECTA. *Sacr. Leon.*

ABsolve, Dómine, iniquitátes nostras; † & ut tua dona mereámur percípere, * fac nos amáre justítiam: Per Dóminum.

FERIA QUINTA *POST CINERES.*

LECTIO I.

Ex Libro Génesis. *Cap.* 42.

DEscendentes fratres Joseph decem, ut émerent frumenta, ingressi sunt terram Ægypti cum áliis qui pergébant ad emendum. Cúmque adorassent Joseph, & agnovisset eos, quasi ad aliénos dúriùs loquebátur, intérrogans eos: Unde venistis? Qui respondérunt: De terrâ Chánaan, ut emámus víctui necessária. Et tamen fratres ipse cognoscens, non est cógnitus ab eis. Recordatusque somniórum, quæ aliquando víderat, ait ad eos: Exploratóres estis; ut videátis infirmióra, terræ venistis. Qui dixérunt: Non est ita, Dómine; pacífici venímus. Duódecim servi tui fratres sumus, filii viri unius in terrâ Chánaan; mínimus cum patre nostro est: alter non est super. Ait Joseph: Si pacífici estis, frater vester unus ligétur in cárcere: vos autem abíte, & ferte frumenta quæ emistis, in domos vestras, & fratrem vestrum mínimum ad me addúcite, ut possim vestros probáre sermónes, & non moriámini. Fecérunt ut díxerat, & locúti sunt ad ínvicem: Méritò hæc pátimur; quia peccávimus in fratrem nostrum, videntes angústiam ánimæ illíus, dum deprecarétur nos, & non audívimus: idcircò venit super nos ista tribulátio.

℟. Non est sapiéntia, non est prudéntia, * Non est consílium contra Dóminum. ℣. Scriptum est: Comprehendam sapientes

in astútiâ eórum. * Non est. *Prov.* 21. *I. Cor.* 3.

LECTIO II. *Cap.* 43.

CONsumptis cibis quos ex Ægypto detúlerant, dixit Jacob ad filios suos: Revertímini, & émite nobis pauxillum escárum. Tulérunt ergo viri múnera, & pecúniam dúplicem, & Bénjamin: descenderuntque in Ægyptum, & stetérunt coram Joseph. Quos cùm ille vidisset, & Bénjamin simul, præcépit dispensatóri domûs suæ, dicens: Introduc viros domum, & occíde víctimas, & ínstrue convívium; quóniam mecum sunt comestúri merídie. Igitur ingressus est Joseph domum suam, obtulerúntque ei múnera, tenentes in mánibus suis: & adoravérunt proni in terram. At ille, clementer resalutátis eis, interrogávit eos, dicens: Salvusne est pater vester senex; de quo dixerátis mihi? Adhuc vivit? Qui respondérunt: Sospes est servus tuus pater noster; adhuc vivit. Et incurváti, adoravérunt eum. Adtollens autem Joseph óculos, vidit Bénjamin fratrem suum uterínum, & ait: Iste est frater vester párvulus, de quo dixerátis mihi? Et rursùm: Deus, inquit, misereátur tuî, fili mi. Festinavítque, quia commóta fúerant víscera ejus super fratre suo, & erumpébant lácrymæ: & introíens cubículum flevit. Rursúmque lotâ fácie egressus, contínuit se, & ait: Pónite panes.

℟. Si esuríerit inimícus tuus, ciba illum; & si sitit, potum da illi: noli vinci à malo; * Sed vince in bono malum. ℣. Omnis injúriæ próximi, ne memíneris. * Sed. *Rom.* 12. *Eccli.* 10.

LECTIO III.

Ex Libro vigésimo quinto Morálium sancti Gregórii Papæ. *In Cap.* 34. *Job. Edit. Bened. n.* 28.

SCiendum est quòd peccátum tribus modis commíttitur. Nam aut ignorántiâ, aut infirmitáte, aut stúdio perpetrátur. Et gráviùs quidem infirmitáte quàm ignorántiâ: sed multò gráviùs stúdio, quàm infirmitáte peccátur. Ignorántiâ Paulus peccáverat, cùm dicébat: Qui priùs fui blasphémus, & persecútor, & contumeliósus: sed misericórdiam consecútus sum, quia ignórans feci in incredulitáte. Petrus verò infirmitáte peccávit, quando in eo omne robur fidei, quod Dómino perhíbuit, una vox puellæ concussit; & Deum quem corde ténuit, voce denegávit. Sed quia infirmitátis culpa, vel ignorántiæ eò faciliùs térgitur, quò non stúdio perpetrátur, Paulus

quæ ignorávit, sciendo correxit: & Petrus motam, & quasi arescentem jam radícē fidei lácrymis rigando solidávit. Ex indústriâ verò peccáverant ii, de quibus ipse Magister dicébat: Si non venissem & locútus fuissem eis, peccátum non habérent: nunc autem excusatiónem non habent de peccáto suo. Et pauló post: Et vidérunt, & odérunt me & Patrem meum. Aliud est enim bona non fácere, áliud bonórum odisse Doctórem.

℟. Quasi columbæ meditantes gemémus: * Multiplicátæ sunt enim iniquitátes nostræ, & peccáta nostra respondérunt nobis; quia scélera nostra nobiscum, & † Iniquitátes nostras cognóvimus. ℣. Si dixérimus quóniam peccátum non habémus, ipsi nos sedúcimus, & véritas in nobis non est. * Multiplicátæ. ℣. Glória. † Iniquitátes. *Isai.* 59. *I. Joan.* 1.

Ad Benedictus. *Ant.* Dómine, non sum dignus ut intres sub tectum meum; sed tantùm dic verbo, & sanábitur puer meus. *Matth.* 8.

Collecta. *Sacr. Greg.*

DEus, qui culpâ offénderis, pœniténtiâ placáris; † preces pópuli tui supplicantis propitius réspice, * & flagella tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis nostris merémur, averte: Per Dóminum.

C a n o n.

Ex Concílio Coloniensi. *An.* 1536. *Can.* 6.

QUadragésimæ institútio antiquíssima est, & à tempóribus Apostolórum ad nos usque deducta; cujus violatóres plerísque generálibus Concíliis, prætertìm Toletáno octávo acérrimè redarguuntur, Religioníque contraríe monstrantur.

Ad Magníficat. *Ant.* Multi ab Oriente & Occidente vénient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Jacob in regno cœlórum; fílii autem regni ejicientur in ténebras exterióres. *Matth.* 8.

Collecta. *Sacr. Leon.*

REspice nos rerum ómnium Deus creátor & rector; † & ut tuæ propitiatiónis sentiámus effectum, * toto nos tribue tibi corde servire: Per Dóminum.

FERIA SEXTA
POST CINERES.

L e c t i o I.

Ex Libro Génesis. *Cap.* 45.

NOn se póterat ultrà cohibére Joseph, multis coràm astántibus: unde præcépit ut egrederentur

cuncti foràs, & nullus interesset aliénus : agnitióni mútuæ, elevavitque vocem cum fletu, quam audiérunt Ægyptii omnisque domus Pharaónis, & dixit frátribus suis : Ego sum Joseph : adhuc pater meus vivit? Non póterant respondére fratres nímio terróre pertérriti. Ad quos ille clementer : Accédite, inquit, ad me. Et cùm accessissent propè, Ego sum, ait, Joseph, frater vester, quem vendidistis in Ægyptum. Biénnium est quòd cœpit fames esse in terrâ : & adhuc quinque anni restant, quibus nec arári póterit, nec meti. Præmisitque me Deus ut reservémini super terram, & escas ad vivendum habére possítis. Non vestro consílio, sed Dei voluntáte huc missus sum. Festináte, & ascéndite ad Patrem meum, & dicétis ei : Hæc mandat filius tuus Joseph : Deus fecit me dóminum universæ terræ Ægypti : descende ad me, ne moréris, & habitábis in terrâ Gessen. Feceruntque filii Israel, ut eis mandátum fúerat.

℟. Sapiéntiam non vincit malítia. * Adtingit ergo à fine usque ad finem fórtiter, & dispónit ómnia suáviter. ℣. Notum à século est Dómino opus suum. * Adtingit. *Sap.* 7. *&* 8. *Act.* 15.

Lectio II. *Cap.* 46. *&* 47.

PRofectusque Israel cum ómnibus quæ habébat, venit ad Púteum juramenti, & mactátis ibi víctimis Deo patris sui Isaac, audívit eum per visiónem noctis vocantem se, & dicentem sibi : Jacob, Jacob. Cui respondit : Ecce adsum. Ait illi Deus : Ego sum fortíssimus Deus patris tui : noli timére, descende in Ægyptum, quia in gentem magnam fáciam te ibi. Ego descendam tecum illuc, & ego inde addúcam te revertentem : Joseph quoque ponet manus suas super óculos tuos : Surrexit autem Jacob à púteo juramenti : venitque in Ægyptum cum omni sémine suo. Introduxit Joseph patrem suum ad Regem, & státuit eum coram eo : qui benedícens illi, & interrogátus ab eo : Quot sunt dies annórum vitæ tuæ? Respondit : Dies peregrinatiónis meæ centum triginta annórum sunt, parvi & mali, & non pervenérunt usque ad dies patrum meórum quibus peregrináti sunt. Et benedicto Rege, egressus est foràs.

℟. Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissiónibus, sed à longè eas adspicientes, & * Confitentes quia peregríni & hóspites sunt super terram. ℣. Qui hæc dicunt,

significant se pátriam inquírere * Confiténtes. *Hebr.* 11.

LECTIO III.

Ex libro vigésimo quinto Morálium sancti Gregórii Papæ. *In Cap.* 34. *Job. Edit. Ben. n.* 28.

ALiud est præcipitatióne, áliud deliberatióne peccáre. Sæpè enim peccátum præcipitatióne commíttitur: quod tamen consílio & deliberatióne damnátur. Ex infirmitáte enim plerumque solet accídere amáre bonum, sed implére non posse. Ex stúdio verò peccáre, est bonum nec fácere, nec amáre. Sicut ergo nonnunquàm grávius est peccátum dilígere, quàm perpetráre: ita néquius est odisse justítiam, quàm non fecisse. Sunt ergo nonnulli in Ecclésiâ qui non solùm bona non fáciunt, sed étiam persequuntur; & quæ ipsi fácere négligunt, étiam in áliis detestantur. Horum peccátum scílicet non ex infirmitáte vel ignorántiâ, sed ex solo stúdio perpetrátur: quia vidélicet si vellent implére bona, nec tamen possent, ea quæ in se négligunt, saltem in áliis amárent. Si enim ea ipsi vel solo voto appéterent, facta ab áliis non odissent: sed quia bona éadem audiendo cognoscunt, vivendo despíciunt, animadvertendo persequuntur, rectè dicitur: Qui ex indústriâ recessérunt ab eo.

℟. Jurávi & státui custodíre judícia justítiæ tuæ: * Humiliátus sum usquequáquè, Dómine; † Vivífica me secundùm verbum tuum. ℣. Deus, propítius esto mihi peccatóri. * Humiliátus. ℣. Glória. † Vivífica. *Ps.* 118. *Luc.* 18.

Ad Benedictus. *Ant.* Dilígite inimícos vestros, benefácite his qui odérunt vos, & oráte pro persequéntibus & calumniántibus vos. *Matth.* 5.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

INchoáta jejúnia, quæsumus, Dómine, benigno favóre proséquere; † ut observántiam, quam corporáliter exhibémus, * méntibus étiam sincéris exercére valeámus: Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Mediolanensi. *An.* 1584.

IN Quadragésimâ, fériis sextis, pium religiósumque mœrórem ex acerbitáte Passiónis Christi Dómini fidéles præ pietáte intimè concípere, omníque devotiónis offício, atque ádeò salutáribus lácrymis exprímere debent. Quamobrem, illis sextis fériis ob memóriam Passiónis Dómini nostri Jesu Christi, pópulus frequéntior convocétur ad orandum.

Ad Magníficat. *Ant.* Es-

tóte perfecti, sicut & Pater vester cœléstis perfectus est. *Matth.* 5.

Collecta. *Sacr. Leon.*

TUére, Dómine, pópulum tuum, & ab ómnibus peccátis clementer emunda; † quia nulla ei nocébit advérsitas, * si nulla ei dominétur iníquitas: Per Dóminum.

SABBATO POST CINERES.

Lectio I.

Ex Libro Génesis. *Cap.* 48.

NUntiátum est Joseph quòd ægrotáret pater suus: qui, assumptis duóbus filiis Manasse & Ephraim, ire perrexit. Dictumque est seni: Ecce filius tuus Joseph venit ad te. Qui confortátus sedit in léctulo. Videns autem filios ejus, dixit ad eum: Qui sunt isti? Respondit: Filii mei sunt, quos donávit mihi Deus in hoc loco. Adduc, inquit, eos ad me, ut benedícam illis. Oculi enim Israel caligábant præ nímiâ senectúte, & claré vidére non póterat. Applicitósque ad se deosculátus, & circumplexus eos, dixit ad filium suum: Non sum fraudátus adspectu tuo: ínsuper ostendit mihi Deus semen tuum. Cúmque tulisset eos Joseph de grémio patris, adorávit pronus in terram. Et pósuit Ephraim ad déxteram suam, id est, ad sinistram Israel: Manassen verò in sinistrâ suâ, ad déxteram scilicet patris, applicuitque ambos ad eum. Qui extendens manum déxteram, pósuit super caput Ephraim minóris fratris: sinistram autem super caput Manasse, qui major natu erat, commútans manus.

℞. Fide Jacob móriens síngulos filiórum Joseph benedixit, * Et adorávit fastígiũ virgæ ejus. ℣. Cùm appropinquáre cérneret diẽ mortis suæ, vocávit filium suum Joseph. * Et adorávit. *Hebr.* 11. *Gen.* 48.

Lectio II.

BEnedixitque Jacob filiis Joseph, & ait: Deus, in cujus conspectu ambulavérunt patres mei Abraham & Isaac, Deus qui pascit me ab adolescéntiâ meâ usque in præsentem diem: Angelus, qui éruit me de cunctis malis, benedícat púeris istis: & invocétur super eos nomen meum, nómina quoque patrum meórum Abraham & Isaac, & crescant in multitúdinem super terram. Videns autem Joseph quòd posuisset pater suus déxteram manum super caput Ephraim, gráviter accépit. Dixitque ad patrem: Non ita cónvenit, pater: quia hic est primogénitus, pone déxteram tuam super caput.

ejus. Qui rénuens, ait: Scio, fili mi, scio: & iste quidem erit in pópulos, & multiplicábitur: sed frater ejus minor, major erit illo: & semen illíus crescet in gentes. Constituítque Ephraim ante Manassen. Et ait ad Joseph filium suum. En ego mórior, & erit Deus vobíscum, reducétque vos ad terram patrum vestrórum.

℟. Nemo natus est ut Joseph princeps fratrum, firmamentum gentis, stabilimentum pópuli, * Et ossa ipsíus visitáta sunt, & post mortem prophetavérunt. ℣. Fide Joseph móriens, de profectióne filiórum Israel memorátus est, & de óssibus suis mandávit. * Et ossa. *Eccli.* 49. *Hebr.* 11.

LECTIO III.

Ex Libro quinto sancti Augustíni Epíscopi contra Juliánum Pelagiánum. *Ed. Bened. Cap.* 13. *n.* 12.

Cum dícitur homo tradi desidériis suis, inde fit reus, quia desertus à Deo cedit eis atque consentit, víncitur, cápitur, tráhitur, possidétur. A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est: & fit ei peccátum cónsequens præcedentis pœna peccáti, ubi légitur: Dóminus enim míscuit illis spíritum erróris, & seduxérunt Ægyptum in ómnibus opéribus suis, sicut sedúcitur ébrius? Non est peccatum & pœna peccáti, ubi Deo dicit Prophéta: Quid erráre fecisti nos, Dómine, à viâ tuâ; obtudisti corda nostra, ut non timerémus te? Multa ália commemoráre póssumus, in quibus liquidò appáret, occulto judício Dei fieri perversitátem cordis, ut non audiátur quod verum dícitur, & inde peccétur, & sit ipsum peccátum præcedentis étiam pœna peccáti. Nam crédere mendácio, & non crédere veritáti, útique peccátum est. Venit tamen ab eâ cæcitáte cordis, quæ occulto judício Dei, sed tamen justo, étiam pœna peccáti monstrátur. Quale est étiã illud quod ad Thessalonicenses scribit Apóstolus: Pro eo quòd dilectiónem veritátis non recepérunt, ut salvi fíerint, & ídeo mittet illis Deus operatiónem erróris, ut credant mendácio. Ecce pœna peccáti peccátum est.

℟. Quare in perpétuum oblivíscéris nostri? derelinques nos in longitúdine diérum? * Converte nos, Dómine, ad te, & convertémur. ℣. Dómine, salva nos; perímus. * Converte. ℣. Glória. * Converte. *Thren.* 5. *Matth.* 8.

Ad Benedíctus. *Ant.* In platéis ponébant infirmos

& deprecabantur Jesum ut vel fimbriam vestimenti ejus tángerent; & quotquot tangébant eum, salvi fiébant. *Marc. 6.*

Collecta. *Sacr. Gelas.*

ADesto, Dómine, supplicatiónibus nostris; † & concéde, ut hoc solemne jejúnium, quod animábus corporibusque curandis salúbriter institútum est; * devóto servítio celebrémus: Per Dóminum.

C a n o n.

Ex Concíliis Laodicéno * & Toletáno. **
* *IV. Sec. Can. 5.*
** *Ann. 656. Can. 1.*

NOn celebrētur in Quadragésimâ Mártyrum natalítia. Festívitas non potest celebrári condignè, cùm Quadragésimæ dies, vel paschále Festum vidétur incúmbere; in quibus nihil de sanctórum solemnitátibus, sicut regulári ex antiquitáte cautum est, cónvenit celebrári.

AD VESPERAS.

Antiphona ut in Psalterio.

Lectio. *Levit. 16.*

IN hâc die expiátio erit vestrî, atque mundátio ab ómnibus peccátis vestris: † coram Dómino mundabímini; sábbatum enim requietiónis est, * & affligétis ánimas vestras religióne perpétuâ.

℟. *br.* Ego dixi: Dómine, * Miserére meî. ℟. Ego. ℣. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. * Miserére. ℣. Glória. ℟. Ego. *Ps. 40.*

Hymnus. Audi, benígne Cónditor. *ut suprà in Feriis Quadragesimæ, p. 155.*

℣. Tempus beneplácíti, Deus: ℟. In multitúdine misericórdiæ tuæ exaudi me. *Ps. 68.*

Ad Magníficat. *Ant.* Quia pátiens Dóminus est, in hoc ipso pœniteámus, & indulgéntiam ejus fusis lácrymis postulémus. *Judith, 8.*

Collecta ut infrà ad Laudes.

DOMINICA I.
QUADRAGESIMÆ.

AD OFFICIUM NOCT.

Antiphona in Psalm. Veníte. *ut in Psalterio. Hymnus, ut suprà in Feriis Quadragesimæ, pag. 153.*

Antiphonæ & ℣. I. & II. Nocturni, ut in Psalterio.

IN I. NOCTURNO.

Lectio I.

Ex Libro Exodi. *Cap. 1.*

MOrtuo Joseph, & univérsis frátribus ejus, omníque cognatióne illâ, filii Israel crevérunt: ac roboráti nimìs implevérunt terram. Surrexit intéreà

Rex novus ſuper Ægyptum, qui ignorábat Joſeph: & ait ad pópulum ſuum: Ecce, pópulus filiórum Iſrael multus, & fórtior nobis eſt. Veníte, ſapienter opprimámus eum, ne fortè multiplicétur; & ſi ingrúerit contra nos bellum, addátur inimícis noſtris, expugnatiſque nobis egrediátur de terrâ. Præpóſuit ítaque eis magiſtros óperum, ut afflígerent eos onéribus. Quantóque opprimébant eos, tantò magis multiplicabantur, & creſcébant. Præcépit ergo Phárao omni pópulo ſuo, dicens: Quidquid maſculíni ſexûs natum fúerit, in flumen projícite: quidquid feminíni reſerváte.

℟. Cùm appropinquáret tempus promiſſiónis quam confeſſus erat Deus Abrahæ, crevit pópulus & multiplicátus eſt in Ægypto: *Quoaduſque ſurrexit álius Rex qui non ſciébat Joſeph. ℣. Intrávit Iſrael in Ægyptum, & Jacob áccola fuit in terrâ Cham, & auxit Dóminus pópulum ſuum vehementer. * Quoaduſque. *Act.* 7. *Pſ.* 104.

Lectio II. *Cap.* 2.

EGreſſus eſt poſt hæc vir de domo Levi: & accépit uxórem ſtirpis ſuæ; quæ concépit & péperit filium: & videns eum elegantem, abſcondit tribus ménſibus. Cúmque jam celáre non poſſet, ſumpſit fiſcellam ſcírpeam, & linívit eam bitúmine ac pice: poſuitque intus infántulum, & expóſuit eum in carecto ripæ flúminis, ſtante procul ſoróre ejus, & conſiderante eventum rei.

℟. Rex Ægypti circumvéniens afflixit patres noſtros, ut expónerent infantes ſuos. Eódem témpore natus eſt Móyſes, * Et nutrítus eſt tribus ménſibus in domo patris ſui. ℣. Fide Móyſes natus, occultátus eſt à paréntibus ſuis; * Et. *Act.* 7. *Hebr.* 11.

Lectio III.

ECce autem deſcendébat filia Pharaónis, ut lavarétur in flúmine. Quæ cùm vidiſſet fiſcellam in papyrióne, miſit unam è famulábus ſuis: & allátam apériens, cernenſque in eâ párvulum vagientem, miſerta ejus, ait: De infántibus Hebræórum eſt hic. Cui ſoror púeri: Vis, inquit, ut vadam & vocem tibi mulíerem Hebræam, quæ nutríre poſſit infántulum? Reſpondit: Vade. Perrexit puella, & vocávit matrem ſuam. Ad quam locúta filia Pharaónis: Accipe, ait, púerum iſtum, & nutri mihi: ego dabo tibi mercédem tuam. Suſcépit múlier, & nutrívit púerum: adultumque trádidit filiæ Pharaónis. Quem illa adoptávit in locum filii,

vocavitque nomen ejus Móyses, dicens : Quia de aquâ tuli eum.

℟. Expósito illo, sustulit eum filia Pharaónis, & nutrívit eum sibi in filium; * Et erat potens in verbis, & in opéribus suis. ℣. Erudítus est omni sapiéntiâ Ægyptiórum. * Et erat. *Act.* 7.

LECTIO IV.

IN diébus illis postquam créverat Móyses, egressus est ad fratres suos : viditque afflictiónem eórum, & virum Ægyptium percutientem quemdam de Hebræis frátribus suis. Cúmque circumspexisset huc atque illuc, & nullum adesse vidisset, percussum Ægyptium abscondit sábulo. Et egressus die áltero conspexit duos Hebræos rixantes : dixitque ei qui faciébat injúriam : Quare pércutis próximum tuum ? Qui respondit : Quis te constítuit príncipem & júdicem super nos ? num occídere me tu vis, sicut heri occidisti Ægyptium ? Audivitque Phárao sermónem hunc, & quærébat occídere Móysen : qui fúgiens de conspectu ejus, morátus est in terrâ Mádian, accepitque Séphoram filiam Raguélis sacerdótis Mádian uxórem.

℟. Fide Móyses grandis factus negávit se esse filium filiæ Pharaónis, magìs éligens affligi cum pópulo Dei, quàm temporális peccáti habére jucunditátem ; * Adspiciébat enim in remuneratiónem. ℣. Majóres divítias æstimans thesauro Ægyptiórum impropérium Christi fide relíquit Ægyptum. * Adspiciébat. ℣. Glória. * Adspiciébat. *Hebr.* 11.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO V.

Ex Homíliâ primâ sancti Basílii Epíscopi de Jejúnio. *Edit. Bened. n.* 3. *&* 4.

TAm vetus est jejúnium, ut simul cum hómine cóndito cœperit : in paradíso præscriptum est. Primum illud præceptum accépit Adámus : De ligno sciéntiæ boni & mali non comedétis, jejúnii & abstinéntiæ lex est. Si à ligno jejunasset Heva, nequáquàm hoc nunc jejúnio opus haberémus. Neque enim opus est valéntibus médico, sed malè habéntibus. Fúimus per peccátum læsi, sanémur per pœniténtiam : pœniténtia autem sine jejúnio iners est & infrugífera. Quóniam non jejunávimus, exsulámus è paradíso : jejunémus ígitur, ut ad illum revertámur. An non vides quómodo Lázarus per jejúnium ingressus est paradísum ? Noli imitári Hevæ inobediéntiam

dientiam, noli rursus serpentem in consílium adhibére, edúlium ad carnem mólliùs curandam proponentem.

℟. Dies propitiatiónis est, ut propitiétur vobis Dóminus Deus vester: * Pœnitémini ígitur & convertímini, ut deleantur peccáta vestra. ℣. Omnis ánima quæ afflicta non fúerit, die hâc períbit de pópulis suis. * Pœnitémini. *Levit.* 23. *Act.* 3.

LECTIO VI.

Ex Homíliâ secundâ ejusdem de Jejúnio. *Edit. Bened. n.* 2.

EST quidem jejúnium omni témpore útile, iis qui lubenti ánimo illud suscípiunt: (neque enim assultus dæmonum quidquam audet adversùs jejunantem, ac vitæ nostræ custódes Angeli diligéntiùs adsunt iis, qui jejúnio purgátam habent ánimam:) sed multò magis hoc témpore, quo per universum terrárum orbem úndique denuntiátur jejúnii præcónium. Nec ulla est ínsula, nec ulla terra cóntinens, non cívitas, non gens ulla, non extrémus mundi ángulus, ubi non audiátur jejúnii edictum. Quin & exércitus, & viatóres, & nautæ, & negotiatóres, omnes páriter áudiunt edictum, & summo gáudio excípiunt. Ne quis ígitur semet exclúdat à número jejunántium, in quo omne genus hóminum, omnis ætas, omnes dignitátum órdines recensentur.

℟. Minístri Dei mei, sanctificáte jejúnium, vocáte cœtum; * Congregáte senes, omnes habitatóres terræ in domum Dei vestri: & clamáte ad Dóminum. ℣. Nunc annúntiat Deus, ut omnes ubíque pœniténtiam agant. * Congregáte. *Joel.* 1. *Act.* 17.

LECTIO VII.

Ex Sermóne primo sancti Leónis Papæ de Quadragésimâ. *Serm.* 38. *Edit. Parisi. Cap.* 2.

SUnt intra nosmetipsos multa certámina, & áliud caro adversùs spíritum, áliud adversùs carnem spíritus concupíscit. In quâ dissensióne si cupiditátes corpóreæ fúerint fortióres, túrpiter ánimus amittet própriam dignitátem, & perniciosíssimum erit eum servíre, quem decúerat imperáre. Si autem mens rectóri suo súbdita, & supernis munéribus delectáta, terrénæ voluptátis incitamenta calcáverit, & in suo mortáli córpore regnáre peccátum non síverit, ordinatíssimum tenébit rátio principátum, & munitiónes ejus nulla spirítáliũ nequitiárum labefactábit illúsio: quia tunc est vera

pax hóminis, & vera libertas, quando & caro ánimo júdice régitur, & ánimus Deo præside gubernátur.

℟. Spíritu ambuláte, & desidéria carnis non perficiétis: * Caro enim concupiscit adversùs spíritum: spíritus autem adversùs carnem. ℣. Obsecro vos tamquàm ádvenas & peregrínos abstinére vos à carnálibus desidériis, quæ mílitant adversùs ánimam; * Caro. *Galat.* 5. *I. Petr.* 2.

Lectio VIII. *Cap.* 3.

ACcedentes ergo, dilectíssimi, ad Quadragésimæ inítium, id est, ad diligentiórem Dómini servitútem, quia quasi ad quemdam agónem sancti óperis introímus, ad pugnas tentatiónum ánimos præparémus; & intelligámus quantò studiosióres pro nostrâ salúte fuérimus, tantò nos veheméntiùs ab adversáriis impetendos. Sed fórtior est qui in nobis est, quàm qui adversùm nos est; & per ipsum válidi sumus, in cujus virtúte confídimus: quia ob hoc Dóminus se tentári à tentatóre permísit, ut cujus munímur auxílio, ejusdem erudirémur exemplo. Vicit enim adversárium, ut audístis, testimóniis legis, non potestáte virtútis: ut hoc ipso & hóminem plus honoráret, & adversárium plus puníret, cùm hostis géneris humáni non quasi à Deo jam, sed quasi ab hómine vincerétur.

℟. Fili, accédens ad servitútem Dei, sta in justítiâ, & timóre, & * Præpara ánimam tuam ad tentatiónem. ℣. Adversárius vester diábolus tamquàm leo rúgiens círcuit, quærens quem dévoret: * Præpara. ℣. Glória. * Præpara. *Eccli.* 2. *I. Petr.* 5.

IN III. NOCTURNO.

I. Canticum. *Baruch,* 2.

Pii gemitus animæ justa Dei judicia confitentis.

NOn sumus deprecáti fáciem Dómini Dei nostri, * ut reverterémur unusquisque nostrûm à viis nostris péssimis.

Et vigilávit Dóminus in malis, & adduxit ea super nos; * quia justus est Dóminus in ómnibus opéribus suis, quæ mandávit nobis:

Et non audívimus vocem ipsíus, ut irémus in præceptis Dómini, * quæ dedit ante fáciem nostram.

Peccávimus, ímpiè égimus, * iníquè géssimus, Dómine Deus noster, in ómnibus justítiis tuis.

Avertátur ira tua à nobis: * réspice, Dómine, de domo sanctâ tuâ in nos;

Et inclína aurem tuam, & exaudi nos; * áperi óculos tuos & vide:

Quia non mórtui, qui sunt in inferno, quorum

spiritus acceptus est à viscéribus suis, * dabunt honórem & justificatiónem Dómino.

Sed ánima, quæ tristis est super magnitúdine mali, & incédit curva & infirma, * & óculi deficientes, & ánima esúriens dat tibi glóriam & justítiam Dómino.

II. CANTICUM. *Dan.* 3.

Oratio ejusdem misericordiam Dei fiducialiter implorantis.

BEnedictus es, Dómine Deus patrum nostrórum, * & laudábile & gloriósum nomen tuum in sécula:

Quia justus es in ómnibus quæ fecisti nobis, & univerfa ópera tua vera, * & viæ tuæ rectæ, & ómnia judícia tua vera.

Peccávimus enim, & iníquè égimus, recedentes à te: * & delíquimus in ómnibus:

Et præcepta tua non audívimus, nec observávimus, * nec fécimus sicut præcéperas nobis, ut bene nobis esset.

Omnia ergo quæ induxisti super nos, & universa quæ fecisti nobis, * in vero judício fecisti.

Et nunc non póssumus aperíre os: * confúsio & oppróbrium facti sumus servis tuis, & his qui colunt te.

Ne, quæsumus, tradas nos in perpétuum, & ne dissipes testamentum tuū: * neque áuferas misericórdiam tuam à nobis.

III. CANTICUM. *Ibid.*

SIcut in holocausto aríetum, & taurórum, * & sicut in míllibus agnórum pínguium:

Sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hódie, ut pláceat tibi; * quóniam non est confúsio confidéntibus in te.

Et nunc séquimur te in toto corde, * & timémus te, & quærimus fáciem tuam.

Ne confundas nos; sed fac nobiscum juxta mansuetúdinem tuam, * & secundùm multitúdinem misericórdiæ tuæ.

Et érue nos in mirabílibus tuis, * & da glóriam nómini tuo, Dómine:

Et confundantur omnes, qui ostendunt servis tuis mala; * confundantur in omnipoténtiâ tuâ, & robur eórum conterátur.

Et sciant quia tu es Dóminus Deus solus, * & gloriósus super orbem terrárum.

Ant. Quærimus fáciem tuam: Dómine, ne confundas nos: sed fac nobiscum secundùm multitúdinem misericórdiæ tuæ.

℣. Propter nomen tuum, Dómine, propitiáberis peccáto meo; ℟. Multum est enim. *Ps.* 24.

LECTIO IX.

Incipit Epístola secunda beáti Petri Apóstoli.

Cap. I.

SImon Petrus, servus & Apóstolus Jesu Christi, iis qui coæquálem nobiscum sortíti sunt fidem in justítiâ Dei nostri, & Salvatóris Jesu Christi. Grátia vobis & pax. adimpleátur in cognitióne Dei, & Christi Jesu Dómini nostri: quómodo ómnia nobis divínæ virtútis suæ, quæ ad vitam & pietátem donáta sunt, per cognitiónem ejus, qui vocávit nos própriâ glóriâ & virtúte: per quem máxima & pretiósa nobis promissa donávit: ut per hæc efficiámini divínæ consortes natúræ: fugientes ejus quæ in mundo est, concupiscéntiæ corruptiónem.

℟. Omnes filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu. * Non ergo regnet peccátum in vestro mortáli córpore, ut obediátis concupiscéntiis ejus. ℣. Vidéte qualem caritátem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominémur, & simus. * Non ergo. *Galat.* 3. *Rom.* 6. *I. Joan.* 3.

LECTIO X.

VOs autem curam omnem subinferentes, ministráte in fide vestrâ virtútem, in virtúte autem sciéntiam, in sciéntiâ autem abstinéntiam, in abstinéntiâ autem patiéntiam, in patiéntiâ autem pietátem, in pietáte autem amórem fraternitátis, in amóre autem fraternitátis caritátem. Hæc enim si vobiscum adsint, & súperent; non vácuos, nec sine fructu vos constítuent in Dómini nostri Jesu Christi cognitióne.

℟. Animas vestras castificántes in obediéntiâ caritátis, in fraternitátis amóre, in omni conversatióne sancti sitis; * Quóniam scriptum est: Sancti éritis, quóniam ego Sanctus sum. ℣. Elégit nos Deus, ut essémus sancti & immaculáti in conspectu ejus in caritáte. * Quóniam. *I. Petr.* 1. *Ephes.* 1.

LECTIO XI.

CUi enim non præstò sunt hæc, cæcus est, & manu tentans, obliviónem accípiens purgatiónis véterum suórum delictórum. Quapropter, fratres, magis satágite, ut per bona ópera certam vestram vocatiónem & electiónem faciátis: hæc enim faciéntes, non peccábitis aliquando. Sic enim abundanter ministrábitur vobis intróitus in æternum regnum Dómini nostri, & Salvatóris Jesu Christi.

℟. Stábiles estóte & immóbiles, abundantes in ópere Dómini semper, * Scien-

tes quòd labor vester non est inánis in Dómino. ℣. Nolíte defícere benefaciéntes. * Sciéntes. *I. Cor.* 15. *II. Theff.* 3.

LECTIO XII.

PRopter quod incípiam vos semper commonére de his; & quidem sciéntes & confirmátos vos in præsénti veritáte. Justum autem árbitror, quámdiu sum in hoc tabernáculo, suscitáre vos in commonitióne: certus quòd velox est deposítio tabernáculi mei, secundùm quod & Dóminus noster Jesus Christus significávit mihi. Dabo autem óperam & frequénter habére vos post óbitum meum ut horum memóriam faciátis.

℟. Tempus breve est; réliquum est, ut & qui flent, tamquàm non flentes sint: & qui gaudent, tamquàm non gaudentes: & qui utuntur hoc mundo, tamquàm non utantur: * Prætérit enim figúra hujus mundi. ℣. Nolíte dilígere mundum, neque ea quæ in mundo sunt; * Prætérit. ℣. Glória. * Prætérit. *I. Cor.* 7. *I. Joan.* 2.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 4.

JEsus ductus est in desértum à Spíritu, ut tentarétur à diábolo. Et cùm jejunásset quadraginta diébus, & quadraginta nóctibus, póstea esúriit. Et accédens tentátor, dixit ei: Si fílius Dei es, dic ut lápides isti panes fiant. Qui respóndens dixit: Scriptum est: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procédit de ore Dei. Tunc assúmpsit eum diábolus in sanctam civitátem, & státuit eum super pinnáculum templi, & dixit ei: Si fílius Dei es, mitte te deorsum. Scriptū est enim: Quia Angelis suis mandávit de te, & in mánibus tollent te, ne fortè offendas ad lápidem pedem tuum. Ait illi Jesus: Rursum scriptum est: Non tentábis Dóminum Deum tuum. Iterum assúmpsit eum diábolus in montem excelsum valde: & osténdit ei ómnia regna mundi, & glóriam eórum, & dixit illi: Hæc ómnia tibi dabo, si cadens adoráveris me. Tunc dicit ei Jesus: Vade, Sátana: Scriptum est enim, Dóminum Deum tuum adorábis, & illi soli sérvies. Tunc relíquit eum diábolus: & ecce Angeli accessérunt, & ministrábant ei.

AD LAUDES.

Antiphonæ ut in Psalterio.

LECTIO. *Jac.* 4.

DEus supérbis resístit, humílibus autem dat grátiam. Súbditi ergo estó-

te Deo; resístite autem diábolo, & fúgiet à vobis.

℟. br. *Hymnus, ut suprà in Feriis Quadragesimæ, pag. 154.*

℣. Cùm mihi molesti essent, induébar cilício: ℟. Humiliábam in jejúnio ánimam meam. *Ps.* 34.

Ad Benedíctus. *Ant.* Cùm jejunásset Jesus quadraginta diébus, & quadraginta nóctibus, póstea esúriit. *Matth.* 4.

Collecta. *Sacr. Greg.*

Deus, qui Ecclésiam tuam ánnuâ quadragesimáli observatióne puríficas; † præsta famíliæ tuæ, ut, quod à te obtinére abstinendo nítitur, * hoc bonis opéribus exsequátur; Per Dóminum.

Ad Horas, *Antiphonæ ut in Psalterio.*

AD PRIMAM.

Canon.

Ex Concílio Coloniensi. *An.* 1536. *Part.* 9. *Can.* 2.

Jejúnia ab Ecclésiâ indicta reverenter observári vólumus, admonendusque pópulus cur sint inst
itúta, nempe ut corpus per intemperántiam cibi aut potûs luxúrians, castigétur, in servitútem redigátur; quo ánimus vegétior ac libérior láudibus divínis insistat, divinæque voluntáti sese adtémperet. Magnum certè & generále jejúnium est abstinére ab ómnibus iniquitátibus, & ab illícitis voluptátibus séculi.

AD TERTIAM.

Lectio. *Jac.* 1.

Nemo cùm tentátur, dicat, quóniam à Deo tentátur: Deus enim intentátor malórum est: ipse autem néminem tentat. † Unusquísque verò tentátur à concupiscéntiâ suâ abstractus & illectus. * Deinde concupiscéntia, cùm concéperit, parit peccátum: peccátum verò cùm consummátum fúerit, génerat mortem.

℣. Oculi mei semper ad Dóminum: ℟. Quóniam ipse evellet de láqueo pedes meos. *Ps.* 24.

AD SEXTAM.

Lectio. *Ephes.* 6.

Indúite vos armatúram Dei, ut possítis stare adversùs insídias diáboli. † Quóniam non est nobis colluctátio adversùs carnem & sánguinem, * sed adversùs príncipes, & potestátes, adversùs mundi rectóres tenebrárum harum, contra spirituália nequítiæ, in cœléstibus.

℣. Illúmina óculos meos, Dómine, ne unquam obdórmiam in morte; ℟. Ne quando dicat inimícus meus: Præválui adversùs eum. *Ps.* 12.

AD NONAM.

LECTIO. *Ephes.* 6.

STate succincti lumbos vestros in veritáte, & indúti lorícam justítiæ, & calceáti pedes in præparatióne Evangélii pacis: † in ómnibus suméntes scutum fídei, in quo possítis ómnia tela nequíssimi ígnea exstínguere: * & gáleam salútis assúmite; & gládium spíritûs, quod est verbum Dei.

℣. Gressus meos dírige secundùm elóquium tuum, ℟. Et non dominétur meî omnis injustítia. *Ps.* 118.

AD VESPERAS.

ANTIPHONÆ.

I. ACcédens tentátor, dixit Jesu: Si fílius Dei es, dic ut lápides isti panes fiant. *Matth.* 4.

II. Respondens Jesus dixit: Scriptum est: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procédit de ore Dei. *Matth.* 4.

III. Rursum scriptum est: Non tentábis Dóminum Deum tuum. *Matth.* 4.

IV. Dóminum Deum tuum adorábis, & illi soli sérvies. *Matth.* 4.

LECTIO. *Hebr.* 4.

NOn habémus Pontíficem qui non possit cómpati infirmitátibus nostris; tentátum autem per ómnia pro similitúdine absque peccáto. † Adeámus ergo cum fidúciâ ad thronum grátiæ, ut misericórdiam consequámur, * & grátiam inveniámus in auxílio opportúno.

℟. *br. & Hymnus, ut suprà in Feriis Quadragesimæ, pag.* 155.

℣. Impulsus eversus sum ut cáderem; ℟. Et Dóminus suscépit me. *Ps.* 117.

Ad Magníficat. *Ant.* Consummátâ omni tentatióne, relíquit eum diábolus; & ecce Angeli accessérunt, & ministrábant ei. *Luc.* 4. *Matth.* 4.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

Ex Libro Exodi. *Cap.* 3.

MOyses pascébat oves Jethro sóceri sui sacerdótis Mádian: cùmque minásset gregẽ ad interióra desérti, venit ad montem Dei Horeb: Apparuítque ei Dóminus in flammâ ignis de médio rubi: & vidébat quòd rubus ardéret, & non combureréţur. Dixit ergo Móyses: Vadam, & vidébo visiónem hanc magnam, quare non comburátur rubus. Cernens autem Dóminus quòd pérgeret ad vidéndum, vocávit eum de médio rubi, & ait: Móyses, Móyses. Qui respondit: Adsum. At ille: Ne apprópies, inquit, huc: solve calceaméntum de pédibus tuis: locus enim, in

quo ſtas, terra ſancta eſt. Et ait: Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob. Abſcondit Móyſes fáciem ſuam: non enim audébat adſpícere contra Deum. Cui ait Dóminus: Vidi afflictiónem pópuli mei in Ægypto, & ſciens dolórem ejus, deſcendi ut líberem eum de mánibus Ægyptiórum, & edúcam de terrâ illâ in terram bonam & ſpatióſam, in terram quæ fluit lacte & melle.

℟. Intrávit ſapiéntia in ánimam ſervi Dei; * Et pópulum juſtum liberávit à natiónibus quæ illum deprimébant. ℣. Miſit Móyſen ſervum ſuum, Aaron quem elégit ipſum. * Et. *Sap.* 10. *Pſ.* 104.

LECTIO II.

VEni, & mittam te ad Pharaónem, ut edúcas pópulum meum, filios Iſrael, de Ægypto. Dixitque Móyſes ad Deum: Quis ſum ego ut vadam ad Pharaónem, & edúcam filios Iſrael de Ægypto? Qui dixit ei: Ego ero tecum: & hoc habébis ſignum, quòd míſerim te: Cùm edúxeris pópulum meum de Ægypto, immolábis Deo ſuper montem iſtum. Ait Móyſes ad Deum: Ecce ego vadam ad filios Iſrael, & dicam eis: Deus patrum veſtrórum miſit me ad vos. Si díxerint mihi, Quod eſt nomen ejus? quid dicam eis? Dixit Deus ad Móyſen: EGO SUM QUI SUM. Ait: Sic dices filiis Iſrael: QUI EST, miſit me ad vos.

℟. Hunc Móyſen, quem negavérunt, dicentes: Quis te conſtítuit príncipem & júdicem? hunc Deus príncipem & redemptórem miſit, * Cum manu Angeli, qui appáruit ei in rubo. ℣. Hic eduxit illos fáciens prodígia & ſigna in terrâ Ægypti, * Cum. *Act.* 7.

LECTIO III.

Ex Epíſtolâ primâ ſancti Clementis Papæ & Mártyris ad Corínthios. *Edit. Cotel. ex Græc. An.* 67. *n.* 51. *& ſeq.*

QUotquot per quemdam adversárii illapſum delíquimus, véniam poſtulémus. Nam mélius eſt hómini confitéri de lápſibus & peccátis, quàm induráre cor ſuum. Nullíus rei, fratres, índigus eſt Dóminus, nec quidquam desíderat, præterquàm ut ei fiat conféſſio. Ait enim electus David: Sacrificium Deo ſpíritus contribulátus. Noſtis enim, & probè noſtis ſacras Scriptúras, dilecti, & penítùs in divína elóquia introſpexiſtis: illa ígitur mente, & memóriâ recólite. Et nos ígitur orémus pro eis qui in áliquod pec-

cátum lapsi sunt, ut detur illis moderátio & humílitas; quò non nobis, sed voluntáti Dei cedant. Súbditi estóte Presbyteris, & in pœniténtiam corripímini; flecténtes génua cordis vestri, díscite súbjici, deponentes arrogantem & supérbam linguæ vestræ jactántiam: mélius siquidem vobis est, in ovíli Christi parvos & probátos inveníri, quàm altum sapientes è spe illíus éjici.

℟. A peccáto meo munda me, Dómine; * Quóniam iniquitátem meam ego cognosco, & peccátum meum contra me est semper. ℣. Deus, propítius esto mihi peccatóri; * Quóniam. ℣. Glória. * Quóniam. *Ps.* 50. *Luc.* 18.

Ad Benedíctus. *Ant.* Dicet Rex his qui à dextris ejus erunt: Veníte, benedícti Patris mei, possidéte parátum vobis regnũ à constitutióne mundi. *Matth.* 25.

Collecta. *Sacr. Greg.*

COnverte nos, Deus salutáris noster: † & ut nobis jejúnium quadragesimále profíciat, * mentes nostras cœléstibus ínstrue disciplínis; Per Dóminum.

Canon.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 14. *Cap.* 1.

QUóniam Deus, dives in misericórdiâ, cognóvit figmentum nostrum, illis étiam vitæ remédium cóntulit, qui post suscéptam ipsíus grátiâ in baptísmo justítiam, sese in peccáti servitútem & dæmonis potestátem tradidíssent; sacramentum vidélicet pœniténtiæ, quo lapsis post baptísmum, benefíciũ mortis Christi applicátur.

Ad Magníficat. *Ant.* Dicet Rex his qui à sinistris erunt: Discédite à me, maledícti, in ignem ætérnum: & ibunt hi in supplícium æternum; justi autem in vitam ætérnam. *Matth.* 25.

Collecta. *Sacr. Leon.*

DEus, qui justítiam díligis, & injusta condemnas; † da nobis, quæsumus, & amáre quæ recta sunt, * & perversa vitáre; Per Dóminum.

FERIA TERTIA.

Lectio I.

Ex Libro Exodi. *Cap.* 12.

VOcávit Móyses omnes senióres filiórum Israel, & dixit ad eos: Ite tollentes ánimal per famílias vestras, & immoláte Phase. Fasciculumque hyssópi tíngite in sánguine qui est in límine, & adspérgite ex eo superliminare, & utrúmque postem: nullus vestrûm egrediátur óstium domûs suæ usque mane. Transíbit enim Dóminus percútiens

Ægyptios: cùmque víderit sánguinem in superliminári, & in utróque poste, transcendet óstium domûs, & non sinet percussórem ingredi domos vestras & lædere. Custódi verbum istud legítimum tibi & fíliis tuis usque in æternum. Cùmque introiéritis terram, quam Dóminus datúrus est vobis, ut pollícitus est, observábitis cæremónias istas. Et cùm díxerint vobis filii vestri: Quæ est ista relígio? dicétis eis: Víctima transitûs Dómini est, quando transívit super domos filiórum Israel in Ægypto, percútiens Ægyptios, & domos nostras líberans. Incurvatusque pópulus adorávit. Et egressi filii Israel fecérunt sicut præcéperat Dóminus Móysi & Aaron.

℟. Erit agnus absque máculâ; immolabitque eum univérsa multitúdo filiórũ Israel ad vésperam. * Erit autem sanguis vobis in signum: nec erit in vobis plaga dispérdens. ℣. Redempti estis pretióso sánguine quasi agni immaculáti Christi, & incontamináti. * Erit. *Exod.* 12. *I. Petr.* 1.

LECTIO II.

Factum est autem in noctis médio, percussit Dóminus omne primogénitum in terrâ Ægypti, à primogénito Pharaónis, qui in sólio ejus sedébat, usque ad primogénitum captívæ quæ erat in cárcere, & omne primogénitum jumentórũ. Vocatísque Phárao Móyse & Aaron nocte, ait: Súrgite, & egredímini à pópulo meo, vos & filii Israel: ite, immoláte Dómino sicut dícitis. Oves vestras & armenta assúmite ut petierátis, & abeuntes benedícite mihi. Urgebántque Ægyptii pópulum de terrâ exire velóciter, dicentes: Omnes moriémur. Fecerúntque filii Israel sicut præcéperat Móyses: & petiérunt ab Ægyptiis vasa argéntea & áurea, vestémque plúrimam. Dóminus autem dedit grátiam pópulo coram Ægyptiis ut commodárent eis: & spoliavérunt Ægyptios. Profectíque sunt filii Israel de Ramesse in Socoth, sexcenta ferè míllia péditum virórum, absque párvulis.

℟. Cùm fuit extermínium primogenitórum, spopondérunt pópulum Dei esse. * Cùm enim nox in suo cursu médium iter habéret, omnípotens sermo tuus de cœlo, durus debellátor, in médiam extermínii terram prosilívit, & replévit ómnia morte. ℣. Suscepta est à pópulo tuo sánitas quidem justórum, injustórum autem exterminátio. * Cùm. *Sap.* 18.

LECTIO III.

Ex Epístolâ primâ sancti Paciáni Barcinonensis Epíscopi ad Sympronianum Novatiánum de Cathólico nómine. *Bibl. Patr. Tom. 4. IV. Sec.*

NUnquam Deus non pœniténti comminarétur, nisi ignósceret pœniténti. Solus hoc, ínquies, Deus póterit. Verum est: sed & quod per sacerdótes suos facit, ipsíus potestas est. Nam quid est illud quod Apóstolis dicit: Quæ ligavéritis in terris, ligáta erunt & in cœlis: & quæcumque solvéritis in terris, solúta erunt & in cœlis? Cur hoc, si ligáre homínibus ac sólvere non licébat? An tantùm hoc solis Apóstolis licet? Ergo & baptizáre solis licet, & Spíritum sanctum dare solis, & solis géntium peccáta purgáre: quia totum hoc, non áliis quàm Apóstolis imperátum est. Quòd si uno in loco, & resolútio vinculórum & sacramenti potestas datur: aut totum ad nos ex Apostolórum formâ & potestáte deductum est; aut nec illud ex decrétis relaxátum est. Ego, inquit, fundamentum pósui, álius autem superædíficat. Hoc ergo superædificámus, quod Apostolórum doctrína fundávit. Si ergo & Lavácri & Chrísmatis potestas, majórum & longè charísmatum ad Epíscopos inde descendit; & ligandi quoque jus ádfuit, atque solvendi. Quod etsi nos ob nostra peccáta temerárié vindicámus; Deus tamen illud, ut sanctis & Apostolórum cáthedram tenéntibus, non negábit.

℟. Dixit Jesus discípulis: Accípite Spíritum sanctum. * Quorum remiséritis peccáta, remittuntur eis; & quorum retinuéritis, retenta sunt. ℣. Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terrâ. * Quorum. ℣. Glória. * Quorum. *Joan. 20. Matth. 28.*

Ad Benedictus. *Ant.* Ejiciébat Jesus omnes vendentes & ementes in templo; & mensas numulariórum, & cáthedras vendéntium columbas evertit. *Matth. 21.*

COLLECTA. *Sacr. Leon.*

AD preces nostras, Dómine, quæsumus, propitiátus intende; † ut sacris altáribus servientes, * & fidei veritáte fundáti, & mentis sint puritáte conspícui; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.
Sess. 14. Cap. 1.

FUit pœniténtia, universis homínibus, qui se mortáli áliquo peccáto inquinassent, quovis témpore ad grátiam & justi-

tiam assequendam necessária; illis étiam qui baptismi sacramento áblui petivissent, ut perversitáte abjectâ & emendátâ, tantam Dei offensiónem cum peccáti ódio, pio ánimi dolóre detestarentur.

Ad Magníficat. *Ant.* Accessérunt ad Jesum cæci & claudi in templo; & sanávit eos. *Matth.* 21.

Collecta. *Sacr. Gelas.*

FAc nos, Dómine, quǽsumus, tuis obedíre mandátis: † quia tunc nobis próspera cuncta provénient, * si totíus vitæ sequámur Autórem; Per Dóminum.

FERIA QUARTA.

Quatuor Temporum.

Lectio I.

Ex Libro Exodi. *Cap.* 14.

DIxit Dóminus ad Móysen: Quid clamas ad me? Lóquere fíliis Israel ut proficiscantur. Tu autem éleva virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & dívide illud: ut gradiantur filii Israel in médio mari per siccum. Ego autem indurábo cor Ægyptiórum, ut persequantur vos: & glorificábor in Pharaóne, & in omni exércitu ejus. Et scient Ægyptii quia ego sum Dóminus. Tollensque se Angelus Dei, qui præcedébat castra Israel, ábiit post eos: & cum eo páriter columna nubis, prióra dimittens, post tergum stetit, inter castra Ægyptiórum, & castra Israel: & erat nubes tenebrósa, & illúminans noctem, ita ut ad se ínvicem toto noctis témpore accédere non valérent. Cùmque extendisset Móyses manum super mare, ábstulit illud Dóminus flante vento vehementi & urente totâ nocte, & vertit in siccum: divisaque est aqua.

℟. Quos rogantes projécerant, hos tamquàm fugitívos persequebantur; ducébat enim illos ad hunc finem digna necéssitas, * Ut quæ déerant tormentis, repléret punítio, & pópulus quidem tuus mirabíliter transíret, illi autem novam mortem invenírent. ℣. Adhuc inter manus habentes luctum, horum quæ accíderant commemoratiónem amittébant, * Ut. *Sap.* 19.

Lectio II.

ET ingressi sunt filii Israel per médium sicci maris: erat enim aqua quasi murus à dextrâ eórum & lævâ. Persequentesque Ægyptii ingressi sunt post eos, & omnis equitátus Pharaónis, currus ejus & équites, per médium maris. Et ait Dóminus ad Móysen: Extende manum tuam

super mare, ut revertantur aquæ ad Ægyptios super currus & équites eórum. Cùmque extendisset Móyses manum contra mare; reversum est primo dilúculo ad priórem locum: fugientibusque Ægyptiis occurrérunt aquæ, & involvit eos Dóminus in médiis flúctibus. Reversæque sunt aquæ, & operuérunt currus & équites cuncti exércitûs Pharaónis, qui sequentes ingressi fuerant mare: nec unus quidem supérfuit ex eis.

℟. Clamórem patrum audisti, Dómine, super Mare rubrum, & mare divisisti ante eos, & transiérunt per médium maris in sicco; * Persecutóres autem eórum projecisti in profundum. ℣. In columnâ nubis ductor eórum fuisti per diem, & in columnâ ignis per noctem. * Persecutóres. *II. Esdr. 9.*

LECTIO III.

Ex Libro tértio sancti Joannis Chrysóstomi Epíscopi de Sacerdótio. *Edit. Bened. n. 5.*

QUi terram íncolunt, in eâque commorantur, ad ea quæ in cœlis sunt dispensanda commissi sunt, potestatemque accepérunt, quam neque Angelis, neque Archángelis dedit Deus. Neque enim illis dictum est: Quæcumque ligavéritis in terrâ, erunt ligáta & in cœlo: & quæcumque solvéritis in terrâ, erunt solúta & in cœlo. Habent quidem ii qui in terrâ ímperant, potestátem ligandi, verùm córpora solùm: hoc autem vínculum ipsam adtingit ánimam, cœlosque transcendit; ac quæcumque infernè sacerdótes fáciunt éadem Deus supernè confirmat; servorumque senténtiam ipse Dóminus ratam facit. Quæ major hâc potestas fúerit? Omne judícium dedit Pater Filio: videóque ipsum omne ipsis tráditum à Filio esse. Ac si enim jam in cœlos transláti essent, atque humánam natúram exsuperassent, à nostris affectibus liberáti, ita in tantum impérium evecti sunt.

℟. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terrâ. * Accípite Spíritum sanctum: quorum remiséritis peccáta, remittuntur eis, & quorum retinuéritis, retenta sunt. ℣. Quem misit Deus, ómnia dedit in manu ejus. * Accípite. ℣. Glória. * Accípite. *Matth. 28. Joan. 20 & 3.*

Ad Benedictus. *Ant.* Sicut fuit Jonas signum Ninivítis; ita erit & Filius hóminis generatióni isti. *Luc. 11.*

COLLECTA. *Sacr. Leon.*

OMnium nostrûm, Dómine, quæsumus, ad te corda converte; † ut ab

rári docet. Deus nec peccáre vult hóminem semel, & tamen líberat à peccáto. Nec útique cùm líberat, peccátum docet; sicut nec qui ab incéndio líberat, incéndium monstrat, nec qui náufragum éripit scópulis, in saxa compellit. Aliud est de perículo liberári, áliud ad perículum cogi. Et fortasse páterer hoc credi, si pœniténtia delíciæ putarentur; cui labor tantus impónitur, cui carnis intéritus imperátur, cui juges lácrymæ, cui gémitus sempiterni. Volet ergo ille sanátus íterum se secári, rursus exúri?

℟. Pósui fáciem meam ad Dóminum Deum meum rogáre, * Et deprecári, † In jejúniis, sacco, & cínere. ℣. Optimum est grátiâ stabílire cor, non escis; * Et deprecári. ℣. Glória. † In jejúniis. *Dan.* 9. *Hebr.* 13.

Ad Benedíctus. *Ant.* Jesus ait: Non est bonum súmere panem filiórum, & míttere cánibus. At illa: Etiam, Dómine, nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensâ dominórum suórum. *Matth.* 15.

COLLECTA. *Sacr. Leon.*

REge, Dómine, quæsumus, tuórum corda fidélium; † & ut bona tua, te largiente, percípiant, * ipsórum primitus bonas esse concéde voluntátes; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Sess. 14. *Can.* 1.

SI quis díxerit, in Cathólicâ Ecclésiâ pœniténtiam non esse verè & próprie sacramentum, pro fidélibus, quóties post baptismum in peccáta labuntur, ipsi Deo reconciliandis à Christo Dómino nostro institútum; anáthema sit.

Ad Magníficat. *Ant.* O múlier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. *Matth.* 15.

COLLECTA. *Sacr. Leon.*

DEus, quem injustítia nostra incessanter offendit: † da nobis rectæ conversatiónis effectum, * per quem consequámur & véniam; Per Dóminum.

FERIA SEXTA.

QUATUOR TEMPORUM.

LECTIO I.

Ex Libro Exodi. *Cap.* 23.

NOn suscípies vocem mendácii: nec junges manum ut pro ímpio dicas falsum testimónium. Non sequéris turbam ad faciendum malum: nec in judício, plurimórum acquiesces senténtiæ, ut à vero dévies. Páuperis quoque non miseréberis in judício. Si occúrreris bovi inimíci tui, aut ásino erran-

ti, reduc ad eum. Si víderis ásinum odientis te jacére sub ónere, non pertransíbis, sed sublevábis cùm eo. Non declinábis in judícium páuperis. Mendácium fúgies. Insontem & justum non occídes, quia aversor ímpium. Nec accípies múnera, quæ étiam excæcant prudentes, & subvertunt verba justórum. Peregríno molestus non eris: scitis enim advenárum ánimas: quia & ipsi peregríni fuistis in terrâ Ægypti. Sex annis seminábis terram tuam, & congregábis fruges ejus. Anno autem séptimo dimittes eam & requiéscere fácies, ut cómedant páuperes pópuli tui: & quidquid réliquum fúerit, edant béstiæ agri; ita fácies in víneâ & in olivéto tuo.

℟. Némini quidquam debeátis nisi ut ínvicem diligátis: qui enim díligit próximum, legem implévit; * Plenitúdo ergo legis est diléctio. ℣. Omnis lex in uno sermóne implétur: Díliges próximum tuum sicut te ipsum; * Plenitúdo. *Rom.* 13. *Galat.* 5.

LECTIO II.

TRibus vícibus per síngulos annos mihi festa celebrábitis. Solemnitátem azymórum custódies. Septem diébus cómedes ázyma, sicut præcépi tibi, témpore mensis novórum, quando egressus es de Ægypto: non apparébis in conspéctu meo vácuus. Et solemnitátem messis primitivórum óperis tui, quæcumque semináveris in agro: solemnitátem quoque in éxitu anni, quando congregáveris omnes fruges tuas de agro. Ter in anno apparébit omne masculínum tuum coram Dómino Deo tuo. Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcédat te, & custódiat in viâ, & introdúcat in locum quem parávi. Observa eum, & audi vocem ejus, nec contemnendum putes; quia non dimittet cùm peccáveris, & est nomen meum in illo. Quòd si audíeris vocem ejus, & féceris ómnia quæ loquor, inimícus ero inimícis tuis, & afflígam affligentes te. Præcedetque te Angelus meus, & introdúcet te ad Amorrhæum, & Hethæum, & Pherezæum, Chananæumque, & Hevæum, & Jebusæum quos ego cónteram.

℟. Dóminus Deus ipse est Deus fortis & fidélis, custódiens pactum & misericórdiam diligéntibus se, * Et his qui custódiunt præcepta ejus. ℣. Diligéntibus Deum ómnia cooperantur in bonum, * Et his. *Deut.* 7. *Rom.* 8.

LECTIO III.

Ex Sermóne centésimo sexagésimo primo sancti Augustíni Epíscopi de verbis Apóstoli. *Edit. Bened. Cap.* 7. *n.* 8.

CUm dicis mihi : Gehennam tímeo, ardére tímeo, in æternum puníri tímeo : quid dictúrus sum ? Malè times ? vanè times ? Non áudeo, quandóquidem ipse Dóminus, abláto timóre, subjécit timórem ; & ait, ubi dixit : Nolíte timére eos qui corpus occídunt, & póstea non habent quid fáciant : sed eum timéte, qui habet potestátem & corpus & ánimam occídere in gehennam ignis : ita dico vobis, hunc timéte. Planè time, nihil méliùs times ; nihil est quod magìs timére débeas. Sed intérrogo te, si non te vidéret Deus quando facis, nec quisquam te convínceret in judício illíus, fáceres ? Si fáceres, ergo pœnam times, caritátem nondum habes : servíliter times ; formído est mali, nondum diléctio boni. Sed time tamen, ut ista formído custódiat te, ut perdúcat ad dilectiónem. Timor enim iste, quo gehennam times, & ideò mala non facis, cóntinet te ; & sic volentem peccáre ánimum interiórem non sinit. Est enim quidam custos timor, quasi pædagógus legis ; littera est minans, nondum grátia ádjuvans. Custódiat tamen te timor iste, dum non facis timendo, & véniet cáritas, intrat in cor tuum, & quantùm illa intrat, tantùm timor exit. Timor enim id agébat, ne fáceres ; cáritas id agit, ut nolis fácere, etiamsi impúnè possis admíttere.

℟. Ostendam vobis quē timeátis : * Timéte eum qui habet potestátem míttere in gehennam. † Ita dico vobis, hunc timéte. ℣. Ne terreámini ab his qui occídunt corpus, & post hæc non habent ámpliùs quid fáciant : * Timéte. ℣. Glória. † Ita. *Luc.* 12.

Ad Benedictus. Ant. Qui me sanum fecit, ille mihi dixit : Tolle grabátum tuum, & ámbula. *Joan.* 5.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

OMnípotens sempiterne Deus, qui timóre sentíris, dilectióne cóleris, confessióne placáris ; † misericórdiam tuam effunde supplícibus ; * ut qui de meritórum qualitáte diffídimus, non judíciū tuum, sed indulgéntiam sentiámus ; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 14. *Cap.* 1.

DOminus sacraméntum pœniténtiæ tunc præcipuè instítuit, cùm mór-

tuis excitátus, inſufflá-vit in diſcípulos ſuos, di-cens: Accípite Spíritum ſanctum: quorum remi-ſéritis peccáta, remittuntur eis, & quorum retinuéri-tis, retenta ſunt. Quo tam inſigni facto, & verbis tam perſpícuis, poteſtátem re-mittendi & retinendi pec-cáta, ad reconciliandos fi-déles poſt baptiſmum la-pſos, Apóſtolis, & eó-rum legitimis ſuccesſóri-bus, fuiſſe communicátam, univerſórum Patrum con-ſenſus ſemper intellexit.

Ad Magníficat. *Ant.* Ecce ſanus factus es; jam noli peccáre, ne detérius tibi áliquid contingat. *Joan.* 5.

Collecta. *Sacr. Leon.*

PArce Dómine, parce peccántibus; † & ut ad propitiatiónem tuam posſímus accédere, * ſpí-ritum nobis tríbue corri-gendi; Per Dóminum.

SABBATO.

Quatuor Temporum.

Lectio I.

Ex Libro Exodi. *Cap.* 32.

LOcútus eſt autem Dó-minus ad Móyſen, di-cens: Vade, deſcende: pec-cávit pópulus tuus, quem eduxiſti de terrâ Ægypti. Recesſérunt citò de viâ, quam oſtendiſti eis: fece-runtque ſibi vítulum con-flátilem, & adoravérunt, atque immolantes ei hó-ſtias, dixérunt: Iſti ſunt dii tui, Iſraël, qui te edu-xérunt de terrâ Ægypti. Rurſumque ait Dóminus ad Móyſen: Cerno quòd pópulus iſte duræ cervícis ſit: dimitte me, ut iraſ-cátur furor meus contra eos, & déleam eos, faciam-que te in gentem magnam. Móyſes autem orábat Dó-minum Deum ſuum, di-cens: Cur, Dómine, iráſ-citur furor tuus contra pó-pulum tuum, quem edu-xiſti de terrâ Ægypti, in fortitúdine magnâ, & in manu robuſtâ? Ne quæſo dicant Ægyptii: Cállidè eduxit eos, ut interficeret in móntibus, & deléret è terrâ: quieſcat ira tua, & eſto placábilis ſuper nequí-tiâ pópuli tui.

℟. Averſi ſunt córdibus ſuis in Ægyptum, & vítu-lum fecérunt, * Et obtu-lérunt hóſtiam ſimulácro, & lætabantur in opéribus mánuum ſuárum. ℣. Mu-tavérunt glóriam ſuam, in ſimilitúdinem vítuli co-medentis fœnum: oblíti ſunt Deum qui ſalvávit eos; * Et obtulérunt. *Act.* 7. *Pſalm.* 105.

Lectio II.

ET reverſus eſt Moy-ſes de monte, portans duas tábulas teſtimónii in

manu suâ, scriptas ex utrâque parte, & factas ópere Dei: scriptúra quoque Dei erat sculpta in tábulis. Cùmque appropinquasset ad castra, vidit vítulum & choros: iratusque valde, projécit de manu tábulas, & confrégit eas ad radícem montis. Arripiensque vítulum quem fécerant, combussit, & contrívit usque ad púlverem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Israel. Reversusque ad Dóminum, ait: Obsecro, peccávit pópulus iste peccátum máximum, feceruntque sibi deos áureos: aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti. Cui respondit Dóminus: Qui peccáverit mihi, delébo eum de libro meo: tu autem vade, & duc pópulum istum quò locútus sum tibi: Angelus meus præcédet te. Ego autem in die ultiónis visitábo & hoc peccátum eórum.

℟. Consummábo super domum Israel testamentum novum: dando leges meas in mentem eórum, * Et in corde eórum superscríbam eas, non atramento, sed spíritu Dei vivi. ℣. Dabo legem meam non in tábulis lapídeis, sed in tábulis cordis carnálibus. * Et in. *Hebr.* 8. *II. Cor.* 3.

LECTIO III.

Ex Sermóne vigésimo quinto sancti Augustíni Epíscopi in Psalmum centésimum décimum octávum. *Edit. Bened. n.* 7.

HUnc timórem, quo pœna metúitur, consummáta cáritas foràs mittit, quæ non timóre pœnæ, sed delectatióne justítiæ líberos reddit. Timor namque iste, quo non amátur justítia, sed timétur pœna, servílis est, quia carnális est; & ídeò non crucifigit carnem. Vivit enim peccandi volúntas, quæ tunc appáret in ópere, quando sperátur impúnitas. Cùm verò pœna créditur secutúra, latenter vivit: vivit tamen. Mallet enim licére, & dolet non licére quod lex vetat: quia non spirituáliter delectátur ejus bono, sed carnáliter malum métuit quod minátur. Timóre autem casto ipsa, quæ hunc timórem foràs mittit, peccáre timet cáritas, etiamsi sequátur impúnitas: quia nec impunitátem júdicat secutúram, quando amóre justítiæ peccátum ipsum députat pœnam. Tali timóre carnes crucifigúntur; quóniam carnáles delectatiónes, quæ legis lítterâ vetantur pótiùs quàm vitantur, spirituálium bonórum delectatióne vincun-

tur, & eâdem usque ad perfectiónem crescente victóriâ perimuntur. Confíge ergo clavis, inquit, à timóre tuo carnes meas; à judíciis enim tuis tímui. Hoc est, da mihi castum timórem, ad quem petendum me tamquàm pædagógus timor legis ille perduxit, quo timóre à judíciis tuis tímui.

℟. Timor non est in caritáte, quóniam timor pœnam habet; * Qui autem timet, non est perfectus in caritáte. ℣. Perfecta cáritas foràs mittit timórem. * Qui. ℣. Glória. * Qui. *I. Joan.* 4.

Ad Benedictus. *Ant.* Si vos manséritis in sermóne meo, verè discípuli mei éritis: & véritas liberábit vos. *Joan.* 8.

COLLECTA. *Sacr. Leon.*

VOx clamantis Ecclésiæ ad aures, Dómine, quæsumus, tuæ pietátis ascendat: † ut perceptâ véniâ peccatórum, * te fiat operante devóta, te protegente secúra; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 14. *Can.* 3.

SI quis dixerit verba illa Dómini Salvatóris: Accípite Spíritum sanctum; quorum remiséritis peccáta, remittuntur eis, & quorum retinuéritis, retenta sunt, non esse intelligenda de potestáte remittendi & retinendi peccáta in sacraménto pœniténtiæ, sicut Ecclésia cathólica ab inítio semper intellexit; detórserit autem contrà institutiónem hujus sacramenti, ad authoritátem prædicandi Evangélium; anáthema sit.

AD VESPERAS.

Antiphonæ ut in Psalterio.

LECTIO. *Isai.* 1.

QUærite judícium, subveníte oppresso, judicáte pupillo: defendite víduam. Et veníte, & argúite me, dicit Dóminus: † Si fúerint peccáta vestra ut cóccinum, quasi nix dealbabuntur; * si fúerint rubra quasi vermículus, velut lana alba erunt.

℟. *br.* Ego dixi: Dómine,* Miserére mei. ℟. Ego. ℣. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. * Miserére. ℣. Glória. ℟. Ego. *Ps.* 40.

Hymnus. Audi, benigne Cónditor, *ut suprà in Feriis Quadragesimæ, pag.* 155.

℣. Tempus beneplácití Deus: ℟. In multitúdine misericórdiæ tuæ exaudi me. *Ps.* 68.

Ad Magníficat. *Ant.* Cùm sanctificasset Móyses Aaron & filios ejus, præcépit eis dicens: De óstio tabernáculi non exí-

bitis ſeptem diébus, die ac nocte obſervantes cuſtódias Dómini. *Levit.* 8.

Collecta infrà ad Laudes, pag. 196.

DOMINICA II. QUADRAGESIMÆ.

AD OFFICIUM NOCT.

Ant. In Pſ. Veníte, *ut in Pſalterio.*

Hymnus, ſuprà in Feriis Quadrageſ. pag. 153.

Antiphonæ, & ℣. *I. & II. Nocturni, ut in Pſalterio.*

IN I. NOCTURNO.

LECTIO I.

Incipit Liber Levítici.

Cap. 1.

VOcávit autem Móyſen, & locútus eſt ei Dóminus de tabernáculo teſtimónii, dicens: Lóquere fíliis Iſrael, & dices ad eos: Homo qui obtúlerit ex vobis hóſtiam Dómino de pecóribus, id eſt, de bobus & óvibus ófferens víctimas, ſi holocauſtum fúerit ejus oblátio, ac de armento; máſculum immaculátum ófferet ad óſtium tabernáculi teſtimónii, ad placandum ſibi Dóminum: ponetque manum ſuper caput hóſtiæ, & acceptábilis erit, atque in expiatiónem ejus profíciens. Immolabitque vítulum coram Dómino, & ófferent fílii Aaron ſacerdótes ſánguinem ejus, fundentes per altáris circúitum quod eſt ante óſtium tabernáculi.

℟. Nec quiſquam ſumit ſibi honórem, ſed qui vocátur à Deo tamquàm Aaron. * Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificávit ut Póntifex fieret, appellátus à Deo Póntifex juxta órdinem Melchíſedech. ℣. Ipſum elégit Dóminus ab omni vivente, offerre ſacrifícium Deo. * Sic. *Hebr.* 5. *Eccli.* 45.

LECTIO II. *Cap.* 8.

COngregátâ omni turbâ ante fores tabernáculi, ait Móyſes: Iſte eſt ſermo, quem juſſit Dóminus fieri. Statimque óbtulit Aaron & fílios ejus. Cùmque laviſſet eos, veſtívit pontíficem ſubúculâ líneâ, accingens eum bálteo, & índuens eum túnicâ hyacínthinâ, & déſuper humerále impóſuit, quod adſtringens cíngulo aptávit Rationáli, in quo erat DOCTRINA & VERITAS. Cídari quoque texit caput, & ſuper eam, contra frontem, póſuit láminam áuream conſecrátam in ſanctificatióne, ſicut præcéperat ei Dóminus. Tulit & unctiónis óleum, quo linívit tabernáculum cum omni ſu-

pelléctili suâ. Cùmque sanctíficans aspersísset altáre septem vícibus, unxit illud, & ómnia vasa ejus, labrumque cum basi suâ sanctificávit óleo. Quod fundens super caput Aaron, unxit eum, & consecrávit: filios quoque ejus oblátos vestívit túnicis líneis, & cinxit bálteis, imposuitque mitras, ut jússerat Dóminus.

℟. Factum est Aaron in testamentum ætemum & sémini ejus sicut dies cœli, * Fungi sacerdótio, & habére laudem, & glorificáre pópulum suum in nómine ejus. ℣. Melióris testamenti sponsor factus est Jesus, * Fungi. *Eccli.* 45. *Hebr.* 7.

LECTIO III. *Cap.* 10.

ARreptísque Nadab & Abiu filii Aaron thuríbulis, posuérunt ignem & incensum désuper, offerentes coram Dómino ignem aliénum: quod eis præceptum non erat. Egressúsque ignis à Dómino devorávit eos, & mórtui sunt coram Dómino. Dixitque Móyses ad Aaron: Hoc est quod locútus est Dóminus: Sanctificábor in iis qui appropinquant mihi, & in conspectu omnis pópuli glorificábor. Quod áudiens tácuit Aaron. Vocátis autem Móyses Misaéle & Elísaphan filiis Oziel pátrui Aaron, ait ad eos: Ite, & tóllite fratres vestros de conspectu Sanctuárii, & asportáte extra castra. Conféstimque pergentes, tulérunt eos sicut jacébant, vestítos líneis túnicis, & ejecérunt foràs, ut sibi fúerat imperátum.

℟. Irritam quis fáciens legem Móysi, sine ullâ miseratióne móritur: * Quantò magìs putátis deterióra meréri supplícia qui spirítui grátiæ contumeliam fécerit? ℣. Mórtui sunt Nadab & Abiu, cùm offerrent ignem aliénum in conspectu Dómini. * Quantò. *Hebr.* 10. *Num.* 3.

LECTIO IV. *Cap.* 16.

LOcutúsque est Dóminus ad Móysen post mortem duórum filiórum Aaron, quando offerentes ignem aliénum interfecti sunt: & præcépit ei, dicens: Lóquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni témpore ingrediátur Sanctuárium, quod est intra velum coram Propitiatório quo tégitur arca, ut non moriátur (quia in nube apparébo super oráculum) nisi hæc ante fécerit: Vítulum pro peccáto ófferet, & aríetem in holocaustum. Suscipietque ab universâ multitúdine filiórum Israel duos hircos pro peccáto, & unum aríetem

in holocaustum. Cùmque obtúlerit vítulum, & oráverit pro se & pro domo suâ, duos hircos stare fáciet coram Dómino in óstio tabernáculi testimónii: mittensque super utrumque sortem, unam Dómino, & álteram capro emissário; cujus exíerit sors Dómino, ófferet illum pro peccáto: cujus autem in caprum emissárium, státuet eum vivum coram Dómino, ut fundat preces super eo, & emittat eum in solitúdinem. His ritè celebrátis, ófferet vítulum, & rogans pro se & pro domo suâ, immolábit eum. Tollet quoque de sánguine vítuli, & aspérget dígito sépties contra propitiatórium ad oriéntem. Cùmque mactáverit hircum pro peccáto pópuli, ínferet sánguinem ejus intra velum, sicut præcéptum est de sánguine vítuli, ut aspergat è regióne oráculi, & éxpiet Sanctuárium ab immundítiis filiórum Israel, & à prævaricatiónibus eórum, cunctísque peccátis. Juxta hunc ritum fáciet tabernáculo testimónii, quod fixum est inter eos in médio sórdium habitatiónis eórum.

℞. Umbram habens Lex, non ipsam imáginem rerum, eísdem ipsis hóstiis, quas ófferunt indesinenter nunquam potest accedentes perfectos fácere; * Christus autem unâ oblatióne, consummávit in sempitérnum sanctificátos. ℣. Juxta legem múnera & hóstiæ offeruntur, quæ non possunt juxta consciéntiam perféctum fácere serviéntem. * Christus. ℣. Glória. * Christus. *Hebr.* 10 & 9.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO V.

Ex Epístolâ sancti Augustíni Epíscopi ad Anastásium. *Epist.* 145. *Edit. Bened. n.* 3.

Lex docendo & jubendo quod sine grátiâ impléri non potest, hómini demonstrat suam infirmitátem ut quærat demonstráta infirmitas Salvatórem, à quo sanáta volúntas possit, quod infirma non posset. Lex ígitur addúcit ad fidem; fides ímpetrat Spíritum largiórem, diffúndit Spíritus caritátem, implet cáritas legem. Ideò lex pædagógus vocátur, sub cujus minacíssimâ servitúte qui invocáverit nomen Dómini, salvus erit.

℞. Lex pædagógus noster fuit in Christo, ut ex fide justificémur. * At ubi venit fides, jam non sumus sub pædagógo. ℣. Priúsquam veníret fides, sub lege custodiebámur conclúsi in eam fidem quæ revelanda erat: * At ubi. *Galat.* 3.

LECTIO VI.

ITa bona est lex illi, qui eâ legítimè útitur: útitur autem legítimè, qui intélligens quare sit data, per ejus comminatiónem cónfugit ad grátiam liberantem. Huic grátiæ, quâ justificátur ímpius, quisquis ingrátus, velut ad legem implendam de suis víribus fidit, ignórans Dei justítiam, & suam volens constítuere, justítiæ Dei non est súbditus: ac per hoc fit ei lex non absolutiónis adjutórium, sed vínculum críminis. Non quia lex malum est, sed quia peccátum, sicut scriptum est, per bonum tálibus operátur mortem. Per mandátum enim gráviùs delinquit, qui per mandátum scit quàm malum sit, quod admittit.

℟. Ignorantes justítiam Dei, & suam quærentes statúere, justítiæ Dei non sunt subjecti. * Finis enim legis, Christus, ad justítiam omni credenti. ℣. Non justificátur homo ex opéribus legis, nisi per fidem Jesu Christi: * Finis. *Rom.* 10. *Galat.* 2.

LECTIO VII. *n.* 4.

INániter autem putat victórem se esse peccáti, qui pœnæ timóre non peccat, quia etsi non implétur foris negótium malæ cupiditátis, ipsa tamen mala cupíditas intus est hostis. Et quis coram Deo innocens invenítur, qui vult fieri quod vetátur, si súbtrahas quod timétur? Ac per hoc in ipsâ voluntáte reus est, qui vult fácere quod non licet fieri, sed ídeò non facit quia impúnè non potest fieri. Nam quantùm in ipso est, mallet non esse justítiam peccáta prohibentem atque punientem. Et útique si mallet non esse justítiam, quis dubitáverit quòd eam, si posset, auferret? Ac per hoc quómodo justus est, justítiæ talis inimícus, ut eam si potestas detur præcipientem áuferat, ne comminantem vel judicantem ferat?

℟. Nunc solúti sumus à lege mortis in quâ detinebámur, * Ita ut serviámus in novitáte spíritûs, & non in vetustáte lítteræ. ℣. Non dedit nobis Deus spíritum timóris, sed virtútis, & dilectiónis, & sobrietátis, * Ita ut. *Rom.* 7. *II. Tim.* 1.

LECTIO VIII. *n.* 4 & 5.

INimícus ergo justítiæ est, qui pœnæ timóre non peccat: amícus autem erit, si ejus amóre non peccet; tunc enim verè timébit peccáre. Nam qui gehennas métuit, non peccáre métuit, sed ardére. Ille autem peccáre métuit, qui pec-

cátum ipsum sicut gehennas odit. Ipse est timor Dómini castus, pérmanens in séculum séculi. Nam ille timor pœnæ, tormentum habet, & non est in caritáte, cumque perfecta cáritas foràs mittit. Tantùm quisque peccátum odit, quantùm justítiam díligit, quod non póterit lege terrente per litteram, sed spíritu sanante per grátiam.

℟. Timor non est in caritáte: quóniam timor pœnam habet. * Qui autem timet, non est perfectus in caritáte. ℣. Perfecta cáritas foràs mittit timórem. * Qui. ℣. Glória. * Qui. *I. Joan.* 4.

IN III. NOCTURNO.

Cantica, Ant. & ℣. ut in Dominicâ I. Quadragesimæ, pag. 170.

Lectio IX.

Ex Epístolâ secundâ beáti Petri Apóstoli. *Cap.* 1.

NOn doctas fábulas secúti, notam fécimus vobis Dómini nostri Jesu Christi virtútem & præséntiam: sed speculatóres facti illíus magnitúdinis. Accípiens enim à Deo Patre honórem, & glóriam, voce delapsâ ad eum hujuscémodi à magníficâ glóriâ: Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi complácui, ipsum audíte. Et hanc vocem nos audívimus de cœlo allátam, cùm essémus cum ipso in monte sancto.

℟. Fériam vobiscum pactum sempiternum, misericórdias David fidéles. * Ecce testem pópulis dedi eum, ducem ac præceptórem géntibus. ℣. Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui, ipsum audíte: * Ecce. *Isai.* 55. *Matth.* 17.

Lectio X.

ET habémus firmiórem prophéticum sermónem: cui benefácitis adtendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginóso loco, donec dies elucescat, & lúcifer oriátur in córdibus vestris: hoc primùm intelligentes, quòd omnis prophetía Scriptúræ própriâ interpretatióne non fit. Non enim voluntáte humánâ alláta est aliquando prophetía: sed Spíritu sancto inspiráti, locúti sunt sancti Dei hómines.

℟. Verbum Dómini manet in æternum: * Hoc est autem verbum quod evangelizátum est in vos. ℣. Hic liber mandatórum Dei, & lex quæ est in æternum: omnes qui tenent eam, pervénient ad vitam: * Hoc est. *I. Petr.* 1. *Baruch.* 4.

Lectio XI. *Cap.* 2.

FUérunt verò & pseudoprophétæ in pópulo, sicut & in vobis erunt ma-

gistri mendáces, qui introdúcent sectas perditiónis, & eum, qui emit eos, Dóminum negant, superducentes sibi célerem perditiónem. Et multi sequentur eórum luxúrias, per quos via veritátis blasphemábitur: & in avarítiâ fictis verbis de vobis negotiabuntur: quibus judícium jam olim non cessat: & perdítio eórum non dormitat.

℟. Non est in ore eórum véritas: cor eórum, vanum est: sepulcrum patens est guttur eórum, linguis suis dolósè agébant. * Júdica illos, Deus: décidant à cogitatiónibus suis. ℣. Ejúsmodi pseudoapóstoli sunt operárii súbdoli, transfigurantes se in apóstolos Christi. * Júdica. *Ps.* 5. *II. Cor.* 11.

LECTIO XII.

SI enim Deus ángelis peccántibus non pepercit, sed rudéntibus inferni detractos in tártarum trádidit cruciandos, in judícium reservári. Et origináli mundo non pepercit, sed octávum Noë justítiæ præcónem custodívit, dilúvium mundo impiórum indúcens. Et civitátes Sodomórum & Gomorrhæórum in cínerem rédigens, eversióne damnávit: exemplum eórum, qui ímpiè actúri sunt, ponens: & justum Lot oppressum à nefandórum injúriâ ac luxuriósâ conversatióne eripuit: adspectu enim, & audítu justus erat: hábitans apud eos, qui de die in diem ánimam justam iníquis opéribus cruciábant. Novit Dóminus pios de tentatióne erípere: iníquos verò in diem judícii reserváre cruciandos.

℟. Quis permansit in mandátis Dómini, & derelictus est? aut quis invocávit eum, & despexit illum? * Quóniam pius & miséricors est Deus. ℣. Patienter agit Dóminus propter vos, nolens áliquos períre, sed omnes ad pœniténtiam réverti; * Quóniam. ℣. Glória. * Quóniam. *Eccli.* 2. *II. Petr.* 3.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 17.

ASsúmit Jesus Petrum, & Jacóbum, & Joannem fratrem ejus, & ducit illos in montem excelsum seorsum: & transfigurátus est ante eos. Et resplénduit fácies ejus sicut sol: vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuérunt illis Móyses & Elías cum eo loquentes. Respondens autem Petrus, dixit ad Jesum: Dómine, bonum est nos hìc esse: si vis, faciámus hìc tria ta-

bernácula, tibi unum, Móysi unum, & Elíæ unum. Adhuc eo loquente, ecce nubes lúcida obumbrávit eos. Et ecce vox de nube, dicens: Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui; ipsum audíte. Et audientes discípuli cecidérunt in fáciem suam, & timuérunt valdè. Et accessit Jesus, & tétigit eos; dixitque eis: Súrgite, & nolíte timére. Levantes autem óculos suos, néminem vidérunt, nisi solum Jesum. Et descendéntibus illis de monte, præcépit eis Jesus, dicens: Némini dixéritis visiónem, donec Fílius hóminis à mórtuis resurgat.

AD LAUDES.

Antiphona ut in Psalterio.

LECTIO. *Apoc.* 2.

HAbeo adversùm te quòd caritátem tuam primam reliquisti. Memor esto ítaque unde excíderis; & age pœniténtiam, & prima ópera fac.

Resp. breve, & Hymnus, ut suprà in Feriis Quadragesimæ, pag. 154.

℣. Illúminet Dóminus vultum suum super nos,
℟. Et misereátur nostrî. *Ps.* 66.

Ad Benedictus. *Ant.* Assúmit Jesus Petrum, & Jacóbum, & Joannem fratrem ejus, & ducit illos in montem excelsum seorsum: & transfigurátus est ante eos. *Matth.* 17.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

DEus, qui cónspicis omni nos virtúte destítui, intériùs exteriùsque custódi; † ut ab ómnibus adversitátibus muniámur in córpore, * & à pravis cogitatiónibus mundémur in mente; Per Dóminum.

AD HORAS, *Antiphona ut in Psalterio.*

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Concílio Coloniensi. *An.* 1536. *Part.* 7. *Cap.* 30.

IN Sacraménto pœniténtiæ explicando, ac rectè ministrando, maturitáte multâ ac diligéntiâ opus est. Véteres orthodoxi pœniténtiæ partes tres nobis tradidérunt; contritiónem, confessiónem, ac satisfactiónem, seu fructum pœniténtiâ dignum.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Rom.* 6.

EXistimáte vos mórtuos quidem esse peccáto, viventes autem Deo, in Christo Jesu Dómino nostro. † Non ergo regnet peccátum in vestro mortáli córpore, ut obediátis concupiscéntiis ejus; sed neque exhibeátis membra vestra arma iniquitátis peccáto: * Sed exhibéte vos Deo tamquàm ex mórtuis

viventes, & membra veſtra arma juſtitiæ Deo.

℣. Proba me, Dómine, & tenta me; ℟. Ure renes meos & cor meum. *Pſ.* 25.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Rom.* 12.

OBſecro vos, fratres, per miſericórdiã Dei, ut exhibeátis córpora veſtra hóſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationábile obſéquium veſtrum. † Et nolíte confor-mári huic século, ſed reformámini in novitáte ſenſûs veſtri: * ut probétis quæ ſit voluntas Dei bona, & benéplacens, & perfecta.

℣. Sacrificium Deo ſpíritus contribulátus: ℟. Cor contrítum & humiliátum, Deus, non deſpícies. *Pſ.* 50.

AD NONAM.

LECTIO. *Epheſ.* 4.

IN Chriſto edocti eſtis, ſicut eſt véritas in Jeſu, † depónere vos ſecundùm príſtinam converſatiónem, véterem hóminem, qui corrúmpitur ſecundùm deſidéria erróris. * Renovámini autem ſpíritu mentis veſtræ, & indúite novum hóminem, qui ſecundùm Deum creátus eſt in juſtítiâ, & ſanctitáte veritátis.

℣. Cor mundum crea in me, Deus; ℟. Et ſpíritum rectum ínnova in viſcéribus meis. *Pſ.* 50.

AD VESPERAS.

ANTIPHONÆ.

I. APparuérunt Móyſes, & Elías cum Jeſu loquentes. Reſpondens autem Petrus, dixit ad Jeſum: Dómine, bonum eſt nos hìc eſſe. *Matth.* 17.

II. Adhuc Petro loquente, ecce nubes lúcida obumbrávit eos. *Matth.* 17.

III. Ecce vox de nube, dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complácui; ipſum audíte. *Matth.* 17.

IV. Audientes diſcípuli cecidérunt in fáciem ſuam, & timuérunt valde; & acceſſit Jeſus, & tétigit eos, dixitque eis: Súrgite, & nolíte timére. *Matth.* 17.

LECTIO. *Hebr.* 12.

OMnis diſciplína in præſenti quidem vidétur non eſſe gáudii, ſed mœróris; † póſtea autem fructum pacatíſſimum exercitátis per eam reddet juſtítiæ. * Propter quod, remiſſas manus, & ſolúta génua erígite, & greſſus rectos fácite pédibus veſtris.

℟. *br. & Hymnus, ut ſuprà in Feriis Quadrageſimæ, pag.* 155.

℣. Adoráte Dóminum in monte ſancto ejus, ℟. Quóniã ſanctus Dóminus Deus noſter. *Pſ.* 98.

Ad Magníficat. *Ant.* Deſcendéntibus diſcípulis de monte, præcépit eis Je-

ſus, dicens: Némini dixéritis viſiónem, donec Filius hóminis à mórtuis reſurgat. *Matth.* 17.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

Ex Libro Levítici. *Cap.* 19.

CUm meſsúeris ſégetes terræ tuæ, non tondébis uſque ad ſolum ſuperficiem terræ: nec remanentes ſpicas cólliges. Neque in víneâ tuâ racémos & grana decidéntia congregábis, ſed paupéribus & peregrínis carpenda dimittes. Ego Dóminus Deus veſter. Non faciétis furtum. Non mentiémini, nec decípiet unuſquiſque próximum ſuum. Non perjurábis in nómine meo, nec póllues nomen Dei tui. Ego Dóminus. Non fácies calúmniam próximo tuo, nec vi ópprimes eum. Non morábitur opus mercenárii tui apud te uſque mane. Non maledíces ſurdo, nec coram cæco pones offendículum: ſed timébis Dóminum Deum tuum, quia ego ſum Dóminus. Non fácies quod iníquum eſt, nec injuſtè judicábis. Non consíderes persónam páuperis, nec honóres vultum poténtis. Juſtè júdica próximo tuo. Non eris criminátor, nec ſuſurro in pópulo. Non ſtabis contra sánguinem próximi tui. Ego Dóminus. Non óderis fratrem tuum in corde tuo, ſed públicè árgue eum, ne hábeas ſuper illo peccátum. Non quæras ultiónem, nec memor eris injúriæ cívium tuórum. Díliges amícum tuum ſicut teipſum. Ego Dóminus.

℟. Némini quidquam debeátis, niſi ut ínvicem diligátis: qui enim díligit próximum, legem implévit. * Plenitúdo ergo legis eſt diléctio. ℣. Omnis lex in uno ſermóne implétur: Díliges próximum tuum ſicut teipſum: * Plenitúdo. *Rom.* 13. *Galat.* 5.

LECTIO II. *Cap.* 26.

CUſtodíte ſábbata mea, & pavéte ad Sanctuárium meum. Ego Dóminus. Si in præceptis meis ambulavéritis, & mandáta mea cuſtodiéritis, & fecéritis ea, dabo vobis plúvias tempóribus ſuis, & terra gignet germen ſuum, & pomis árbores replebuntur. Dabo pacem in fínibus veſtris: dormiétis, & non erit qui extérreat. Auferam malas béſtias: & gládius non transíbit términos veſtros. Perſequémini inimícos veſtros, & córruent coram vobis. Ponam tabernáculum meum in médio veſtrî, & non abjíciet vos ánima mea. Ambulábo inter vos, & ero Deus veſter, voſque éritis pópulus meus.

Quòd si non audiéritis me, nec fecéritis ómnia mandáta mea; ego quoque hæc fáciam vobis: Visitábo vos velóciter in egestáte, & ardóre, qui conficiat óculos vestros, & consúmat ánimas vestras. Frustrà serétis sementem, quæ ab hóstibus devorábitur. Ponam fáciem meam contra vos, & corruétis coram hóstibus vestris, & subjiciémini his qui odérunt vos; fugiétis, némine persequente. Períbitis inter gentes, & hostílis vos terra consúmet. Quòd si & de iis áliqui remánserint, tabescent in iniquitátibus suis, in terrâ inimicórum suórum, & propter peccáta patrum suórum & sua affligentur: donec confiteantur iniquitátes suas, & majórum suórum, quibus prævaricáti sunt in me, & ambulavérunt ex adverso mihi. Et recordábor fœderis mei, quod pépigi cum Jacob, Isaac, & Abraham.

℟. Non audiérunt mandáta tua, & cervícem suam induravérunt, nec audiérunt: * In misericórdiis autem tuis plúrimis non fecisti eos in consumptiónem. ℣. Pópulo huic factum est cor incrédulum & exásperans, recessérunt & abiérunt; * In misericórdiis. *II. Esdr. 9. Jerem. 5.*

LECTIO III.

Ex Homíliâ quartâ sancti Joannis Chrysóstomi Episcopi in Epistolam secundam ad Corínthios. *Edit. Bened. n. 6.*

Cum peccáveris, ingemisce, non quòd pœnas datúrus sis, nihil enim hoc est; sed quòd Dóminum tuum offénderis, tam te amantem, tam dénique salúti tuæ appensum, ut Filium quoque suum tuâ causâ tradíderit. Ingemisce ídeò, neque unquam id fácere intermitte. Etenim hoc demum est conféssio. Non nunc lætum, cras autem mœstum ac rursum lætum te præbe; verùm perpétuo in luctu ac tuî contritióne mane. Beáti enim, inquit, qui lugent, hoc est, qui assíduè hoc fáciunt. Hoc semper fácias, tibíque adtendas, ac pectus tuum cónteras, non secùs ac si quis amisso fílio únicè caro, in luctu versétur. Scíndite enim, inquit, corda vestra, & non vestimenta vestra.

℟. Convertímini ad me in toto corde vestro, in jejúnio, & in fletu, & in planctu. Et * Scíndite corda vestra, & non vestimenta vestra. ℣. Homo videt ea quæ parent, Dóminus autem intuétur cor. * Scíndite. ℣. Glória. * Scíndite. *Joel. 2. I. Reg. 16.*

Ad Benedíctus. *Ant.* Si non credidéritis quia ego sum, moriémini in peccáto vestro. *Joan.* 8.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, † ut família tua, quæ se, affligendo carnem, ab alimentis ábstinet, * sectando justítiam, à culpâ jejúnet; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 14. *Cap.* 3.

SUnt quasi matéria sacramenti pœniténtiæ, ipsíus pœnitentis actus, nempe contrítio, conféssio & satisfáctio: qui quátenus in pœnitente ad integritátem sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatórum remissiónem ex Dei institutióne requiruntur, hâc ratióne partes pœniténtiæ dicuntur.

Ad Magníficat. *Ant.* Qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum: quia ego, quæ plácita sunt ei, fácio semper. *Joan.* 8.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

ADesto supplicatiónibus nostris, omnípotens Deus: † & quibus fidúciam sperandæ pietátis indulges, * consuétæ misericórdiæ tríbue benignus effectum; Per Dóminum.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

Incipit Liber Números.
Cap. 1.

LOcutusque est Dóminus ad Móysen in deserto Sínai in tabernáculo fœderis, primâ die mensis secundi, anno áltero egressiónis eórum ex Ægypto, dicens: Tóllite summam universæ congregatiónis filiórum Israel per cognatiónes & domos suas, & nómina singulórum, quidquid sexûs est masculíni à vigésimo anno & suprà, ómnium virórum fórtium ex Israel. Tribum Levi noli numeráre, neque pones summam eórum cum fíliis Israel: sed constítue eos super tabernáculum testimónii, & cuncta vasa ejus, & quidquid ad cæremónias pértinet. Ipsi portábunt tabernáculum & ómnia utensília ejus: & erunt in ministério, ac per gyrum tabernáculi metabuntur.

℟. Notum fáciet Dóminus qui ad se pertíneant, & sanctos applicábit sibi: * Et quos elégerit appropinquábunt ei. ℣. Nec quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur à Deo. * Et quos. *Num.* 16. *Hebr.* 5.

LECTIO II. *Cap.* 3.

LOcutusque est Dóminus ad Móysen dicens: Ego tuli Levítas à fíliis

Israel pro omni primogénito, qui áperit vulvam in filiis Israel, eruntque Levítæ mei. Meum est enim omne primogénitum: ex quo percussi primogénitos in terrâ Ægypti: sanctificávi mihi quidquid primum náscitur in Israel ab hómine usque ad pecus, mei sunt: Ego Dóminus. Locutúsque est Dóminus ad Móysen, in deserto Sinai, dicens: Número filios Levi per domos patrum suórum & famílias, omnem másculum ab uno mense & suprà. Numerávit Móyses, ut præcéperat Dóminus.

℟. Nolíte contamináre ánimas vestras: * Sancti estóte, quia ego sanctus sum. ℣. Pollútum nolíte tángere. Mundámini, qui fertis vasa Dómini. * Sancti. *Levit.* 11. *Isai.* 52.

LECTIO III.

Ex Tractátu quinto sancti Augustíni Epíscopi in Epístolam Joannis. *Edit. Bened. n.* 7.

Diléctio sola discernit inter filios Dei & filios diáboli. Signent se omnes signo crucis Christi; respóndeant omnes, Amen; cantent omnes, Allelúia; baptizentur omnes, intrent Ecclésias, fáciant paríetes basilicárum: non discernuntur filii Dei à filiis diáboli, nisi caritáte. Qui habent caritátem, nati sunt ex Deo: qui non habent, non sunt nati ex Deo. Magnum indícium, magna discrétio. Quidquid vis habe: hoc solum non hábeas, nihil tibi prodest: ália si non hábeas, hoc habe, & implesti legem. Qui enim díligit álterum, legem implévit, ait Apóstolus: &, Plenitúdo legis cáritas. Puto istam margarítam esse illam, quam homo negotiátor quæsisse descríbitur in Evangélio, qui invénit unam margarítam, & véndidit ómnia quæ habébat, & emit eam. Hæc est margaríta pretiósa, cáritas, sine quâ nihil tibi prodest quodcumque habúeris: quam si solam hábeas, súfficit tibi.

℟. Quid Dóminus Deus tuus petit à te, nisi * Ut tímeas Dóminum Deum tuum, & díligas eum, ac sérvias Dómino Deo tuo, † In toto corde tuo, & in totâ ánimâ tuâ? ℣. Hoc est máximum & primum mandátum. * Ut. ℣. Glória. † In. *Deut.* 10. *Matth.* 22.

Ad Benedictus. *Ant.* Omnes vos fratres estis, & patrem nolíte vocáre vobis super terram: unus est enim Pater vester, qui in cœlis est. Nec vocémini magistri; quia Magister vester unus est Christus. *Matth.* 23.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

Pérfice, quæsumus, Dómine, benignus in nobis obsérvantiæ sanctæ sub-

sídium; † ut quæ te autóre faciendâ cognóvimus, * te operante impleámus; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Sess. 14. *Can.* 4.

SI quis negáverit ad integram & perfectam peccatórum remissiónem requíri tres actus in pœniténte, quasi matériam sacramenti pœniténtiæ, vidélicet contritiónem, conféssiónem, & satisfactiónem, quæ tres pœniténtiæ partes dicuntur: aut dixerit, duas tantùm esse pœniténtiæ partes, terróres scílicet incussos consciéntiæ, ágnito peccáto; & fidem conceptam ex Evangélio, vel absolutióne, quâ credit quis sibi per Christum remissa peccáta; anáthema sit.

Ad Magníficat. *Ant.* Qui major est vestrûm, erit minister vester. Qui autem se exaltáverit, humiliábitur; & qui se humiliáverit, exaltábitur. *Matth.* 23.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

DEus, qui misericórdiæ jánuam fidélibus patére voluisti; † réspice in nos, & miserére nostrî: * ut qui voluntátis tuæ viam te donante séquimur, à vitæ nunquam sémitis deviémus; Per Dóminum.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

Ex Libro Númeri.

Cap. 14.

MUrmuráti sunt contra Móysen & Aaron cuncti fílii Israel, dicentes: Utinam mórtui essémus in Ægypto: & in hâc vastâ solitúdine útinam pereámus, & non indúcat nos Dóminus in terram istam, ne cadámus gládio, & uxóres ac líberi nostri ducantur captívi! Nonne mélius est reverti in Ægyptum? Dixeruntque alter ad álterum: Constituámus nobis ducem, & revertámur in Ægyptum. Quo audíto Móyses & Aaron cecidérunt proni in terram coram omni multitúdine filiórum Israel. At verò Jósue filius Nun, & Caleb fílius Jéphone, qui & ipsi lustráverant terram, scidérunt vestimenta sua, & ad omnem multitúdinem filiórum Israel locúti sunt: Terra, quam circuívimus, valde bona est. Si propítius fúerit Dóminus, indúcet nos in eam, & tradet humum lacte & melle manantem. Nolíte rebelles esse contra Dóminum: neque timeátis pópulum terræ hujus, quia sicut panem ita eos póssumus devoráre: recessit ab eis omne præsídium: Dóminus no-

bíscum est, nolíte metúere. Cùmque clamáret omnis multitúdo, & lapídibus eos vellet opprímere, appáruit glória Dómini super tectum fœderis cunctis fíliis Israel.

℟. In diébus Móysi misericórdiam fecit Jósue & Caleb, perfríngere murmur malítiæ, & ipsi duo liberáti sunt à número sexcentórum míllium péditum: * Ut vidérent omnes fílii Israel, quia bonum est óbsequi Sancto Deo. ℣. Jesus dum implévit verbum, factus est dux in Israel. Caleb, dum testificátur in ecclésiâ, accépit hæreditátem, * Ut vidérent. *Eccli.* 46. *I. Mach.* 2.

LECTIO II.

LOcutusque est Dóminus ad Móysen & Aaron, dicens: Usquequò multitúdo hæc péssima múrmurat contra me? querélas filiórum Israel audívi. Dic ergo eis: Vivo ego, ait Dóminus: sicut locúti estis audiente me, sic fáciam vobis. In solitúdine hâc jacébunt cadávera vestra. Omnes qui numeráti estis à viginti annis & suprà, & murmurastis contra me, non intrábitis terram, super quam levávi manum meam ut habitáre vos fácerem, præter Caleb fílium Jéphone, & Jósue fílium Nun. Párvulos autem vestros, de quibus dixistis quòd prædæ hóstibus forent, introdúcam: ut vídeant terram, quæ vobis displícuit. Vestra cadávera jacébunt in solitúdine. Fílii vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta, & portábunt fornicatiónem vestram, donec consumantur cadávera patrum in deserto, juxta númerum quadraginta diérum, quibus considerastis terram: annus pro die imputábitur.

℟. Vidémus quia non potuérunt introíre propter incredulitátem. * Timeámus ergo ne fortè relictâ pollicitatióne introeundi in réquiem ejus, existimétur áliquis ex vobis deesse. ℣. Non in plúribus eórum beneplácitum est Deo; nam prostráti sunt in deserto. Hæc autem in figúrâ facta sunt nostrî. * Timeámus. *Hebr.* 3 & 4 *I. Cor.* 10.

LECTIO III.

Ex Sermóne séptimo sancti Leónis Papæ, de Quadragésimâ. *Serm.* 44. *Edit. Paris. Cap.* 2.

CAritas robur fidei, fides fortitúdo est caritátis. Et tunc verum nomen ac verus est fructus ambárum, cùm insolúbilis utriusque manet connéxio. Ubi enim non simul fúerint, simul desunt: quia ínvicem sibi & juvámen & lumen sunt; donec desidérium credulitátis ímpleat remunerátio visiónis,

Dómini.* Aperta est terra, & deglutívit Dathan, & opéruit super congregatiónem Abíron; flamma combússit peccatóres. ℣. Vidit Dóminus Deus, & non plácuit ei, & consumpti sunt in ímpetu iracúndiæ. * Aperta. *Ps.* 105. *Eccli.* 45.

LECTIO III.

Ex Enchirídio sancti Augustíni Epíscopi de Fide, Spe, & Caritáte. *Edit. Bened. Cap.* 117.

Caritas quam fide ac spe majórem dixit Apóstolus, quantò in quocumque major est, tantò mélior est in quo est. Cùm enim quæritur utrùm quisque sit homo bonus, non quæritur quid credat, aut speret, sed quid amet. Nam qui rectè amat, procul dúbio rectè credit & sperat: qui verò non amat, inániter credit, etiamsi sint vera quæ credit; inániter sperat, etiamsi ad veram felicitátem doceantur pertinére quæ sperat: nisi & hoc credat ac speret, quod sibi petenti donári possit ut amet. Quamvis enim speráre sine amóre non possit, fieri tamen potest ut id non amet, sine quo ad id quod sperát non potest perveníre. Tamquàm si speret vitam ætérnam (quam quis non amat?) & non amet justítiam, sine quâ nemo ad illam pérvenit. Ipsa est autem fides Christi quam commendat Apóstolus, quæ per dilectiónem operátur; & quod in dilectióne nondum habet, petit ut accípiat, quærit ut invéniat, pulsat ut aperiátur ei. Fides namque ímpetrat quod lex ímperat. Nam sine Dei dono, id est, sine Spíritu sancto, per quem diffúnditur cáritas in córdibus nostris, jubére lex póterit, non juváre; & prævaricatórem ínsuper fácere, qui de ignorántiâ se excusáre non possit. Regnat enim carnális cupíditas, ubi non est Dei cáritas.

℟. Judícium verum judicáte, & * Misericórdiam fácite unusquisque cum fratre suo. ℣. Si dimiséritis homínibus peccáta eórum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra. * Misericórdiam. ℣. Glória. * Misericórdiam. *Zach.* 7. *Matth.* 6.

Ad Benedictus. *Ant.* Fili, recordáre quia recepisti bona in vitâ tuâ, & Lázarus simíliter mala; nunc autem hic consolátur, tu verò cruciáris. *Luc.* 16.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

Omnípotens sempitérne Deus, qui nobis in observatióne jejúnii, & eleemosynárum sémine, posuisti nostrórum remédia peccatórum; † concéde

nos ópere mentis & córporis * Tibi semper esse devótos; Per Dóminum.

C A N O N.

Ex Concílio Tridentíno. Sess. 14. Cap. 2.

PEr baptísmum Christum induentes, nova prorsùs in illo efficimur creatúra, plenam & íntegram peccatórum ómnium remissiónem consequentes: ad quam tamen novitátem & integritátem per sacraméntum pœniténtiæ sine magnis nostris flétibus & labóribus, divínâ id exigente justítiâ, perveníre nequáquàm póssumus: ut méritò pœniténtia laboriósus quidam baptísmus à sanctis Pátribus dictus fúerit.

Ad Magníficat. *Ant.* Si Móysen & Prophétas non áudiunt; neque si quis ex mórtuis resurréxerit, credent. *Luc.* 16.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

MIsericórdiæ dator, & totíus autor bonitátis, qui jejúniis, oratiónibus, & eleemósynis peccatórum remédia, & virtútum ómnium tríbuis increménta; † Te húmili devotióne precámur, * ut qui ad hæc agenda salubérrimam dedísti doctrínam, ad compléndà indeféssam tríbuas efficáciam; Per Dóminum.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

Incipit Liber Deuteronómii. *Cap.* 1 & 6.

HÆc sunt verba quæ locútus est Móyses ad omnem Israel trans Jordánem in solitúdine campestri, contra Mare rubrum. Hæc sunt præcepta, & cæremóniæ, atque judícia, quæ mandávit Dóminus Deus vester, ut docérem vos, & faciátis ea in terrâ, ad quam transgredímini possidendam: ut tímeas Dóminum Deum tuum, & custódias ómnia mandáta & præcepta ejus, quæ ego præcípio tibi, & fíliis ac nepótibus tuis, cunctis diébus vitæ tuæ, ut prolongentur dies tui. Audi, Israel, & observa ut fácias quæ præcépit tibi Dóminus, & bene sit tibi, & multiplicéris ámpliùs, sicut pollícitus est Dóminus Deus patrum tuórum tibi terram lacte & melle manantem.

℟. Lex per Móysen data est, * Grátia & véritas per Jesum Christum facta est. ℣. Legem mandávit Móyses in præceptis justitiárū; * Grátia. *Joan.* 1. *Eccli.* 24.

LECTIO II. *Cap.* 6.

AUdi, Israel, Dóminus Deus noster, Dóminus unus est. Díliges Dó-

minum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ ánimâ tuâ, & ex totâ fortitúdine tuâ. Eruntque verba hæc, quæ ego præcípio tibi hódie, in corde tuo: & narrábis ea filiis tuis, & meditáberis in eis sedens in domo tuâ, & ámbulans in itínere, dórmiens, atque consurgens. Et ligábis ea quasi signum in manu tuâ, eruntque & movebuntur inter óculos tuos, scribesque ea in límine & óstiis domûs tuæ. Cùmque interrogáverit te filius tuus cras, dicens: Quid sibi volunt testimónia hæc, & cæremóniæ, atque judícia, quæ præcépit Dóminus Deus noster nobis? dices ei: Servi erámus Pharaónis in Ægypto, & eduxit nos Dóminus de Ægypto in manu forti: fecitque signa atque prodígia magna & péssima in Ægypto contra Pharaónem, & omnem domum illíus, in conspectu nostro, & eduxit nos indè, ut introductis daret terram, super quâ jurávit pátribus nostris. Præcepitque nobis Dóminus, ut faciámus ómnia legítima hæc, & timeámus Dóminum Deum nostrum, ut bene sit nobis cunctis diébus vitæ nostræ, sicut est hódie.

℟. Quanta mandávit pátribus nostris nota fácere ea filiis suis: * Ut cognoscat generátio áltera. ℣. Filii qui nascentur, & exsurgent, & narrábunt filiis suis; ut ponant in Deo spem suam, & non oblivíscantur óperū Dei; * Ut. *Ps.* 77.

LECTIO III.

Ex Enchirídio sancti Augustíni Epíscopi de Fide, Spe, & Caritáte. *Edit. Bened. Cap.* 118.

Cum in altíssimis ignorántiæ ténebris nullâ resistente ratióne secundùm carnem vívitur, hæc sunt prima hóminis. Deinde cùm per legem cognítio fúerit facta peccáti, si nondum divínus ádjuvat Spíritus, secundùm legem volens vívere víncitur, & sciens peccat, peccatóque súbditus servit: à quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est: id agente sciéntiâ mandáti, ut peccátum operétur in hómine omnem concupiscéntiam, cúmulo prævaricatiónis adjecto, atque ita quod scriptum est impleátur; Lex subintrávit, ut abundáret delictum. Hæc sunt secunda hóminis. Si autem respéxerit Deus, ut ad implenda quæ mandat ipse adjuváre credátur, & agi homo cœperit Dei Spíritu, concupíscitur adversùs carnem fortióre róbore caritátis: ut quamvis adhuc sit quod hómini repugnet ex hómi-

ne, nondum totâ infirmitáte ſanátâ, ex fide tamen juſtus vivat, juſtéque vivat, in quantum non cedit malæ concupiſcéntiæ, vincente delectatióne juſtítiæ. Hæc ſunt tértia bonæ ſpei hóminis; in quibus ſi piâ perſeverántiâ quiſque proficiat, poſtréma pax reſtat, quæ poſt hanc vitam in réquie ſpíritûs, deinde in reſurrectióne étiam carnis implébitur. Harum quátuor differentiárum prima eſt ante legem, ſecunda ſub lege, tértia ſub grátiâ, quarta in pace plenâ atque perfectâ.

℟. Nunc ſolúti ſumus à lege mortis, in quâ detinebámur, * Ita ut ſerviámus in novitáte ſpíritûs, & non in vetuſtáte litteræ. ℣. Non dedit nobis Deus ſpíritum timóris, ſed virtútis, & dilectiónis, & ſobrietátis; * Ita. ℣. Glória. * Ita. *Rom.* 7. *II. Tim.* 1.

Ad Benedictus. *Ant.* Auferétur à vobis regnum Dei, & dábitur genti facienti fructus ejus. *Matth.* 21.

COLLECTA. *Sacr. Gelaſ.*

PArce, Dómine, parce peccátis noſtris: † & quamvis inceſſabíliter delinquéntibus contínua pœna debeátur, * præſta, quæſumus, ut quod ad perpétuum merémur exítium, tránſeat ad correptiónis auxílium; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Seſſ.* 6. *Cap.* 5 & 6.

QUi per peccáta à Deo averſi erant, diſponuntur ad juſtítiam, dum excitáti divinâ grátiâ & adjúti, líberè moventur in Deum, credentes vera eſſe quæ divinitùs reveláta & promiſſa ſunt; atque illud inprimis, à Deo juſtificári ímpium per grátiam ejus, per redemptiónem quæ eſt in Chriſto Jeſu.

Ad Magníficat. *Ant.* Quærentes Jeſum tenére, timuérunt turbas; quóniam ſicut prophétam eum habébant. *Matth.* 21.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

DA, quæſumus, Dómine, pópulo tuo ſalútem mentis & córporis: † ut bonis opéribus inhærendo, * tuæ ſemper virtútis mereámur protectióne defendi; Per Dóminum.

SABBATO.

LECTIO I.

Ex Libro Deuteronómii. *Cap.* 33.

HÆc eſt benedíctio quâ benedixit Móyſes, homo Dei, filiis Iſrael ante mortem ſuam. Et ait: Dóminus de Sínai venit, & de Seir ortus eſt nobis: appá-

ruit de monte Pharan, & cum eo sanctórum míllia. In déxterâ ejus ígnea lex. Dilexit pópulos, omnes sancti in manu illíus sunt: & qui appropinquant pédibus ejus, accípient de doctrínâ illíus. Legem præcépit nobis Móyses, hæreditátem multitúdinis Jacob. Erit apud rectíssimum rex, congregátis princípibus pópuli cum tríbubus Israel. Non est Deus álius ut Deus rectíssimi: ascensor cœli auxiliátor tuus. Magnificéntiâ ejus discurrunt nubes, habitáculum ejus sursùm, & subter bráchia sempiterna: ejíciet à fácie tuâ inimícum; dicetque: Contérere. Habitábit Israel confidenter, & solus. Oculus Jacob in terrâ frumenti & vini, cœlíque caligábunt rore. Beátus es tu, Israel: quis símilis tuî, pópule, qui salváris in Dómino? scutum auxílii tui, & gládius glóriæ tuæ: negábunt te inimíci tui, & tu eórum colla calcábis.

℟. Quàm pulchra tabernácula tua, Jacob, & tentória tua, Israel! * Qui benedíxerit tibi, erit & ipse benedictus: qui maledíxerit, in maledictióne reputábitur. ℣. Beátus es tu, Israel: quis símilis tuî, pópule, qui salváris in Dómino. * Qui. *Num.* 24. *Deut.* 33.

Lectio II. *Cap.* 34.

Ascendit Móyses de campéstribus Moab super montem Nebo in vérticem Phasga contra Jéricho: dixitque Dóminus ad eum: Hæc est terra, pro quâ jurávi Abraham, Isaac, & Jacob, dicens: Sémini tuo dabo eam. Vidisti eam óculis tuis, & non transíbis ad illam. Mortuusque est ibi Móyses servus Dómini, in terrâ Moab, jubente Dómino: & sepelívit eum in valle terræ Moab contra Phogor: & non cognóvit homo sepulcrum ejus usque in præsentem diem. Móyses centum & viginti annórum erat quando mórtuus est: non caligávit óculus ejus: nec dentes illíus moti sunt. Fleveruntque eum filii Israel in campéstribus Moab triginta diebus: & compléti sunt dies planctûs lugéntium Móysen. Jósue verò filius Nun replétus est Spíritu sapiéntiæ, quia Móyses pósuit super eum manus suas. Et obediérunt ei fílii Israel, feceruntque sicut præcépit Dóminus Móysi. Et non surrexit ultrà Prophéta in Israel sicut Móyses, quem nosset Dóminus fácie ad fáciem, in ómnibus signis atque portentis, quæ misit per eum, ut fáceret in terrâ Ægypti Pharaóni, & ómnibus servis ejus, universæque ter-

ræ illíus, & cunctam manum robustam, mágnaque mirabília, quæ fecit Móyses coram universo Israel.

℟. Dilectus Deo & homínibus Móyses: cujus memória in benedictióne est. Símilem illum fecit in glóriâ sanctórum, * Et magnificávit eum in timóre inimicórum, & in verbis suis monstra placávit. ℣. Hunc Deus príncipem & redemptórem misit, cum manu Angeli, qui appáruit illi in rubo. * Et. *Eccli.* 45. *Act.* 7.

LECTIO III.

Ex Homíliâ vigésimâ séptimâ sancti Gregórii Papæ in Evangélia. *Edit. Bened. n.* 1.

CUm cuncta sacra elóquia Domínicis plena sint præceptis, quid est quod de dilectióne, quasi de singulári mandáto Dóminus dicit: Hoc est præceptum meum ut diligátis ínvicem, nisi quia omne mandátum de solâ dilectióne est, & ómnia unum præceptum sunt? Quia quidquid præcípitur, in solâ caritáte solidátur. Ut enim multi árboris rami ex unâ radíce pródeunt; sic multæ virtútes ex unâ caritáte generantur. Nec habet áliquid viriditátis ramus boni óperis, si non manet in radíce caritátis. Præcepta ergo Domínica, & multa sunt, & unum: multa per diversitátem óperis, unum in radíce dilectiónis. Quáliter autem ista diléctio tenenda sit, ipse insínuat, qui in plerísque Scriptúræ suæ senténtiis, & amícos jubet diligi in se, & inimícos propter se. Ille enim veráciter caritátem habet, qui & amícum díligit in Deo, & inimícum díligit propter Deum. Nam sunt nonnulli qui díligunt próximos, sed per affectum cognatiónis & carnis: quibus tamen in hac dilectióne sacra elóquia non contradícunt. Sed áliud est quod sponte impénditur natúræ; áliud quod præceptis Dóminicis ex caritáte debétur obediéntiæ. Hi nimírum & próximum díligunt, & tamen illa sublímia dilectiónis præmia non adsequuntur: quia amórem suum non spiritáliter, sed carnáliter impendunt. Proinde cùm Dóminus díceret: Hoc est præceptum meum ut diligátis ínvicem; prótinus áddidit: Sicut diléxi vos. Ac si apertè dicat: Ad hoc amáte, ad quod amávi vos.

℟. Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, & in totâ ánimâ tuâ, & in totâ mente tuâ: * Hoc est máximum & primum mandátum. ℣. Quid Dóminus petit à te, nisi ut tímeas Dóminum Deum tuũ, & díligas eum, ac sérvias

Dómino Deo tuo in toto corde tuo, & in totâ ánimâ tuâ? * Hoc est. ℣. Glória. * Hoc. *Matth.* 22. *Deut.* 10.

Ad Benedíctus. *Ant.* Cum adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericórdiâ motus est: & accurrens cécidit super collum ejus, & osculátus est eum. *Luc.* 15.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

DEus, cujus bónitas hóminem cóndidit, justítia damnávit, misericórdia redémit, † Te humíliter exorámus, * ut sicut per illícitos appetítus à beátâ regióne decídimus, sic ad ætérnam pátriam per abstinéntiam redeámus; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.
Sess. 6. *Cap.* 6.

DIsponuntur ad justítiam dum peccatóres se esse intelligentes, à divínæ justítiæ timóre quo utíliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericórdiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propítium fore, illumque tamquàm omnis justítiæ fontem dilígere incípiunt; ac proptéreà moventur advérsùs peccáta per ódium áliquod & detestatiónem.

AD VESPERAS.

Antiphonæ ut in Psalterio.

LECTIO. *Jerem.* 2.

SCito & vide, quia malum & amárum est reliquisse te Dóminum Deum tuum; † & non esse timórem meî apud te, * dicit Dóminus exercítuum.

℟. *br.* Ego dixi: Dómine, * Miserére meî. ℟. Ego. ℣. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi: * Miserére. ℣. Glória. ℟. Ego. *Ps.* 40.

Hymnus, Audi, benigne Cónditor. *ut suprà in Feriis Quadrages. pag.* 155.

℣. Tempus beneplácitì, Deus: ℟. In multitúdine misericórdiæ tuæ exaudi me. *Ps.* 68.

Ad Magníficat. *Ant.* Numquid considerasti servum meum Job, quòd non sit ei símilis in terrâ, vir simplex & rectus, ac timens Deum, & recédens à malo, & adhuc rétinens innocéntiam. *Job.* 2.

Collecta infrà ad Laudes, pag. 219.

DOMINICA III. QUADRAGESIMÆ.

AD OFFICIUM NOCT.

Ant. in Ps. Veníte. *ut in Psalterio.*

Hymnus, ut suprà in Feriis Quadrages. pag. 153.

Antiphonæ & ℣. I. & II. Noct. ut in Psalterio.

IN I. NOCTURNO.

Lectio I.

Incipit Liber Job. *Cap.* 1.

VIr erat in terrâ Hus, nómine Job, & erat vir ille simplex, & rectus, ac timens Deum, & recédens à malo. Natique sunt ei septem filii, & tres filiæ. Et fuit posséssio ejus, septem míllia óvium, & tria míllia camelórum, quingenta quoque juga boum, & quingentæ ásinæ, ac família multa nimis: eratque vir ille magnus inter omnes Orientáles. Et ibant filii ejus, & faciébant convívium per domos, unusquisque in die suo. Et mittentes vocábant tres sorores suas ut coméderent & bíberent cum eis. Cùmque in orbem transissent dies convívii, mittébat ad eos Job, & sanctificábat illos, consurgensque dilúculo offerébat holocausta pro síngulis. Dicébat enim: Ne fortè peccáverint filii mei, & benedíxerint Deo in córdibus suis. Sic faciébat Job cunctis diébus.

℟. Benedictus vir qui confidit in Dómino, & erit Dóminus fidúcia ejus. * Et erit quasi lignum quod transplantátur super aquas, quod ad humórem mittit radíces suas; & non timébit cùm vénerit æstus. ℣. Qui natus est ex Deo, non peccat; sed generátio Dei consérvat eum, & malignus non tangit eum; * Et erit. *Jerem.* 17. *I. Joan.* 5.

Lectio II.

QUádam autem die, cùm venissent filii Dei ut adsísterent coram Dómino, ádfuit inter eos étiam Satan. Cui dixit Dóminus: Unde venis? Qui respondens ait: Circuívi terram, & perambulávi eam. Dixitque Dóminus ad eum. Numquid considerasti servum meum Job, quòd non sit ei símilis in terrâ, homo simplex, & rectus, ac timens Deum, & recédens à malo? Cui respondens Satan, ait: Numquid Job frustrà timet Deum? Nonne tu vallasti eum, ac domum ejus universamque substántiam per circúitum, opéribus mánuum ejus benedixisti, & posséssio ejus crevit in terrâ? Sed extende páululum manum tuam, & tange cuncta quæ póssidet, nisi in fáciem benedíxerit tibi. Dixit ergo Dóminus ad Satan: Ecce, universa quæ habet in manu tuâ sunt; tantùm in eum ne extendas manum tuam. Egressusque est Satan à fácie Dómini.

℟. Quis respondébit Deo? vel quis dícere potest: Cur ita facis? Deus cujus iræ nemo resístere potest, & sub quo curvantur qui portant orbem;

* Quantus sum ego ut respóndeam ei? ℣. Numquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quid me fecisti sic? * Quantus. *Job.* 2. *Rom.* 9.

LECTIO III.

CUm autem quâdam die filii & filiæ ejus coméderent & bíberent vinum in domo fratris sui primogéniti, núntius venit ad Job, qui díceret: Boves arábant, & ásinæ pascebantur juxta eos, & irruérunt Sabæi, tuleruntque ómnia, & púeros percussérunt gládio; & evási ego solus ut nuntiárem tibi. Cùmque adhuc ille loquerétur, venit alter, & dixit: Ignis Dei cécidit è cœlo, & tactas oves puerosque consumpsit; & effúgi ego solus ut nuntiárem tibi. Sed & illo adhuc loquente, venit álius, & dixit: Chaldæi fecérunt tres turmas, & invasérunt camélos & tulérunt eos, nec non & púeros percussérunt gládio; & ego fugi solus ut nuntiárem tibi. Adhuc loquebátur ille, & ecce álius intrávit, & dixit: Fíliis tuis & filiábus vescéntibus, & bibéntibus vinum in domo fratris sui primogéniti, repentè ventus véhemens írruit à regióne deserti, & concussit quátuor ángulos domûs, quæ córruens oppressit líberos tuos, & mórtui sunt; & effúgi ego solus ut nuntiárem tibi.

℟. Deus ipse erit salvátor meus. * Etiamsi occíderit me, in ipso sperábo. ℣. Quis filius quem non córripit pater? * Etiamsi. *Job.* 13. *Hebr.* 12.

LECTIO IV.

TUnc surrexit Job, & scidit vestimenta sua, & tonso cápite córruens in terram, adorávit, & dixit: Nudus egressus sum de útero matris meæ, & nudus revertar illuc: Dóminus dedit, Dóminus ábstulit, sicut Dómino plácuit, ita factum est: sit nomen Dómini benedictum. In ómnibus his non peccávit Job lábiis suis, neque stultum quid contra Deum locútus est.

℟. Exemplum accípite, fratres, éxitûs mali, labóris & patiéntiæ, Prophétas qui locúti sunt in nómine Dómini. * Ecce beatificámus eos qui sustinuérunt. ℣. Omnes qui placuérunt Deo, per multas tribulatiónes transiérunt fidéles. * Ecce. ℣. Glória. * Ecce. *Jac.* 5. *Judith*, 8.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO V.

Ex Enarratióne sancti Augustíni Epíscopi in Psalmum centésimum tértium. *Serm.* 4. *Edit. Bened. n.* 7 & 8.

DIcébat Job multa, & inter illa ómnia quæ dixit, nusquam lapsus est.

Quod multi in illis verbis non intélligunt, & quædam ibi sic accípiunt, quasi áliquid durum díxerit Job in Deum. Nam inter multa étiam hoc dixit, velut stómachans adversùs Deũ, sicut videbátur non intelligéntibus: ille autem gestábat persónam magnam magnæ prophetíæ: Utinã, inquit loquens ad Deum, útinam esset nobis árbiter! Quid est árbiter? Médius ad componendam causam. Nonne inimíci erámus Dei, & malam causam habebámus adversùs Deum? Quis finíret causam istam malam, nisi ille médius árbiter, qui, nisi veníret, misericórdiæ períerat iter?

℟. Quis mihi tríbuat auditórem, * Ut desidérium meum áudiat Omnípotens. ℣. Advocátum habémus apud Patrem, Jesum Christum, * Ut. *Job.* 31. *I. Joan.* 2.

LECTIO VI.

INter duos mediátor: ergo Christus mediátor inter hóminem & Deum. Non quia Deus, sed quia homo: nam quia Deus, æquális Patri: sed æquális Patri, non mediátor. Ut autem sit mediátor, descendat à superióre ad inferiórem, ab æqualitáte Patris. Fáciat quod ait Apóstolus: Semetipsum exinanívit, formam servi accípiens, in similitúdinem hóminum factus, & hábitu inventus ut homo. Fundat sánguinem suum, déleat chirógraphum nostrum, compónat inter nos & Deum, nostram voluntátem córrigens ad justítiam, illíus senténtiam flectens ad misericórdiam. Sicut ergo hoc unum exposúimus, quantùm Dóminus dedit, quod durum vidétur dictum à Job: sic & cætera, quæ ibi videntur quasi áspera & blasphéma, habent intellectus suos. Quod putarémus áliter esse, nisi Deus perhibéret testimónium, & ántequam loquerétur Job, & posteáquam totum locútus est.

℟. Non peccávit Job lábiis suis, * Neque stultum quid contra Deum locútus est. ℣. Erat vir simplex, & rectus, ac timens Deum, & recédens à malo: * Neque. *Job.* 1.

LECTIO VII.

Ex Libro secundo ejusdem de Peccatórum méritis & remissióne. *Edit. Bened. Cap.* 10 *&* 11. *n.* 16.

QUid quod ipse Dóminus, qui Job perhibúerat testimónium, póstea tamen cùm ei loquerétur, íncrepans locútus est? Nemo autem justè increpátur, nisi in quo est áliquid quod increpatióne sit di-

gnum. Et ipsa increpátio qualis est, quæ ex Dómini Christi persónâ intellígitur? Enúmerat illi divína ópera potestátis suæ sub hàc senténtiâ íncrepans, ut eum dícere appáreat: Numquid potes hæc tanta quæ possum? Quò autem pértinet, nisi ut intélligat Job, (étiam hoc ei divínitus inspirátum, ut præscíret Christum ad passiónem esse ventúrum,) intélligat ergo quàm debet æquo ánimo toleráre quæ pértulit, si Christus in quo peccátum, cùm propter nos homo factus esset, omníno nullum fuit, & in quo Deó tanta poténtia est: nequáquam tàmen passiónis obediéntiam recusávit? Quod purióre cordis intentióne Job intélligens, secundùm illam justítiam quâ se nóverat justum, se vituperávit, atque distábuit, æstimavitque se terram & cínerem; mente conspíciens Christi justítiam, in cujus non tantùm divinitáte, sed nec in ánimâ, nec in carne, ullum pótuit esse peccátum.

℟. Insipienter locútus sum, & quæ ultra modum excéderent sciéntiam meã. * Idcircò ipse me reprehendo, & ago pœniténtiam in favillâ & cínere. ℣. Audítu auris audívi te, nunc autem óculus meus videt te; * Idcircò. *Job.* 42.

LECTIO VIII.

Ex Præfatióne sancti Gregórii Papæ in Librum beáti Job. *Edit. Bened. Cap.* 6. *n.* 14.

NEcesse fuit ut beátus Job, qui tanta Incarnatiónis Christi mystéria prótulit, eum, quem voce díceret, ex conversatióne signáret: & per ea quæ pértulit, quæ passúrus esset, osténderet; tantòque vériùs passiónis illíus sacraménta prædíceret, quantò hæc, non loquendo tantúmmodo, sed étiam patiendo, prophetáret. Sed quia Redemptor noster unam se persónam cum sanctâ Ecclésiâ quam assumpsit, exhíbuit; quisquis eum in semetipso signíficat, modò hunc ex cápite, modò ex córpore desígnat, ut non solùm vocem cápitis, sed étiam córporis téneat. Unde necesse est, ut cùm nonnunquam áliquid de cápite dícitur, sensím ac súbitò étiam ad vocem córporis derivétur; & rursum cùm de córpore áliquid dícitur, repentè ad vocem cápitis ascendátur.

℟. Scio quòd Redemptor meus vivit: & in carne meâ vidébo Deum meũ. * Repósita est hæc spes mea in sinu meo. ℣. Venit dare ánimam suam redemptiónem pro multis. * Repósita. ℣. glória. * Repósita. *Job.* 19. *Matth.* 20.

IN III. NOCTURNO.

Cantica, Ant. & ℣. ut in Dominicâ primâ Quadragesimæ, pag. 170.

LECTIO IX.

Ex Epístolâ secundâ beáti Petri Apóstoli. *Cap.* 2.

NOvit Dóminus pios de tentatióne erípere; iníquos verò in diem judícii reservare cruciandos: magis autem eos, qui post carnem in concupiscéntiâ immundítiæ ámbulant, dominationemque contemnunt, audáces, sibi placentes, sectas non métuunt introdúcere blasphemantes: ubi ángeli fortitúdine & virtúte cùm sint majóres, non portant adversùm se exsecrábile judícium.

℟. Mémores estóte verbórum, quæ prædicta sunt ab Apóstolis, quóniam in novíssimo témpore vénient illusóres, * Secundùm desidéria sua ambulantes in impietátibus. ℣. Subintroiérunt quidam hómines impii, Dei nostri grátiam transferentes in luxúriam, * Secundùm. *Jud.* ℣. 17, 18 & 4.

LECTIO X.

HI verò velut irrationabília pécora, naturáliter in captiónem & in perníciem in his quæ ignórant blasphemantes, in corruptióne suâ peribunt, percipientes mercédem injustítiæ, voluptátem existimantes diéi delicias: coinquinatiónes, & máculæ deliciis affluentes, in convíviis suis luxuriantes vobiscum, óculos habentes plenos adultérii, & incessábilis delicti. Pellicientes ánimas instábiles, cor exercitátum avarítiâ habentes, maledictiónis filii: derelinquentes rectam viam, erravérunt, secúti viam Bálaam ex Bosor, qui mercédem iniquitátis amávit, correptiónem verò hábuit suæ vesániæ; subjugále mutum ánimal, hóminis voce loquens, prohíbuit prophétæ insipiéntiam.

℟. Quæcumque quidem ignórant, blasphémant: quæcumque autem naturáliter tamquàm muta animália norunt, in his corrumpuntur. * Væ illis quia in viâ Cain abiérunt, & erróre Bálaam mercéde effusi sunt. ℣. Hi sunt qui ségregant semetipsos, animáles, Spíritum non habentes. * Væ illis. *Jud.* ℣. 10, 12 & 19.

LECTIO XI.

HI sunt fontes sine aquâ, & nébulæ turbinibus exagitátæ, quibus calígo tenebrárum reservátur. Superba enim vanitátis loquentes, pelliciunt in desidériis carnis luxúriæ eos, qui páululùm effúgiunt, qui in erróre conversan-

tur : libertátem illis promittentes, cùm ipsi servi sint corruptiónis : à quo enim quis superátus est, hujus & servus est.

℟. Hi sunt convivantes sine timóre, nubes sine aquâ, quæ à ventis circùmferúntur, árbores autumnáles, infructuósæ, * Quibus procella tenebrárum serváta est in ætérnum. ℣. Os eórum lóquitur supérba, mirantes persónas quæstûs causâ; * Quibus. *Jud.* ℣. 12, 13 & 16.

LECTIO XII.

SI enim refugiéntes coinquinatiónes mundi in cognitióne Dómini nostri, & Salvatóris Jesu Christi, his rursus implicáti superántur : facta sunt eis postérióra deterióra prióribus. Mélius enim erat illis non cognóscere viam justítiæ, quàm post agnitiónem, retrorsum converti ab eo, quod illis tráditum est, sancto mandáto. Contigit enim eis illud veri provérbii : Canis reversus ad suum vómitum; & sus lota in volutábro luti.

℟. Voluntáriè peccántibus post acceptam notítiam veritátis, jam non relínquitur pro peccátis hóstia; terríbilis autem quædam exspectátio judícii, * Et ignis æmulátio quæ consumptúra est adversários. ℣. In gente incredíbili exardéscet ira, * Et ignis. ℣. Glória. * Et ignis. *Hebr.* 10. *Eccli.* 16.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

Cap. 11.

ERat Jesus ejíciens dæmónium, & illud erat mutum. Et cùm ejecísset dæmónium, locútus est mutus; & admirátæ sunt turbæ. Quidam autem ex eis dixérunt : In Beélzebub príncipe dæmoniórum ejícit dæmónia. Et álii tentántes, signum de cœlo quærébant ab eo. Ipse autem ut vidit cogitatiónes eórum, dixit eis : Omne regnum in seipsum divísum desolábitur, & domus supra domum cadet. Si autem & Sátanas in seipsum divísus est, quómodo stabit regnum ejus? quia dícitis in Beélzebub me ejícere dæmónia. Si autem ego in Beélzebub ejício dæmónia : filii vestri in quo ejíciunt? Ideò ipsi júdices vestri erunt. Porrò si in dígito Dei ejício dæmónia : profectò pervénit in vos regnum Dei. Cùm fortis armátus custódit átrium suum, in pace sunt ea quæ póssidet. Si autem fórtior eo supervéniens vícerit eum, univérsa arma ejus áuferet, in quibus confidébat, & spólia ejus distríbuet. Qui non est me-

cum, contra me est: & qui non cólligit mecum, dispergit. Cùm immundus spíritus exíerit de hómine, ámbulat per loca inaquósa, quærens réquiem, & non invéniens dicit: Revertar in domum meam unde exívi; & cùm vénerit, ínvenit eam scopis mundátam, & ornátam. Tunc vadit, & assúmit septem álios spíritus secum, nequióres se, & ingressi hábitant ibi. Et fiunt novíssima hóminis illíus pejóra prióribus. Factum est autem cùm hæc díceret, extollens vocem quædam múlier de turbâ, dixit illi: Beátus venter, qui te portávit; & úbera, quæ suxisti. At ille dixit: Quinimmò beáti qui áudiunt verbum Dei, & custódiunt illud.

AD LAUDES.

Antiphonæ ut in Psalterio.

LECTIO. *Ezech.* 33.

ETiamsi díxero justo quòd vitâ vivat, & confisus in justítiâ suâ fécerit iniquitátem: omnes justítiæ ejus oblivióni tradentur, & in iniquitáte suâ quam operátus est, in ipsâ moriétur. Si autem díxero ímpio: Morte moriéris: & égerit pœniténtiam à peccáto suo, fecéritque judícium & justítiam, & pignus restitúerit ille ímpius, rapinamque reddíderit, in mandátis vitæ ambuláverit, nec fécerit quidquam injustum: vitâ vivet, & non moriétur.

Resp. breve, & Hymnus, suprà in Feriis Quadragesimæ, pag. 154.

℣. Usquequò exaltábitur inimícus meus super me? ℟. Réspice, & exaudi me, Dómine Deus meus. *Ps.* 12.

Ad Benedictus. *Ant.* Erat Jesus ejíciens dæmónium, & illud erat mutum. Et cùm ejecisset dæmónium, locútus est mutus, & admirátæ sunt turbæ. *Luc.* 11.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

QUæsumus, omnípotens Deus, † vota humílium réspice: * atque ad defensiónem nostram, déxteram tuæ majestátis extende; Per Dóminum.

AD HORAS, *Antiphonæ ut in Psalterio.*

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *An.* 1551. *Sess.* 14. *Cap.* 4.

COntrítio quæ primum locum inter pœniténtis actus habet, ánimi dolor ac detestátio est de peccáto commisso, cum propósito non peccandi de cætero. Fuit autem quovis témpore ad impetrandam véniam peccatórum hic contritiónis motus necess-

sárius; & in hómine post baptismū lapso, ita demum præparat ad remissiónem peccatórum, si cum fidúciâ divínæ misericórdiæ, & voto præstandi réliqua, conjunctus sit, quæ ad ritè suscipiendum pœniténtiæ sacramentum requiruntur. Declárat ígitur sancta Synodus, hanc contritiónem, non solùm cessatiónem à peccáto, & vitæ novæ propósitum & inchoatiónem, sed véteris étiam ódium continére.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Eccli.* 21.

FIli, peccasti? Non adjícias íterum: sed & de prístinis deprecáre ut tibi dimittantur. † Quasi à fácie cólubri fuge peccáta: & si accésseris ad illa, suscípient te. * Dentes leónis: dentes ejus, interficientes ánimas hóminum.

℣. Iniquitátem meam, Dómine, ego cognosco; ℟. Et peccátum meum contra me est semper. *Ps.* 50.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Eccli.* 5.

DE propitiáto peccáto noli esse sine metu, neque adjícias peccátum super peccátum. † Et ne dicas: Miserátio Dómini magna est, multitúdinis peccatórum meórum miserébitur. * Misericórdia enim & ira ab illo citò próximant, & in peccatóres réspicit ira illíus.

℣. Ampliùs lava me, Dómine, ab iniquitáte meâ; ℟. Et à peccáto meo munda me. *Ps.* 50.

AD NONAM.

LECTIO. *Eccli.* 5.

NOn tardes converti ad Dóminum, & ne différas de die in diem. † Súbitò enim véniet ira illíus, * & in témpore vindíctæ disperdet te.

℣. Ecce inimíci tui, Dómine, períbunt, ℟. Et dispergentur omnes qui operantur iniquitátem. *Ps.* 91.

AD VESPERAS.

ANTIPHONÆ.

I. STupébant omnes turbæ, & dicébant: Numquid hic est filius David? Pharisæi autem audientes, dixérunt: Hic non éjicit dæmones, nisi in Beélzebub príncipe dæmoniórum. *Matth.* 12.

II. Jesus ut vidit cogitatiónes eórum, dixit eis: Omne regnum in seipsum divísum desolábitur, & domus supra domum cadet. *Luc.* 11.

III. Si ego in Beélzebub ejício dæmónia: filii vestri in quo ejíciunt? Ideò ipsi júdices vestri erunt. *Luc.* 11.

IV. Qui non est mecum, contra me est; & qui non

cólligit mecum, dispergit. *Luc.* 11.

Lectio. *Hebr.* 6.

TErra sæpe venientem super se bibens imbrem, & génerans herbam opportúnam illis, à quibus cólitur; áccipit benedictiónem à Deo. † Próferens autem spinas ac tríbulos, réproba est, & maledictióni próxima: cujus consummátio in combustiónem. * Confidimus autem de vobis, dilectíssimi, melióra, & viciniòra salúti.

Resp. breve, & Hymnus, suprà in Feriis Quadragesimæ, pag. 155.

℣. In æternum non oblivíscar justificatiónes tuas, ℟. Quia in ipsis vivificásti me. *Ps.* 118.

Ad Magníficat. *Ant.* Extollens vocem quædam múlier de turbâ, dixit: Beátus venter qui te portávit, & úbera quæ suxísti. At Jesus dixit: Quinimmo beáti qui áudiunt verbum Dei, & custódiunt illud. *Luc.* 11.

FERIA SECUNDA.

Lectio I.

Ex Libro Job. *Cap.* 2.

DIxit Dóminus ad Satan: Numquid considerasti servum meum Job, quòd non sit ei símilis in terrâ, vir simplex & rectus, ac timens Deum, & recédens à malo, & adhuc rétinens innocéntiam? Tu autem commovisti me advérsùs eum, ut affligerem eum frustrà. Cui respondens Satan, ait: Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro ánimâ suâ: alióquin mitte manum tuam, & tange os ejus & carnem; & tunc vidébis quòd in fáciem benedícat tibi. Dixit ergo Dóminus ad Satan: Ecce in manu tuâ est, verúmtamen ánimam illíus serva. Egressus ígitur Satan à fácie Dómini, percussit Job úlcere péssimo à plantâ pedis usque ad vérticem ejus: qui testâ sániem radébat, sedens in sterquilínio. Dixit autem illi uxor sua, Adhuc tu pérmanes in simplicitáte tuâ? bénedic Deo, & mórere. Qui ait ad illam: Quasi una de stultis muliéribus locúta es: si bona suscépimus de manu Dei, mala quare non suscipiámus? In ómnibus his non peccávit Job lábiis suis.

℟. Nudus egressus sum de útero matris meæ, & nudus revertar illuc: * Dóminus dedit, Dóminus ábstulit, sicut Dómino plácuit, ita factum est: sit nomen Dómini benedictum. ℣. Nihil intúlimus in hunc mundum; haud dúbium quòd nec auferre quid póssumus. * Dóminus. *Job.* 1. *I. Tim.* 6.

LECTIO II. *Cap.* 2 & 3.

IGitur audientes tres amíci Job omne malum, quod accidísset ei, venérunt sínguli de loco suo, Elíphaz Themanítes, & Baldad Suhítes, & Sophar Naamathítes. Condíxerant enim ut páriter venientes visitárent eum, & consolarentur. Cùmque elevassent procul óculos suos, non cognovérunt eum, & exclamantes ploravérunt, scissísque véstibus sparsérunt púlverem super caput suum in cœlum. Et sedérunt cum eo in terrâ septem diébus & septem nóctibus, & nemo loquebátur ei verbum: vidébant enim dolórem esse vehementem. Post hæc apéruit Job os suum, & maledixit diéi suo.

℟. Beátus homo qui corrípitur à Deo: increpatiónem ergo Dómini ne réprobes; * Quia ipse vúlnerat, & medétur; pércutit, & manus ejus sanábunt. ℣. Noli neglígere disciplínam Dómini, neque fatigéris, dum ab eo argúeris. * Quia. *Job.* 5. *Hebr.* 12.

LECTIO III.

Ex Libro sexto sancti Gregórii Papæ in Primum Regum. *Edit. Bened. Cap.* 2. *n.* 33.

TRia in unoquóque considerands sunt veráciter pœnitente, vidélicet convérsio mentis, conféssio oris, & vindícta peccáti. Nam qui corde non convértitur, quid prodest ei, si peccáta confiteátur? Peccátum, quod diligitur, confiténdo mínimè delétur. Nonnulli quidem sunt, qui peccáta confiténdo apériunt, sed non convertendo, nequáquam detestantur. Hi profectò confiténdo nihil agunt, quia quod loquendo ejíciunt, amando introdúcunt. Unde & salúbriter confitéri voléntibus Scriptúra insínuat, dicens: Corde créditur ad justítiam, ore autem conféssio fit ad salútem. Quid est corde crédere ad justítiam, nisi voluntátem dirígere ad fidem, per dilectiónem operantem? Cùm ergo quis cordis intentiónem ad justítiam per amórem dírigit, per inítium bonæ voluntátis, fructum habet bonæ conversiónis. Hic certè jam ad salútem confitétur: quia plus loquendo de vúlnere éjicit, quàm conversióne compunxit. Tértia ergo spécies, id est, vindícta: quasi medicína necessária est. Signum ergo veræ conféssiónis non est in oris confessióne, sed in afflictióne pœniténtiæ. Tunc namque bene convérsum peccatórem cérnimus, cùm dignâ afflictiónis austeritáte delére nítitur, quod loquendo confitétur. In fructu ergo, non

in fóliis aut ramis pœniténtia cognoſcenda eſt. Quaſi arbor quippe bona voluntas eſt. Confeſſiónis ergo verba quid ſunt áliud, niſi fólia? Non ergo nobis fólia propter ſeipſa, ſed propter fructum expetenda ſunt: quia idcirco omnis conféſſio peccatórum recípitur, ut fructus pœniténtiæ ſubſequátur.

℟. Si dixérimus quóniam peccátum non habémus, ipſi nos ſedúcimus. * Si confiteámur peccáta noſtra; fidélis eſt & juſtus Deus, ut remittat nobis peccáta noſtra. ℣. Qui abſcondit ſcélera ſua non dirigétur. * Si. ℣. Glória. * Si. *I. Joan.* 1. *Prov.* 28.

Ad Benedictus. *Ant.* Multi lepróſi erant in Iſrael ſub Eliſæo prophéta: & nemo eórum mundátus eſt, niſi Naáman Syrus. *Luc.* 4.

COLLECTA. *Sacr. Leon.*

OMnípotens ſempitérne Deus, † cujus propitiatiónem, in hâc primùm parte ſentímus, cùm ea quæ tibi ſunt plácita, & nobis ſalutária deſiderámus appétere; * mentes noſtras ad ópera tibi placitúra converte; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Tridéntino. *Seſſ.* 14. *Cap.* 5.

EX inſtitutióne ſacramenti pœniténtiæ univerſa Eccléſia ſemper intellexit, inſtitútam étiam à Dómino íntegram peccatórum confeſſiónem, & ómnibus poſt baptiſmum lapſis jure divíno neceſſáriam exíſtere: quia Dóminus noſter Jeſus Chriſtus, è terris aſcenſúrus ad cœlos, Sacerdótes ſuî ipsíus vicários relíquit, tamquàm præſides & júdices, ad quos ómnia mortália crímina deferantur, in quæ Chriſti fidéles cecíderint, quò pro poteſtáte clávium remiſſiónis aut retentiónis peccatórum ſenténtiam pronúntient.

Ad Magníficat. *Ant.* Duxérunt Jeſum uſque ad ſupercílium montis ut præcipitárent eum; ipſe autem tránſiens per médium illórum, ibat. *Luc.* 4.

COLLECTA. *Sacr. Leon.*

ERipe nos, Dómine, quæſumus, ab his quæ divínæ ſunt contrária voluntáti: † Et quia tui óperis eſt omne, quod vívimus; * præſta, ut tui fámuli tibi placére poſsímus; Per Dóminum.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

Ex Libro Job. *Cap.* 4.

REſpondens autem Eliphaz Themanítes, dixit: Si cœpérimus loqui tibi, fórſitan moleſtè ac-

cípies, sed conceptum sermónem tenére quis póterit? Ecce docuisti multos, & manus lassas roborasti: vacillantes confirmavérunt sermónes tui, & génua treméntia confortasti: nunc autem venit super te plaga, & defecisti; tétigit te, & conturbátus es. Ubi est timor tuus, fortitúdo tua, patiéntia tua, & perféctio viárum tuárum? Recordáre, óbsecro te, quis unquam ínnocens périit? aut quando recti deléti sunt? Quin pótiùs vidi eos qui operantur iniquitátem, & séminant dolóres, & metunt eos, flante Deo perisse, & spíritu iræ ejus esse consumptos. Porrò ad me dictum est verbum abscónditum, & quasi furtívè suscépit auris mea venas susurri ejus. Stetit quidam, cujus non agnoscébam vultum, imágo coram óculis meis, & vocem quasi auræ lenis audívi. Numquid homo, Dei comparatióne justificábitur, aut factóre suo púrior erit vir? Ecce qui sérviunt ei, non sunt stábiles, & in ángelis suis réperit pravitátem: quantò magis hi qui hábitant domos lúteas, qui terrénum habent fundamentum, consumentur velut à tíneâ?

℟. Deridétur justi simplícitas. * Lampas contempta apud cogitatiónes dívitum, paráta ad tempus statútum. ℣. Justus perit, & non est qui recógitet in corde suo. * Lampas. *Job*, 12. *Is.* 57.

LECTIO II. *Cap.* 6.

RESpondens autem Job, dixit: Utinam appenderentur peccáta mea, quibus iram mérui, & calámitas, quam pátior, in statérâ. Quasi aréna maris hæc grávior apparéret: unde & verba mea dolóre sunt plena: quia sagittæ Dómini in me sunt, quarum indignátio ébibit spíritum meum; & terróres Dómini mílitant contra me. Quis det ut véniat petítio mea: & quod exspecto tríbuat mihi Deus? Et qui cœpit, ipse me cónterat; solvat manum suam, & succídat me? Et hæc mihi sit consolátio, ut affligens me dolóre, non parcat, nec contradícam sermónibus Sancti. Quæ est enim fortitúdo mea ut sustíneam? aut quis finis meus ut patienter agam? Nec fortitúdo lápidum, fortitúdo mea, nec caro mea ænea est. Ecce non est auxílium mihi in me, & necessárii quoque mei recessérunt à me. Docéte me, & ego tacébo: & si quid fortè ignorávi, instrúite me. Quare detraxistis sermónibus veritátis, cùm è vobis nullus sit qui possit arguére me? Ad in-

crepandum tantùm elóquia concinnátis, & in ventum verba profertis. Super pupillum irrúitis, & subvértere nitímini amícum vestrum. Verúmtamen quod cœpistis, expléte: præbéte autem, & vidéte an méntiar. Respondéte, óbsecro, absque contentióne: & loquentes, id quod justum est, judicáte. Et non inveniétis in linguâ meâ iniquitátem, nec in fáucibus meis stultítia personábit.

℟. Respícite, filii, natiónes hóminum: * Et scitóte quia nullus sperávit in Dómino, & confúsus est. ℣. Patientes ígitur estóte & vos, & confirmáte corda vestra: * Et scitóte. *Eccli.* 2. *Jacob.* 5.

LECTIO III.

Ex Epístolâ Cleri Románi ad sanctum Cypriánum Epíscopum & Mártyrem. *Ep.* 31. *Edit. Baluz.* *An.* 251.

UBi póterit indulgéntiæ medicína profícere, si étiam ipse médicus intercéptâ pœniténtiâ indulget perículis, si tantúmmodo óperit vulnus, nec sinit necessária témporis remédia obdúcere cicatrícem? Hoc non est curáre, sed, si dícere verum vólumus, occídere. Non sit minor medicína quàm vulnus, non sint minóra remédia quàm fúnera: ut quémodo qui ruérunt, ob hoc ruérunt quòd cæcâ temeritáte nimis incauti fuérunt, ita qui hoc dispónere nitúntur, omni consiliórum moderámine utantur, ne quid non ut oportet factum, tamquàm írritum ab ómnibus judicétur. Uno ígitur eodemque consílio, iísdem précibus & flétibus tam nos, qui usque adhuc vidémur témporis istíus ruínas subterfugisse, quàm illi qui in has témporis videntur clades incidisse, Divínam majestátem deprecantes, pacem Ecclesiástico nómini postulémus. Mútuis votis nos ínvicem foveámus, custodiámus, armémus. Orémus pro lapsis ut erigántur; orémus pro stántibus ut non ad ruínas usque tenténtur; orémus ut, qui cecidisse referuntur, delícti sui magnitúdinem agnoscentes, intélligant non momentáneam neque præprόperam desideráre medicínam.

℟. Projícite à vobis omnes prævaricatiónes vestras, & fácite vobis cor novum, & spíritum novum; quia * Nolo mortem moriéntis, dicit Dóminus: revertímini, & vívite. ℣. Patienter agit Dóminus propter vos, nolens áliquos períre, sed omnes ad pœniténtiam revérti. * Nolo. ℣. Glória. * Nolo. *Ezech.* 18. *II. Petr.* 3.

Ad Benedictus. *Ant.* Ubi ſunt duo vel tres congregáti in nómine meo, ibi ſum in médio eórũ. *Matth.* 18.

COLLECTA. *Sacr. Gelaſ.*

DEus, qui per Verbum tuum humáni géneris reconciliatiónem mirabíliter operáris, † præſta quæſumus, ut ſancto jejúnio, & tibi toto ſimus corde ſubjecti, * & in tuâ nobis efficiámur prece concordes; Per eumdem.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 14. *Can.* 6.

SI quis negáverit confeſſiónem ſacramentálem vel inſtitútam, vel ad ſalútem neceſsáriam eſſe jure divíno; aut díxerit modum ſecrétè confitendi ſoli Sacerdóti, quem Eccléſia Cathólica ab inítio ſemper obſervávit & obſervat, álium eſſe ab inſtitutióne & mandáto Chriſti, & inventum eſſe humánum; Anáthema ſit.

Ad Magníficat. *Ant.* Petrus ad Jeſum dixit: Dómine, quóties peccábit in me frater meus, & dimittam ei? uſque ſépties? Dicit illi Jeſus: Non dico tibi uſque ſépties; ſed uſque ſeptuágies ſépties. *Matth.* 18.

COLLECTA. *Sacr. Leon.*

DOmine ſancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, † da ſervis tuis hunc caritátis affectum, ut bona pro malis réddere tuo incitentur exemplo, * & de inimícis ſuis correctióne magìs cúpiant, quàm ultióne gaudére; Per Dóminum.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

Ex Libro Job. *Cap.* 9.

ET reſpondens Job, ait: Verè ſcio quòd ita ſit, & quòd non juſtificétur homo compóſitus Deo. Si volúerit conténdere cum eo, non póterit ei reſpondére unum pro mille. Sápiens corde eſt, & fortis róbore: quis réſtitit ei, & pacem hábuit? Qui facit magna, & incomprehenſibília, & mirabília, quorum non eſt númerus. Si véneritad me, non vidébo eum: ſi abíerit, non intélligam. Si repentè intérroget, quis reſpondébit ei? vel quis dícere poteſt: Cur ita facis? Deus, cujus iræ nemo resíſtere poteſt, & ſub quo curvantur qui portant orbem. Quantus ergo ſum ego, ut reſpóndeam ei, & loquar verbis meis cum eo? Qui etiamſi habúero quidpiam juſtum, non reſpondébo, ſed meum júdicẽ deprecábor. Et cùm invocantem exaudíerit me, non credo quòd audíerit vocem meam. In túrbine enim cónteret me, & mul-

multiplicábit vúlnera mea étiã sine causâ.

℟. Semper quasi tumentes super me fluctus tímui Deum, & pondus ejus ferre non pótui. * Quid fáciam, cùm surréxerit ad judicandum Deus? & quid respondébo illi? ℣. Horrendum est incídere in manus Dei viventis. * Quid. *Job.* 31. *Hebr.* 10.

LECTIO II.

NOn concédit requiéscere spíritum meum, & implet me amaritudínibus. Si fortitúdo quæritur, robustíssimus est: Si æquitas judícii, nemo audet pro me testimónium dícere. Si justificáre me volúero, os meum condemnábit me: si innocentem osténdero, pravum me comprobábit. Etiã si simplex fúero, hoc ipsum ignorábit ánima mea, & tædébit me vitæ meæ. Unũ est quod locútus sum, & innocentem & ímpium ipse consúmit. Verébar ómnia ópera mea, sciens quòd non párceres delinquenti. Neque enim viro qui símilis meî est, respondébo: nec qui mecum in judício ex æquo possit audíri. Non est qui utrumque váleat argúere, & pónere manum suam in ambóbus. Auferat à me virgam suam, & pavor ejus non me térreat. Loquar, & non timébo eum: neque enim possum métuens respondére.

℟. Non intres in judícium cum servo tuo, Dómine; * Quia non justificábitur in conspectu tuo omnis vivens. ℣. Verébar ómnia ópera mea, sciens quòd non párceres delinquenti; * Quia. *Ps.* 142. *Job.* 2.

LECTIO III.

Ex Libro sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris de Lapsis. *Edit. Baluz.*

QUi peccantem blandiméntis adulántibus palpat, peccandi fómitem subminístrat: nec cómprimit delicta ille, sed nutrit. At qui consíliis fortióribus redárguit, simul atque ínstruit fratrem, prómovet ad salútem. Quos díligo, inquit Dóminus, redárguo & castígo. Sic oportet & Dei Sacerdótem non obséquiis decipiéntibus fállere, sed remédiis salutáribus providére. Imperítus est médicus, qui tumentes vúlnerum sinus, manu parcente contrectat, & in altis recéssibus víscerum virus inclúsum, dum servat, exággerat. Aperiendũ vulnus est & secandum, & putramínibus amputátis, medélâ fortióre curandum. Vociferétur & clamet licèt, & conquerátur æger impátiens per dolórem, grátias aget póstmodum cùm sénserit sanitátem. Emersit enim, fratres dilectíssimi,

novum genus cladis; & quasi parum persecutiónis procella sævíerit, accessit ad cúmulum sub misericórdiæ título malum fallens, & blanda perníciés. Contra Evangélii vigórem, contra Dómini ac Dei legē temeritáte quorumdam laxátur incautis communicátio: írrita & falsa pax periculósa dántibus, & nihil accipiéntibus profutúra. Nō quærunt sanitátis patiéntiam, nec veram de satisfactióne medicínam. Pœniténtia de pectóribus excussa est, gravíssimi extremíque delicti memória sublára est. Operiuntur moriéntium vúlnera: & plaga lethális altis & profundis viscéribus infixa, dissimuláto dolóre contégitur. Ante expiáta delicta, ante exomologésin factam críminis, ante purgátam consciéntiā sacrificio & manu Sacerdótis, ante offensam placátam indignantis Dómini & minantis, vis infertur córpori ejus & sánguini, & plus modò in Dóminum mánibus atque ore delinquunt, quàm cùm Dóminum negavérunt.

℟. Fácite fructus dignos pœniténtiæ; * Jam enim secúris ad radícem árborum pósita est. † Omnis arbor non fáciens fructum bonum, excidétur, & in ignem mittétur. ℣. Altíssimus misertus est pœniténtibus: ímpiis & peccatóribus reddet vindictam; * Jam enim. ℣. Glória. † Omnis. *Luc.* 3. *Eccli.* 12.

Ad Benedictus. *Ant.* Cæcus si cæco ducátum præstet, ambo in fóveam cadunt. *Matth.* 15.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

HUjus nobis parsimóniæ, quæsumus, Dómine, præbe mensúram: † ut quod licéntiæ carnis auférimus, * salutárem nobis fructum mentis adquírat; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 14. *Cap.* 5.

CUm universa mortália peccáta, étiam cogitatiónes, hómines iræ filios & Dei inimícos reddant, necessum est ómnium étiam véniam, cum apertâ & verecúndâ confessióne, à Deo quærere. Itaque dum ómnia quæ memóriæ occurrunt peccáta Christi fidéles confitéri student, procul dúbio ómnia divínæ misericórdiæ agnoscenda expónunt: qui verò secùs fáciunt, & scienter áliqua rétinent, nihil divínæ bonitáti per Sacerdótem remittendum propónunt.

Ad Magníficat. *Ant.* De corde éxeunt cogitatiónes malæ, homicídia, adultéria; hæc sunt quæ coínquinant hóminem: non lotis

autem mánibus manducáre, non coínquinat hóminem. *Matth.* 15.

Collecta. *Sacr. Gelas.*

DEus, qui nos formam humilitátis jejunando & orando, Unigéniti tui Dómini nostri imitatióne, docuísti: † concéde, quǽsumus, ut quod ille jugi jejuniórum continuatióne complévit: * nos quoque per partes diérum fácias adimplére; Per eumdem.

FERIA QUINTA.

Lectio I.

Ex Libro Job. *Cap.* 11 & 12.

REspondens autem Sophar Naamathítes, dixit: Numquid qui multa lóquitur, non & áudiet? aut vir verbósus justificábitur? Tibi soli tacébunt hómines? Et cùm cæteros irríseris, à nullo confutáberis? Dixisti enim: Purus est sermo meus, & mundus sum in conspectu tuo. Atque útinam Deus loquerétur tecum, & aperíret lábia sua tibi; ut osténderet tibi secréta sapiéntiæ, & quòd múltiplex esset lex ejus, & intellígeres quòd multò minóra exigáris ab eo, quàm merétur iníquitas tua. Respondens autem Job, dixit: Ergo vos estis soli hómines, & vobiscum moriétur sapiéntia? Et mihi est cor, sicut & vobis, nec inférior vestrî sum: quis enim hæc quæ nostis, ignórat? Qui derridétur ab amíco suo, sicut ego, invocábit Deum & exáudiet eum: deridétur enim justi simplícitas. Lampas contempta apud cogitatiónes dívitum, paráta ad tempus statútum.

℟. Quare detraxistis sermónibus veritátis, * Cùm è vobis nullus sit qui possit argúere me? ℣. Quis ex vobis árguet me de peccáto? Si veritátem dico vobis, quare non créditis mihi? * Cùm. *Job.* 6. *Joan.* 8.

Lectio II. *Cap.* 12.

QUis ignórat quòd ómnia manus Dómini fécerit? in cujus manu ánima omnis viventis, & spíritus universæ carnis hóminis. Apud ipsum est fortitúdo & sapiéntia: ipse novit & decipiéntem, & eum qui décipitur. Addúcit consiliários in stultum finem, & júdices in stupórem. Bálteum regum dissolvit, & præcingit fune renes eórum. Ducit sacerdótes inglórios, & optimátes supplantat: commútans lábium verácium, & doctrínam senum áuferens. Effundit despectiónem super príncipes, eos qui oppressi fúerant, rélevans. Qui revélat profunda de ténebris, & prodúcit in lu-

cem umbram mortis. Qui multíplicat gentes & perdit eas, & subversas in integrum restítuit. Qui immútat cor príncipum pópuli terræ, & décipit eos ut frustra incédant per ínvium: palpábunt quasi in ténebris, & non in luce, & erráre eos fáciet quasi ébrios.

℟. Apud ipsum est sapiéntia & fortitúdo; ipse habet consílium & intelligéntiam. * Si destrúxerit, nemo est qui ædíficet; si inclúserit hóminem, nullus est qui apériat. ℣. Aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo áperit. * Si destrúxerit. *Job.* 12. *Apoc.* 3.

LECTIO III.

Ex Sermóne octávo sancti Ambrósii Epíscopi in Psalmum centésimum décimum octávum. *Ed. Bened. n.* 26.

IN ipsâ Ecclésiâ, ubi máximè miseréri decet, tenéri quàm máximè debet forma justítiæ; ne quis à communiónis consórtio abstentus, brevi lacrymulâ, atque ad tempus parátâ, vel étiam uberióribus flétibus communiónem, quam plúrimis debet postuláre tempóribus, facilitáte Sacerdótis extórqueat. Nonne cùm uni indulget indígno, plúrimos facit ad prolapsiónis contágium provocári? Facílitas enim véniæ incentívum tríbuit delinquendi. Hoc eo dictum est, ut sciámus secundùm verbum Dei, secundùm ratiónem, dispensandam esse misericórdiam debitóribus. Médicus ipse si serpentis intériùs invéniat vúlneris cicatrícem, cùm débeat resecáre úlceris vítium, ne látiùs serpat; tamen à secandi urendíque propósito lácrymis inflexus ægróti, medicaméntis tegat quod ferro aperiendum fuit: nonne ista inútilis misericórdia est, si propter brevem incisiónis vel exustiónis dolórem corpus omne tabescat, vitæ usus intéreat? Rectè ígitur & Sacerdos vulnus grave, ne látiùs serpat, à toto córpore Ecclésiæ quasi bonus médicus debet abscíndere, & pródere virus críminis quod latébat, non fovére; ne, dum unum excludendum non putat, plures fáciat dignos quos exclúdat ab Ecclésiâ.

℟. Emundáte manus, peccatóres; & purificáte corda, dúplices ánimo. * Míseri estóte, & lugéte, & ploráte: risus vester in luctum convertátur, & gáudium in mœrórem. ℣. Quæ secundùm Deum tristítia est, pœniténtiam in salútem stábilem operátur. * Míseri. ℣. Glória. * Míseri. *Jac.* 4. *II. Cor.* 7.

Ad Benedictus. *Ant.* Omnes qui habébant infirmos váriis languóribus, ducé-

bant illos ad Jesum. At ille síngulis manus impónens, curábat eos. *Luc.* 4.

Collecta. *Sacr. Leon.*

SUpplices te rogámus, omnípotens Deus, † ut quia sine te non potest sólida constáre devótio, * & firmis perseverántiam, & resipiscéntiam largiáris infirmis; Per Dóminum.

Canon.

Ex Concílio Mediolanensi. *An.* 1565. *Part.* 2. *Can.* 6.

AD sacramentum pœniténtiæ, quo à peccátis liberámur, nemo sine débitâ præparatióne accédat; ut in spíritu humilitátis, & amaritúdine ánimæ suæ, non exspectátâ Confessóris interrogatióne, ipse peccáta sua confitéri possit: cujus tamen diligéntiâ adjuvandus erit, ubi áliquâ in parte defícere vidétur.

Ad Magníficat. *Ant.* Exíbant dæmónia à multis, clamántia & dicéntia: Quia tu es fílius Dei: & íncrepans, non sinébat ea loqui, quia sciébant ipsum esse Christum. *Luc.* 4.

Collecta. *Sacr. Greg.*

SUbjectum tibi pópulum, quæsumus, Dómine, † propitiátio cœléstis amplíficet, * & tuis semper fáciat servíre mandátis; Per Dóminum.

FERIA SEXTA.

Lectio I.

Ex Libro Job. *Cap.* 15.

REspondens autem Elíphaz Themanítes, dixit: Numquid sápiens respondébit quasi in ventum loquens, & implébit ardóre stómachum suum? Arguis verbis eum qui non est æquális tibi, & lóqueris quod tibi non éxpedit. Quantùm in te est, evacuásti timórem, & tulísti preces coram Deo. Dócuit enim iníquitas tua os tuum, & imitáris linguam blasphemántium. Condemnábit te os tuum, & non ego: & lábia tua respondébunt tibi. Quid te élevat cor tuum, & quasi magna cógitans, adtónitos habes óculos? Quid tumet contra Deum spíritus tuus, ut próferas de ore tuo hujuscémodi sermónes? Quid est homo, ut immaculátus sit, & ut justus appáreat natus de muliere? Ecce inter sanctos ejus nemo immutábilis, & cœli non sunt mundi in conspectu ejus. Quantò magìs abominábilis & inútilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitátem?

℟. Deus, cujus iræ nemo resístere potest, & sub quo curvantur qui portant orbem. * Quantus ergo sum ego, ut respóndeam

ei, & loquar verbis meis cum eo? ℣. Verè scio quòd non justificétur homo, compósitus Deo. * Quantus. *Job, 9.*

LECTIO II. *Cap. 16.*

REspondens autem Job, dixit: Rugæ meæ testimónium dicunt contra me, & suscitátur falsíloquus adversùs fáciem meã contradícens mihi. Collégit furórem suum in me, & cómminans mihi, infrémuit contra me déntibus suis: hostis meus terribílibus óculis me intúitus est. Aperuérunt super me ora sua, & exprobantes percussérunt maxillam meam, satiáti sunt pœnis meis. Conclúsit me Deus apud iníquum, & mánibus impiórum me trádidit. Ego ille quondam opulentus, repentè contrítus sum; ténuit cervícem meam, confrégit me, & pósuit me sibi quasi in signum. Saccum cónsui super cutem meam, & opérui cínere carnem meam. Fácies mea intúmuit à fletu, & pálpebræ meæ caligavérunt. Hæc passus sum absque iniquitáte manûs meæ, cùm habérem mundas ad Deum preces. Terra ne opérias sánguinem meum, neque invéniat in te locum latendi clamor meus. Ecce enim in cœlo testis meus, & cónscius meus in excelsis.

℟. Circúmdedit me Deus lánceis suis, convulnerávit lumbos meos; * Non pepercit, & effúdit in terrâ víscera mea. ℣. Concídit me vúlnere super vulnus; írruit in me quasi gigas. * Non pepercit. *Job, 16.*

LECTIO III.

Ex Sermóne ducentésimo septuagésimo octávo sancti Augustíni Epíscopi de vocatióne Pauli. *Edit. Bened. Cap. 3. 4 & 5.*

SI citò redíret homo ad prístinam beatitúdinem, ludus illi esset peccando cádere in mortem. Cécidit quisque verbi grátiâ, in morbum córporis per intemperántiam, natum est illi áliquid in córpore, quod opus est étiam secári: sine dúbio dolóres passúrus est: sed dolóres illi non erunt infructuósi. Si dolóres sectiónis pati non vult, vermes putrédinis patiétur. Incipit ergo dícere médicus: Observa illud atque illud, hoc noli tángere, noli cibo isto uti vel potu, inquiétus esse ad illam rem noli. Incipit fácere, jam obsérvans est præceptórum; sed nondum sanus. Si ergo ille pósitus in úlcere pútrido dicat: Quid mihi prodest, quia obsérvo præcepta, si dolóres pátior sectiónis? Respondétur: Sed utróque curáberis, & ob-

servántiâ præceptórum, & tolerántiâ dolórum. Tantum est enim quod fecisti tibi, non observando cùm sanus esses. Sic venit ad afflictum & laborantem médicus Christus, qui ait: Non est opus sanis médicus, sed malè habéntibus. Non veni vocáre justos, sed peccatóres. Vocat peccatóres ad pacem, vocat ægrotantes ad sanitátem. Imperat fidem, ímperat continéntiam, temperántiam, sobrietátem, refrénat concupiscéntiam avarítiæ: dicit quid faciámus, quid observémus. Qui observat hæc, jam potest dici justè vivere secundùm præceptum medicínæ.

℟. Defécit gáudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster, cécidit coróna cápitis nostri: * Væ nobis quia peccávimus. ℣. Multiplicátæ sunt iniquitátes nostræ coram te, Dómine, & peccáta nostra respondérunt nobis; quia scélera nostra nobiscum, & iniquitátes nostras cognóvimus. * Væ. ℣. Glória. * Væ. *Thren.* 5. *Isai.* 59.

Ad Benedictus. *Ant.* Spíritus est Deus; & eos qui adórant eum, in spíritu & veritáte oportet adoráre. Nam & Pater tales quærit, qui adórent eum. *Joan.* 4.

Collecta. *Sacr. Leon.*

PRæsta nobis, Dómine, quæsumus, auxílium grátiæ tuæ; † ut sine quâ nihil boni póssumus, * eâdem largiente, digné, quæ tua sunt, & cogitáre valeámus & fácere; Per Dóminum.

Canon.

Ex Canónibus Isáaci Lingonensis Epíscopi. *An.* 858. *Tit.* 1. *Cap.* 16.

PŒnitentes, qui ex gravióribus commissis pœniténtiam gerunt, si ex corde pœníteant; sicut Nicæna Synodus de lapsis constituit, tribus annis sint inter audientes, quinque verò, vel septem annis subjáceant inter pœnitentes mánibus sacerdótum, duóbus étiam oblatiónes non sinantur offerre, sed tantùm pópulis in oratióne socientur. Non confundantur Deo colla submíttere, qui eum non timuérunt abnegáre.

Ad Magníficat. *Ant.* Meus cibus est ut fáciam voluntátem ejus qui misit me, ut perfíciam opus ejus. *Joan.* 4.

Collecta. *Sacr. Greg.*

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, † ut qui in tuâ protectióne confídimus, * cuncta nobis adversántia te adjuvante vincámus; Per Dóminum.

SABBATO.

LECTIO I.

Ex Libro Job. *Cap.* 18 *&* 19.

RESpondens autem Baldad Suhítes, dixit: Usque ad quem finem verba jactábitis? Intellígite priùs & sic loquámur. Quare reputáti sumus ut juménta, & sordúimus coram vobis? Qui perdis ánimam tuam in furóre tuo, numquid propter te derelinquétur terra, & transferentur rupes de loco suo? Nonne lux ímpii exstinguétur, nec splendébit flamma ignis ejus? Lux obtenebréscet in tabernáculo illíus; & lucerna, quæ super eum est, exstinguétur. Respondens autem Job, dixit: Usquequò afflígitis ánimam meam, & adtéritis me sermónibus? En, décies confúnditis me, & non erubéscitis opprimentes me. Nempè, etsi ignorávi, mecum erit ignorántia mea. At vos contra me erigímini, & argúitis me oppróbriis meis. Saltem nunc intellígite, quia Deus non æquo judício afflíxerit me, & flagellis suis me cínxerit.

℟. Quis ex vobis árguet me de peccáto? * Si veritátem dico vobis, quare non créditis mihi. ℣. Quare detraxistis sermónibus veritátis, cùm è vobis nullus sit qui possit argúere me? * Si. *Joan.* 8. *Job.* 6.

LECTIO II. *Cap.* 19.

DEreliquérunt me propinqui mei: & qui me nóverant, oblíti sunt meî. Inquilíni domûs meæ, & ancillæ meæ, sicut aliénum habuérunt me, & quasi peregrínus fui in óculis eórum. Servum meum vocávi, & non respondit, ore próprio deprecábar illum. Hálitum meum exhórruit uxor mea, & orábam filios úteri mei. Stulti quoque despiciébant me, & cum ab eis recessissem, detrahébant mihi. Abomináti sunt me quondam consiliárii mei: & quem máximè diligébam, aversátus est me.

℟. Qui vidébant me foràs, fugérunt à me. * Extráneus factus sum frátribus meis, & peregrínus fíliis matris meæ. ℣. Sustínui qui simul contristarétur, & non fuit: & qui consolarétur, & non invéni. * Extráneus. *Ps.* 30 *&* 68.

LECTIO III.

Ex Homíliâ vigésimâ nonâ sancti Cæsárii Arelatensis Epíscopi. *Tom.* 8. *Bibl. Patr. VI. Sec.*

NOn putémus tam fácilè remitti posse admissa semel crímina, & profundo vúlnere in ánimæ impressa viscéribus. Mul-

tum opus est fletûs, multus gémitus, multæ contritiónes córporis ad sanandos ipsos dolóres cordis. Totâ incumbendum est spíritûs compunctióne, ut vetusta mala tamquàm sagittæ quædam de consciéntiæ viscéribus evellantur. Non súfficit summis lábiis dícere: Peccávi, parce & remitte. Et Saül dicébat: Peccávi: sed non obtínuit illam véniam quam David unâ pœniténtiæ voce proméruit. Et hoc quare? Quia confessiónem illam nudam magìs, quàm veri gémitûs exprimébat: quia non compensâbátur cum magnitúdine críminis levis humiliátio supplicantis. Non levi agendum est contritióne, ut débita illa redimantur, quibus mors æterna debétur: nec transitóriâ opus est satisfactióne, pro malis illis propter quæ parátus est ignis æternus. Si vólumus intellígere quàm graves apud se fáciat judex noster hóminum culpas, respiciámus ad pœnas. Quantùm enim nunc pátiens est Deus noster, in sustinendis delíctis nostris: tantùm sevérus erit, in discutiendis áctibus nostris. Et sicut inæstimábilem parávit ímprobis pœnam, ita inenarrábilem justis collatúrus est glóriam. Ergo suppliciórum acerbitátem è contrário de præmiórum magnitúdine colligámus. Quia qui novit remuneráre mérita, novit puníre delicta.

℟. Quia pátiens Dóminus est, in hoc ipso pœniteámus; * Et † Indulgéntiam ejus fusis lácrymis postulémus. ℣. Mundémus nos ab omni inquinamento carnis & spíritûs; * Et indulgéntiam. ℣. Glória. † Indulgéntiam. *Judith.* 8. *II. Cor.* 7.

Ad Benedictus. *Ant.* Nemo te condemnávit, múlier? Nemo, Dómine. Nec ego te condemnábo: Vade, & jam ampliùs noli peccáre. *Joan.* 8.

Collecta. *Sacr. Greg.*

DA pópulo tuo, quæsumus, Dómine, spíritum veritátis & pacis, † ut & te totâ mente cognoscat, * & quæ tibi sunt plácita, toto corde sectétur; Per Dóminum.

CANON.

Ex Canónibus Isáaci Lingonensis Epíscopi. *An.* 858. *Tit.* 1. *Cap.* 29.

TEmpora pœnitúdinis hábitâ moderatióne & arbítrio sunt constituenda, prout conversórum ánimos Sacerdótes víderint esse devótos: páriter étiam habentes ætátis senílis intúitum, & periculórum quorumque, aut ægritúdinum respicientes necessitátes.

vocantem exaudíerit me, non credo quòd audíerit vocem meam. ℣. Etiam si simplex fúero, hoc ipsum ignorábit ánima mea, * Et cùm. ℣. Glória. * Et cùm. *Job. 9.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio V.

Ex Libro octávo Confessiónum sancti Augustíni Epíscopi. *Edit. Bened. Cap. 5.*

EGo suspirábam ligátus, non ferro alièno, sed meâ férreâ voluntáte. Velle meum tenébat inimícus, & inde mihi caténam fécerat, & constrínxerat me. Quippe ex voluntáte perversâ, facta est libído. Et dum servítur libídini, facta est consuetúdo. Et dum consuetúdini non resístitur, facta est necéssitas. Quibus quasi ánsulis sibi innexis, unde caténam appellávi, tenébat me obstrictum dura sérvitus.

℟. Ego carnális sum venúmdatus sub peccáto. * Scio enim quia non hábitat in me, hoc est, in carne meâ bonum. ℣. De necessitátibus meis érue me, Dómine: vide humilitátem meam & labórem meum; * Scio. *Rom. 7. Ps. 24.*

Lectio VI.

VOluntas autem nova quæ mihi esse cœperat ut te gratìs cólerem, fruíque te vellem, Deus solâ certa jocúnditas, nondum erat idónea ad superandam priórem vetustáte roborátam. Ita duæ voluntátes meæ, una vetus, ália nova; illa carnális, illa spirituális, confligébant inter se; atque discordando dissipábant ánimam meam. Ego autem adhuc terrâ obligátus militáre tibi recusábam, & impedimentis ómnibus sic timébam expedíri quemádmodum impedíri timendum est.

℟. Velle ádjacet mihi: perfícere autem bonum non invénio: * Non enim quod volo bonum, hoc fácio: sed quod nolo malum, hoc ago. ℣. Igitur ego ipse mente sérvio legi Dei: carne autem legi peccáti. * Non enim. *Rom. 7.*

Lectio VII.

ITa sárcinâ séculi, velut somno ádsolet, dúlciter premébar, & cogitatiónes quibus meditábar in te, símiles erant conátibus expergísci voléntium, qui tamen superáti sopóris altitúdine remerguntur. Ita certum habébam esse mélius tuæ caritáti me dédere, quàm meæ cupiditáti cédere. Sed illud placébat, & vincébat; hoc libébat, & vinciébat. Non enim erat quod tibi respondérem dicenti mihi: Surge qui dormis, & exsurge à mórtuis,

& illuminábit te Christus: & úndique ostendenti vera te dícere, non erat omníno quod respondérem veritáte convíctus, nisi tantùm verba lenta & somnolenta: Modò, ecce modò: Sine páululum. Sed Modò & modò non habébant modum: Et, Sine páululum, in longum ibat.

℟. Condeléctor legi Dei secundùm interiórem hóminem: * Vídeo autem áliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccáti. ℣. Concupívit ánima mea desideráre justificatiónes tuas, Dómine; * Vídeo. *Rom.* 7. *Ps.* 118.

LECTIO VIII.

FRustrà condelectábar legi tuæ secundùm interiórem hóminem, cùm lex ália in membris meis repugnáret legi mentis meæ, & captívum me dúceret in legem peccáti, quæ in membris meis erat. Lex enim peccáti est violéntia consuetúdinis, quâ tráhitur & tenétur étiam invítus ánimus, eo mérito, quo in eam volens illábitur. Míserum ergo me quis liberáret de córpore mortis hujus, nisi grátia tua per Jesum Christum Dóminum nostrum?

℟. Infélix ego homo, * Quis me liberábit de córpore mortis hujus? † Grátia Dei per Jesum Christum Dóminum nostrum. ℣. Invénio legem, volenti mihi fácere bonũ, quóniam mihi malum ádjacet. * Quis. ℣. Glória. † Grátia. *Rom.* 7.

IN III. NOCTURNO.

Cantica, Ant. & ℣. ut in Dominicâ primâ Quadragesimæ, pag. 170.

LECTIO IX.

Ex Epístolâ secundâ beáti Petri Apóstoli. *Cap.* 3.

HAnc ecce vobis, caríssimi, secundam scribo Epístolam, in quibus vestram éxcito in commonitióne sincéram mentem; ut mémores sitis eórum, quæ prædixi, verbórum à sanctis Prophétis, & Apostolórum vestrórum, præceptórum Dómini & Salvatóris. Hoc primùm sciéntes, quòd vénient in novíssimis diébus in deceptióne illusóres juxta próprias concupiscéntias ambulantes, dicentes: Ubi est promíssio, aut adventus ejus? ex quo enim patres dormiérunt, ómnia sic persevérant ab inítio creatúræ.

℟. Spíritus manifestè dicit, quia in novíssimis tempóribus discédent quidam à fide, adtendentes spirítibus erróris, & doctrínis dæmoniórum. * Et hos devíta. ℣. Erunt hómines voluptátum amatóres magis

quàm Dei, habentes spéciem quidem pietátis, virtútem autem ejus abnegántes. * Et hos. *I. Tim.* 4. *II. Tim.* 3.

LECTIO X.

LAtet enim eos hoc volentes, quòd cœli erant priùs, & terra, de aquâ & per aquam consistens Dei verbo: per quæ, ille tunc mundus aquâ inundátus périit. Cœli autem qui nunc sunt, & terra, eódem verbo repósiti sunt, igni reservάti in diem judícii, & perditiónis impiórum hóminum. Unum verò hoc non láteat vos, caríssimi, quia unus dies apud Dóminum sicut mille anni, & mille anni sicut dies unus. Non tardat Dóminus promissiónem suam, sicut quidam exístimant: sed patienter agit propter vos, nolens áliquos períre, sed omnes ad pœniténtiam reverti.

℟. Misericórdia & ira à Dómino citò próximant & in peccatóres réspicit ira illíus. * Non tardes converti ad Dóminum; súbitò enim véniet ira ejus, & in témpore vindíctæ dispérdet te. ℣. An divítias bonitátis ejus, & patiéntiæ, & longanimitátis contemnis? Ignóras quóniam benígnitas Dei ad pœniténtiam te addúcit? * Non. *Eccli.* 5. *Rom.* 2.

LECTIO XI.

ADvéniet autem dies Dómini ut fur: in quo cœli magno ímpetu tránsient, elementa verò calóre solventur, terra autem & quæ in ipsâ sunt ópera, exurentur. Cùm ígitur hæc ómnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversatiónibus & pietátibus, exspectantes & properantes in adventum diéi Dómini, per quem cœli ardentes solventur, & elementa ignis ardóre tabescent? Novos verò cœlos, & novam terram secundùm promíssa ipsíus exspectámus, in quibus justítia hábitat.

℟. Ipsi diligenter scitis, quia dies Dómini, sicut fur in nocte, ita véniet. * Vos autem, fratres, non estis in ténebris, ut vos dies illa tamquàm fur comprehendat. ℣. Cùm díxerint, pax, & secúritas: tunc repentínus eis supervéniet intéritus, & non effúgient. * Vos. *I. Thess.* 5.

LECTIO XII.

PRopter quod, caríssimi, hæc exspectantes, satágite immaculáti, & inviolάti ei inveníri in pace. Et Dómini nostri longanimitátem, salútem arbitrémini: sicut & caríssimus frater noster Paulus secundùm datam sibi sapiéntiam scripsit vobis. Sicut & in

omnibus epístolis, loquens in eis de his in quibus sunt quædam difficília intellectu, quæ indocti & instábiles deprávant, sicut & cæteras Scriptúras, ad suam ipsórum perditiónem. Vos igitur, fratres, præscientes custodíte; ne insipiéntium erróre tradućti excidátis à própriâ firmitáte. Créscite verò in grátiâ, & in cognitióne Dómini nostri, & Salvatóris Jesu Christi. Ipsi glória & nunc, & in diem æternitátis. Amen.

℟. Vosmetipsos in dilectióne Dei serváte, * Exspectantes misericórdiam Dómini nostri Jesu Christi † In vitam æternam. ℣. Abnegantes impietátem, & seculária desidéria, sóbriè, & justè, & piè vivámus in hoc século, * Exspectantes. ℣. Glória. † In vitam. *Jud.* ℣. 21. *Tit.* 2.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joannem.

Cap. 6.

ABiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tiberíadis: & sequebátur eum multitúdo magna, quia vidébant signa, quæ faciébat super his qui infirmabantur. Súbiit ergo in montem Jesus: & ibi sedébat cum discípulis suis. Erat autem próximum Pascha, dies festus Judæórum. Cùm sublevasset ergo óculos Jesus, & vidisset quia multitúdo máxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Unde emémus panes, ut mandúcent hi? Hoc autem dicébat tentans eum: ipse enim sciébat quid esset factúrus. Respondit ei Philippus: Ducentórum denariórum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque módicum quid accipiat. Dicit ei unus ex discípulis ejus, Andreas frater Simónis Petri: Est puer unus hìc, qui habet quinque panes hordeáceos, & duos pisces: sed hæc quid sunt inter tantos? Dixit ergo Jesus: Fácite hómines discúmbere. Erat autem fœnum multū in loco. Discubuérunt ergo viri, número quasi quinque míllia. Accépit ergo Jesus panes: & cùm grátias egisset, distríbuit discumbéntibus: simíliter & ex píscibus quantùm volébant. Ut autem impléti sunt, dixit discípulis suis: Collígite quæ superavérunt fragmenta, ne péreant. Collegérunt ergo, & implevérunt duódecim cóphinos fragmentórum, ex quinque pánibus hordeáceis, quæ superfuérunt his qui manducáverant. Illi ergo hómines cùm vidissent quod Jesus fécerat signum, dicébant: Quia hic est verè Prophéta, qui ventúrus est in mundum. Jesus ergo cùm cognovisset, quia ventúri essent, ut ráperent

eum, & fácerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.

AD LAUDES.

Antiphona ut in Psalterio.

LECTIO. *I. Joan. 1.*

SI confiteámur peccáta nostra; fidélis est Deus & justus, ut remittat nobis peccáta nostra, & emundet nos ab omni iniquitáte. Si dixérimus quóniam non peccávimus; mendácem fácimus eum, & verbum ejus non est in nobis.

℟. *br. & Hymnus, ut suprà in Feriis Quadragesimæ, pag.* 154.

℣. Dómine, ante te omne desidérium meum; ℟. Et gémitus meus à te non est abscónditus. *Ps.* 37.

Ad Benedictus. *Ant.* Sequebátur Jesum multitúdo magna, quia vidébant signa, quæ faciébat super his qui infirmabantur. *Joan.* 6.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

COncéde, quæsumus, omnípotens Deus, † ut qui ex mérito nostræ actiónis affligimur, * tuæ grátiæ consolatióne respirémus; Per Dóminum.

AD HORAS, *Antiphona ut in Psalterio.*

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Canónibus Isáaci Lingonensis Epíscopi. *An.* 858. *Tit.* 1. *Cap.* 39.

QUalis peccáti adhibenda sit medicína, secundùm Cánonum authenticórum & sanctórum Patrum esse debet institutiónem; & non secundùm plácitum hóminis: sed secundùm Dei voluntátem: nec in hâc parte voluntas aut grátia hóminis sectanda est, sed voluntas Dei in ómnibus exquirenda.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Tob.* 4.

EX substántiâ tuâ fac eleemósynam, & noli avértere fáciem tuam ab ullo páupere: ita enim fiet ut nec à te avertátur fácies Dómini. † Quómodo potúeris, ita esto miséricors: si multum tibi fúerit, abundanter tríbue; si exíguum tibi fúerit, étiam exíguum libenter impertíri stude. * Præmium enim bonum tibi thesaurízas in die necessitátis.

℣. Beátus qui intélligit super egénum & páuperem; ℟. In die malâ liberábit eum Dóminus. *Ps.* 40.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Tob.* 12.

BOna est orátio cum jejúnio, & eleemósyna magis quàm thesauros auri recóndere: † quóniam eleemósyna à morte líberat, & ipsa est quæ purgat peccáta, & facit invenire misericórdiam & vitam æternam. * Qui autem fáciunt peccátum & iniquitátem, hostes sunt ánimæ suæ.

ninus amat judí-
non dereliriquet
os; ℟. In ætérnű
untur. *Ps.* 36.

NONAM.

o. *II. Cor.* 8.

enti témpore ve-
undántia illórum
súppleat: † ut &
bundántia vestræ
supplementum,*
álitas, sicut scri-
: Qui multum,
ávit; & qui mó-
ion minorávit.
lius est módicum
. Super divítias
m multas. *Ps.* 36.

ESPERAS.

IPHONÆ.

t in montem Je-
, & ibi sedébat
ulis suis. Erat au-
mum Pascha, dies
æórum. *Joan.* 6.
m vidisset Jesus
itúdo máxima ve-
m, dixit ad Phi-
Unde emémus pa-
andúcent hi? Hoc
icébat, tentans
se enim sciébat
factúrus. *Joan.* 6.
ceptis Jesus quin-
us & duóbus pís-
spexit in cœlum,
xit illis, & fregit,
it discípulis suis,
ent ante turbas.

cit Jesus: Collígi-
peravérunt frag-
menta, ne péreant. Collegé-
runt ergo, & implevérunt
duódecim cóphinos frag-
mentórum. *Joan.* 6.

LECTIO. *II. Cor.* 9.

QUi parcè séminat, par-
cè & metet; & qui sé-
minat in benedictiónibus,
de benedictiónibus & me-
tet. † Unusquisque prout
destinávit in corde suo,
non ex tristítiâ aut ex ne-
cessitáte: * hílarem enim
datórem díligit Deus.

℟. *br. & Hymnus, ut suprà in Feriis Quadragesimæ, pag.* 155.

℣. Confiteantur Dómino misericórdiæ ejus; ℟. Et mirabília ejus fíliis hóminum. *Ps.* 106.

Ad Magníficat. *Ant.* Illi ergo hómines cùm vidissent quod Jesus fécerat signum, dicébant: Quia hic est verè Prophéta qui ventúrus est in mundum. *Joan.* 6.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

Ex Libro Job. *Cap.* 27.

ADdidit quoque Job, assúmens parábolam suam, & dixit: Vivit Deus, qui ábstulit judícium meű, & Omnípotens, qui ad amaritúdinem adduxit ánimam meam. Quia donec superest hálitus in me, & spíritus Dei in náribus meis, non loquentur lábia mea iniquitátē, nec lingua mea

meditábitur mendácium. Absit à me ut justos vos esse júdicem : donec defíciam, non recédam ab innocéntiâ meâ. Justificatiónem meam, quam cœpi tenére, non déseram : neque enim reprehendit me cor meum in omni vitâ meâ. Sit ut ímpius, inimícus meus ; & adversárius meus quasi iníquus. Quæ est enim spes hypócritæ si avárè rápiat, & non líberet Deus ánimam ejus ? Numquid Deus áudiet clamórem ejus cùm vénerit super eum angústia ? aut póterit in Omnipotente delectári, & invocáre Deum omni témpore ?

℟. Etiam si occíderit me Deus, in ipso sperábo : * Verúmtamen vias meas in conspectu ejus árguam. ℣. Si fúero judicátus, scio quòd justus invéniar : * Verúmtamen. *Job.* 13.

LECTIO II.

DOcébo vos per manum Dei quæ Omnípotens hábeat, nec abscondam. Ecce, vos omnes nostis, & quid sine causâ vana loquímini ? Hæc est pars hóminis ímpii apud Deum, & hæréditas violentórum, quam ab Omnipotente suscípient. Si multiplicáti fúerint filii ejus, in gládio erunt, & nepótes ejus non saturabúntur pane. Qui réliqui fúerint ex eo, sepeliéntur in intéritu, & víduæ illíus non plorábunt. Si comportáverit quasi terram argentum, & sicut lutum præparáverit vestimenta : præparábit quidem, sed justus vestiétur illis ; & argentum ínnocens dívidet. Dives cùm dormíerit, nihil secum áuferet : apériet óculos suos, & nihil invéniet.

℟. Dives cùm interíerit, non sumet ómnia, * Neque descendet cum eo glória ejus. ℣. Sicut flos fœni transíbit ; * Neque. *Ps.* 48. *Jac.* 1.

LECTIO III.

Ex Libro secundo Strómatum sancti Clementis Alexandríni. *Edit. Oxon. III. Sec. n.* 13.

COntinuæ & se vicissim excipientes propter peccáta pœniténtiæ, nihil dífferunt ab iis, qui omníno non credidérunt, præterquam in eo solo, quòd se peccáre sensérunt : neque scio utrum sit detérius, prudentemne ac sciéntem peccáre ; an cùm pro iis quæ peccávit pœniténtiâ ductus fúerit, rursus peccáre. Ille ergo ex Géntibus & prióre illâ vitâ ad fidem se cónferens, remissiónem peccatórum semel est consecútus : hic autem, qui étiam pósteà peccávit, deinde pœniténtiâ dúcitur, étiam si véniam adsequátur, debet erubéscere, ut qui non ámpliùs lavétur in

ıem peccatórum.
enim non solùm
inquere, quæ priùs
habébat, sed étiam
óris vitæ, eum, qui
ex sanguínibus,
ꝫ voluntáte carnis,
íritu regenerátur:
ıidem tum fúerit,
ıam in idem revo-
eccátum, ducátur
tiâ. Est enim rursus
o peccatórum sæpe
re, & ad fácilem
nem aptitúdo ex
exercitatiónis. Ap-
rgo, sed non est
ıtia, sæpe pétere vé-
: iis, quæ sæpe pec-

éliùs erat non agnó-
am justítiæ, quàm
itiónem retrorsùm
ı: * Si enim refu-
coinquinatiónem
his rursùs implicáti
ur, facta sunt eis
ra deterióra prió-
. Ecce sanus factus
noli peccáre, ne
tibi contingat. * Si
. Glória. * Si enim.
: 2. *Joan.* 5.

Benedíctus. *Ant.*
et Jesus Jerosóly-
Pascha die festo,
redidérunt in nó-
ıs, vidéntes signa
e faciébat. *Joan.* 2.

ꝫTA. *Sacr. Gelas.*

, qui ténebras igno-
ıtiæ Verbi tui luce
; † auge in córdibus nostris virtútem fídei, quam dedísti: * ut ignis, quem grátia tua fecit accendi, nullis tentatiónibus possit exstingui; Per eumdem.

CANON.

Ex Epístolâ primâ Innocéntii Papæ primi ad Decéntium. *Ep. Eugub. An.* 416. *Cap.* 7.

DE póndere æstimando delictórum Sacerdótis est judicáre, ut atténdat ad confessiónem pœniténtis, & ad fletus atque lácrymas corrigentis; ac tunc jubére dimitti, cùm víderit cóngruam satisfactiónem.

Ad Magníficat. *Ant.* Jesus non credébat semetípsum eis, eo quòd ipse nosset omnes, & quia opus ei non erat ut quis testimónium perhibéret de hómine: ipse enim sciébat quid esset in hómine. *Joan.* 2.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

DEprecatiónem nostrā, quæsumus, Dómine, benígnus exaudi; † & quibus supplicandi præstas afféctū, * tríbue defensiónis auxílium; Per Dóminum.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

Ex Libro Job. *Cap.* 28.

SApiéntia ubi invenítur? & quis est locus intelligéntiæ? Nescit homo pré-

tium ejus, nec invenítur in terrâ suáviter vivéntium. Abyssus dicit: Non est in me; & mare lóquitur: Non est mecum. Non dábitur aurum obrízum pro eâ, nec appendétur argentum in commutatióne ejus. Unde ergo sapiéntia venit? & quis est locus intelligéntiæ? Abscóndita est ab óculis ómnium vivéntium, vólucres quoque cœli latet. Perdítio & mors dixérunt: Auribus nostris audívimus famam ejus. Deus intélligit viam ejus, & ipse novit locum illíus. Et dixit hómini: Ecce timor Dómini, ipsa est sapiéntia; & recédere à malo, intelligéntia.

℞. Fons sapiéntiæ verbum Dei in excelsis, * Et ingressus, illíus mandáta ætérna. ℣. Initium sapiéntiæ timor Dómini. * Et. *Eccli.* 1. *Ps.* 110.

LECTIO II. *Cap.* 29.

ADdidit quoque Job, assúmens parábolam suam, & dixit: Quis mihi tríbuat, ut sim juxta menses prístinos, secundùm dies quibus Deus custodiébat me? quando splendébat lucerna ejus super caput meum, & ad lumen ejus ambulábam in ténebris: sicut fui in diébus adolescéntiæ meæ, quando secrétò Deus erat in tabernáculo meo: quando erat Omnípotens mecum: & in circúitu meo púeri mei? Auris áudiens beatificábat me, & óculus videns testimónium reddébat mihi, eo quòd liberássem páuperem vociferantem, & pupillum, cui non esset adjútor. Benedíctio peritúri super me veniébat, & cor víduæ consolátus sum. Justítiâ indútus sum; & vestívi me, sicut vestimento & diadémate, judício meo. Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram páuperum; & causam quam nesciébam, diligentíssimè investigábam. Conterébam molas iníqui, & de déntibus illíus auferébam prædam.

℞. Cùm liber essem ex ómnibus, ómnium me servum feci. Factus sum infirmis infirmus. * Omnibus ómnia factus sum, ut omnes fácerem salvos. ℣. Oculus fui cæco, & pes claudo; pater eram páuperum. * Omnibus. *I. Cor.* 9. *Job.* 29.

LECTIO III.

Ex Libro primo sancti Ambrósii Epíscopi de Pœniténtiâ. *Edit. Bened. Cap.* 16.

VOlo véniam reus speret, petat eam lácrymis, petat gemítibus, petat pópuli totíus flétibus; ut ignoscátur, óbsecret; & cùm secundò & tértiò fúerit diláta ejus commúnio, credat remissiùs se suppli-

oitsse; fletus áugeat, miserabilior póstea revertatur, téneat pedes bráchiis, osculétur ósculis, lavet flétibus, nec dimittat; ut de ipso dicat Dóminus Jesus: remissa sunt peccáta ejus multa; quóniam diléxit multùm. Cognóvi quosdam in pœniténtiâ sulcasse vultum lácrymis, exarasse contínuis flétibus genas, stravisse corpus suum calcandum ómnibus, jejúno ore semper & pállido, mortis spéciem spiranti in córpore prætulisse.

℟. Emundáte manus, peccatóres, & purificáte corda, dúplices ánimo; míseri estóte, & lugéte, & ploráte; risus vester in luctum convertátur & gáudium in mœrórem. * Humiliámini in conspectu Dómini & exaltábit vos. ℣. Convertímini ad me in toto corde vestro, in jejúnio, & in fletu, & in planctu. * Humiliámini. ℣. Glória. * Humiliámini. *Jac.* 4. *Joel.* 2.

Ad Benedíctus. *Ant.* Clamábat Jesus in templo docens & dicens: Et me scitis, & unde sim scitis, & à meipso non veni: sed est verus qui misit me. *Joan.* 7.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

MUltíplica fidem, quæsumus, Dómine, pópuli tui; † ut cujus per te sumpsit inítium * per te consequátur augmentum; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Aquisgranensi. *An.* 816. *Lib.* 1. *Can.* 37.

PŒniténtium causæ pensandæ sunt, & tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda. Videndum est quæ culpa præcésserit, aut quæ sit pœniténtia secúta post culpam; ut quos omnípotens Deus per compunctiónis grátiam vísitat, illos Pastóris senténtia absolvat. Tunc enim vera est absolútio præsidentis, cùm superni arbítrium séquitur júdicis.

Ad Magníficat. *Ant.* Quærébant eum apprehéndere; & nemo misit in illum manus, quia nondum vénerat hora ejus. *Joan.* 7.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

DA, quæsumus, omnípotens Deus; † ut quæ divina sunt júgiter ambientes, * donis semper mereámur cœléstibus propinquáre; Per Dóminum.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

Ex Libro Job. *Cap.* 29 & 30.

QUi me audiébant, exspectábant senténtiam, & intenti tacébant ad consílium meum. Verbis meis

áddere nihil audébant, & super illos stillábat elóquium meum. Exspectábant me sicut plúviam, & os suum aperiébant quasi ad imbrem serótinum. Si quando ridébam ad eos, non credébant, & lux vultûs mei non cadébat in terram. Si voluissem ire ad eos, sedébam primus: cùmque sedérem quasi rex, circumstante exércitu, erã tamen mœréntium consolátor. Nunc autem derídent me junióres témpore, quorum non dignábar patres pónere cum cánibus gregis mei. Nunc in eórum cánticum versus sum, & factus sum eis in provérbium. Abominantur me, & longè fúgiunt à me, & fáciem meam conspúere non verentur. Pháretram enim suam apéruit, & afflixit me, & frænum pósuit in os meum.

℟. Vidisti, Dómine omnem furórem, universas cogitatiónes eórum adversùm me, lábia insurgéntium mihi: * Ego sum psalmus eórum. ℣. Deridétur justi simplícitas. Lampas contempta apud cogitatiónes dívitum. * Ego sum. *Thren.* 3. *Job.* 12.

LECTIO II. *Cap.* 30.

Redactus sum in níhilum: abstulisti quasi ventus desidérium meum, & velut nubes pertránsiit salus mea. Nunc autem in memetipso marcescit ánima mea, & póssident me dies afflictiónis. Nocte os meum perforátur dolóribus: & qui me cómedunt non dórmiunt. In multitúdine eórum consúmitur vestimentum meum, & quasi capítio túnicæ succinxérunt me. Comparátus sum luto, & assimilátus sum favillæ & cíneri. Clamo ad te, & non exaudis me; sto, & non réspicis me. Mutátus es mihi in crudélem, & in durítiâ manûs tuæ adversáris mihi. Elevasti me, & quasi super ventum ponens elisisti me válidè. Scio quia morti trades me, ubi constitúta est domus omni viventi. Verúmtamen non ad consumptiónem eórũ emittis manum tuam: & si corrúerint, ipse salvábis.

℟. Ponet in púlvere os suum, si fortè sit spes. * Dabit percutienti se maxillam, saturábitur oppróbriis. ℣. Pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrûm. * Dabit. *Thren.* 3. *Isai.* 53.

LECTIO III.

Ex Libro sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris de Lapsis. *Edit. Baluz.*

Si precem toto corde quis fáciat, si veris pœniténtiæ lamentatiónibus & lácrymis ingemiscat, si ad véniam delicti sui Dómi-

num justis & contínuis opéribus inflectat; miseréri tálium potest Dóminus. Potest ille indulgéntiam dare, senténtiam suam potest ille defléctere. Pœnitenti, operanti, rogan ti potest clementer ignóscere, potest in acceptum referre quidquid pro tálibus & petíerint Mártyres, & fécerint Sacerdótes. Vel si quis plus eum suis satisfactiónibus móverit, si ejus iram, si indignantis offensam justâ deprecatióne placáverit; dat ille & arma rursum, quibus victus armétur, réparat & corróborat vires, quibus fides instauráta vegetétur. Qui sic Deo satisfécerit, qui pœniténtiâ facti sui, qui pudóre delicti, plus & virtútis & fidei de ipso lapsûs sui dolóre concéperit, exaudítus & adjútus à Dómino, quam contristáverat nuper lætam fáciet Ecclésiam; nec jam solam Dei véniam merébitur, sed & corónam.

℟. Convertímini, ad me in toto corde vestro, in jejúnio & in fletu, & in planctu, & scíndite corda vestra & non vestimenta vestra & * Convertímini ad Dóminum Deum vestrum, † Quia benignus & miséricors est. ℣. Numquid voluntátis meæ est mors ímpii; & non ut convertátur à viis suis & vivat? Quare moriémini domus Israel? * Convertímini. ℣. Glória. † Quia. *Joel.* 2. *Ezech.* 18.

Ad Benedictus. *Ant.* A século non est audítum, quia quis apéruit óculos cæci nati. Nisi esset hic à Deo, non póterat fácere quidquam. *Joan.* 9.

Collecta. *Sacr. Gelas.*

DEus, qui & justis præmia meritórum, & peccatóribus per jejúnium véniam præbes, † miserére supplícibus tuis, parce peccántibus, * ut reátûs nostri conféssio indulgéntiam váleat percípere delictórum; Per Dóminum.

CANON.

Ex Régulis sacramentálibus sancti Cároli Mediolanensis Epíscopi de Pœniténtiâ. *An.* 1558.

COnfessárius pœnitenti talem pœniténtiam impónet qualem ab eo præstári posse júdicet: considerábit autem ánimum mentemque pœnitentis, ac fletum, gémitum & lácrymas íntimi dolóris índices. Vidébit, ne pro peccátis grávibus levíssimas pœniténtias impónat; id quod & confessóribus, & pœniténtibus periculósum est.

Ad Magníficat. *Ant.* In judícium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, vídeant, & qui vident, cæci fiant. *Joan.* 9.

COLLECTA. *Sacr. Leon.*

AD aures misericórdiæ tuæ, Dómine, súpplicum vota pervéniant; † & ut possímus impetráre quæ póscimus, * fac nos semper tibi plácita postuláre; Per Dominum.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

Ex Libro Job. *Cap.* 31.

PEpigi fœdus cum óculis meis, ut ne cogitárem quidem de vírgine. Quam enim partem habéret in me Deus désuper, & hæreditátem Omnípotens de excelsis? Numquid non perdítio est iníquo, & alienátio operántibus injustítiam? Nonne ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinúmerat? Si ambulávi in vanitáte, & festinávit in dolo pes meus: appendat me in statérâ justâ, & sciat Deus simplicitátem meam. Si declinávit gressus meus de viâ, & si secútum est óculos meos cor meum, & si mánibus meis adhæsit mácula: seram, & álius cómedat: & progénies mea eradicétur. Si contempsi subíre judícium cum servo meo, & ancillâ meâ, cùm disceptárent adversùm me. Quid enim fáciam, cùm surréxerit ad judicandum Deus? & cùm quæsíerit, quid respondébo illi? Numquid non in útero fecit me qui & illum operátus est: & formávit me in vulvâ unus?

℟. Semper quasi tumentes super me fluctus tímui Deum, & pondus ejus ferre non pótui. * Quid enim fáciam cùm surréxerit ad judicandum Deus? & cùm quæsíerit, quid respondébo illi? ℣. Verébar ómnia ópera mea, sciens quòd non párceres delinquenti. * Quid. *Job.* 31 & 9.

LECTIO II.

SI negávi, quod volébant, paupéribus, & óculos víduæ exspectáre feci: si comédi buccellam meam solus, & non comédit pupillus ex eâ: (quia ab infántiâ meâ crevit mecum miserátio, & de útero matris meæ egressa est mecum.) Si despexi pereuntem, eo quòd non habúerit indumentum, & absque operimento páuperem. Si gavísus sum ad ruínam ejus qui me óderat, & exsultávi quòd invenísset eum malum. Non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expéterem maledícens ánimam ejus. Si non dixérunt viri tabernáculi mei: Quis det de cárnibus ejus ut saturémur? Foris non mansit peregrínus, óstium meum viatóri pátuit. Si abscondi quasi homo peccátum meum, & celávi

in sinu meo iniquitátem meam. Quis mihi tríbuat auditórem, ut desidérium meum áudiat Omnípotens, & librum scribat ipse qui júdicat: ut in húmero meo portem illum, & circumdem illum quasi corónam mihi? Per síngulos gradus meos pronuntiábo illum, & quasi príncipi ófferam eum.

℟. Si justificáre me volúero, os meum condemnábit me: si innocentem osténdero, pravum me comprobábit. * Etiam si simplex fúero, hoc ipsum ignorábit ánima mea. ℣. Nescit homo utrùm amóre an ódio dignus sit. * Etiam. *Job. 9. Eccle. 9.*

LECTIO III.

Ex Paranési sancti Paciáni Barcinonensis Epíscopi ad Pœniténtiam. *Tom. 4. Bibl. Patr. IV. Sec.*

Lavábo, inquit David, per síngulas noctes lectum meum, lácrymis meis stratum meum rigábo. Nos verò quid tale, quid símile? Ne hæc quidem quæ vidéri étiam à Sacerdóte possint, & Epíscopo teste laudári: ne hæc quidem quotidiána servámus, flere in conspectu Ecclésiæ, pérditam vitam sórdidâ veste lugére, jejunáre, oráre, provolvi: si quis ad bálneum vocet, recusáre delícias; si quis ad convívium roget, dícere: Ista felícibus; ego delíqui in Dóminum, & periclitor in ætérnum períre; quò mihi épulas, qui Dóminum læsi? Tenére prætérea páuperum manus, víduas obsecráre, Presbyteris advolvi, exoratrícem Ecclésiam deprecári, ómnia prius tentáre quàm períre. Peccatóribus delicátis, & pœniténtiam non agéntibus, Spíritus Dómini comminátur, & dicit: Dilectum veritátis non recepérunt ut salvi fíerent, ac proptérea mittet illis operatiónem erróris ut credant mendácio, ut judicentur omnes qui non credidérunt veritáti, sed sibi placent in injustítiam. Per Ecclésiæ fidem rogo vos, fratres, per sollicitúdinem meam: per commúnes ómnium ánimas obtestor & déprecor, ne pudeat in hoc ópere; ne pígeat, opportúna quàm primùm remédia salútis inváde re, dejícere mœróribus ánimum, sacco corpus invólvere, cínere perfúndere, macerári jejúnio, mœróre confícere, multórum précibus adjuvári. In quantum pœnæ vestræ non pepercístis, in tantum vobis Deus parcet.

℟. Fácite fructus dignos pœniténtiæ; * Jam enim secúris ad radícem árborum pósita est. † Omnis arbor non fáciens fructum bonum, excidétur, & in ignem mittétur. ℣. Altíssi-

mus misertus est pœniténtibus: ímpiis & peccatóribus reddet vindíctam; * Jam. ℣. Glória. † Omnis. *Luc.* 3. *Eccli.* 12.

Ad Benedíctus. *Ant.* Tétigit lóculum Jesus, & ait: Adoléscens, tibi dico, surge. Et resédit qui erat mórtuus, & cœpit loqui. Et dedit illum matri suæ. *Luc.* 7.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, † ut quos jejúnia votíva castígant, ipsa quoque devótio sancta lætíficet: * ut terrénis affectibus mitigátis, facíliùs cœléstia capiámus; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Coloniensi. *An.* 1536. *Part.* 7. *Can.* 35.

HOc eum qui à confessiónibus est, máximè cónvenit observáre; nimírùm, ut consolando érigat pusillánimes per immensam Dei misericórdiã; præfractos autem objurget, tremendumque Dei judícium ante óculos ponat.

Ad Magníficat. *Ant.* Magnificábant Deum, dicentes: Quia Prophéta magnus surrexit in nobis; & quia Deus visitávit plebem suam. *Luc.* 7.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

DEus, cujus misericórdiâ cœléstium quoque virtútum índigent potestátes, & in cujus conspectu, nullus est hóminum absque sorde & pœnâ peccáti; † delicta pópuli tui, quæsumus, averte propitiátus: * ut quos própriæ consciéntiæ reátus accúsat; bonitátis tuæ patiéntia fáciat véniam promeréri; Per Dóminum.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

Ex Libro Job. *Cap.* 38.

REspondens autem Dóminus Job de túrbine, dixit: Quis est iste involvens senténtias sermónibus imperítis? Accinge sicut vir lumbos tuos: interrogábo te, & responde mihi. Ubi eras quando ponébam fundamenta terræ? Indica mihi, si habes intelligéntiam. Quis pósuit mensúras ejus, si nosti? vel quis tetendit super eam líneam? Super quo bases illíus solidátæ sunt? aut quis demísit lápidem anguIárem ejus, cùm me laudárent simul astra matutína, & jubilárent omnes filii Dei? Quis conclúsit óstiis mare, quando erumpébat quasi de vulvâ procédens: cùm pónerem nubem vestimentum ejus, & calígine illud quasi pannis infántiæ obvólverem? Circúmdedi illud términis meis, & pósui vectem, & óstia; & dixi: Usque huc vénies, & non

procédes ampliùs, & hìc confringes tumentes fluctus tuos.

℟. Quis respondébit Deo? vel quis dícere potést: Cur ita facis? Deus cujus iræ nemo resístere potest; & sub quo curvantur qui portant orbem. * Quantus ergo sum ego ut respóndeam ei? ℣. Facit magna & incomprehensibília, & mirabília quorum non est númerus. * Quantus. *Job.* 9.

LECTIO II. *Cap.* 38.

NUmquid apertæ sunt tibi portæ mortis, & óstia tenebrósa vidisti? Numquid considerasti latitúdinem terræ? Indica mihi, si nosti ómnia: in quâ viâ lux hábitet, & tenebrárum quis locus sit? Quis est plúviæ pater? vel quis génuit stillas roris? De cujus útero egressa est glácies? & gelu de cœlo quis génuit? Numquid nosti órdinem cœli, & pones ratiónem ejus in terrâ? Numquid elevábis in nébulâ vocem tuam, & ímpetus aquárum opériet te? Numquid mittes fúlgura, & ibunt, & reverténtia dicent tibi: Adsumus? Quis pósuit in viscéribus hóminis sapiéntiam? vel quis dedit gallo intelligéntiam? Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad Deum, vagantes, eo quòd non hábeant cibos?

℟. Deus solus justificábitur, & manet invictus Rex in æternum. * Quis sufficit enarráre ópera illíus? ℣. Præparávit terram in æterno témpore, & replévit eam pecúdibus & quadrupédibus; qui emittit lumen, & vadit: & vocávit illud, & obédit illi in tremóre. * Quis. *Eccli.* 18. *Baruch.* 3.

LECTIO III.

Ex Sermóne centésimo octogésimo primo sancti Augustíni Epíscopi de verbis Epístolæ primæ Joannis. *Edit. Bened. Cap.* 6.

COnféssio nos sanat, & vita cauta, vita húmilis, orátio cum fide, contrítio cordis, lácrymæ non fictæ de venâ cordis profluentes, ut dimittantur nobis peccáta, sine quibus esse non póssumus. Conféssio, inquam, nos sanat, dicente Apóstolo Joanne, Si confiteámur peccáta nostra, fidélis est & justus, ut dimittat nobis peccáta, & mundet nos ab omni iniquitáte. Non autem, quia dico quòd non póssumus hìc esse sine peccáto, homicídia fácere debémus, aut adultéria, vel cætera mortífera peccáta, quæ uno ictu périmunt. Tália non facit bonæ fidei & bonæ spei Christiánus: sed illa sola, quæ quotidiáno ora-

autem jam lapſi ſumus, ſtare nequáquam valúimus, in pravis noſtris deſidériis jacémus. Sed qui nos cóndidit rectos, adhuc exſpectat, & próvocat ut ſurgámus; ſinum ſuæ pietátis áperit, noſque ad ſe recípere per pœniténtiam quærit: ſed pœniténtiam ágere dignè non póſſumus, niſi modum quoque ejuſdem pœniténtiæ cognoſcámus, pœniténtiam quippe ágere, eſt & perpetráta mala plángere, & plangenda non perpetráre. Nam qui ſic ália deplórat, ut tamen ália committat, adhuc pœniténtiam ágere, aut diſſímulat aut ignórat. Cogitandum ſummópere eſt, ut qui ſe illícita méminit commiſiſſe, à quibuſdam étiam lícitis ſtúdeat abſtinére: quátenus per hoc conditóri ſuo ſatisfáciat, ut qui commíſit prohíbita, ſibimetipſi abſcíndere débeat étiam conceſſa; & ſe reprehendat in mínimis, qui ſe méminit in máximis deliquiſſe.

℟. Pater, peccávi in cœlum & coram te: * Jam non ſum dignus vocári fílius tuus; † Fac me ſicut unum de mercenáriis tuis. ℣. Deus meus, confundor & erubeſco leváre fáciem meam ad te. * Jam. ℣. Glória. † Fac me. *Luc.* 15. *I. Eſdr.* 9.

Ad Benedictus. *Ant.* Locútus eſt Jeſus docens in templó; & nemo apprehendit eum, quia necdum vénerat hora ejus. *Joan.* 8.

Collecta. *Sacr. Gelaſ.*

TE lucem veram & lucis autórem, Dómine, deprecámur, † ut dignéris à nobis ténebras depéllere vitiórum, * & clarificáre nos luce virtútum; Qui vivis.

CANON.

Ex Synodo Trecenſi. *An.* 1459.

DEbent Sacerdótes ſemper pia geſtáre víſcera circa confitentes, exemplo beáti Ambróſii, de quo légitur, quòd quotiescumque áliquis lapſus in peccátum ante eum veniébat ob pœniténtiam percipiendam, ita flebat, ut pœnitentem flere compélleret.

AD VESPERAS.

Antiphonæ ut in Pſalterio.

Lectio. *Levit.* 23.

HÆ ſunt fériæ Dómini ſanctæ, quas celebráre debétis tempóribus ſuis. † Menſe primo, quartâdécimâ die menſis ad véſperum, Phaſe Dómini eſt: * & quintâdécimâ die menſis hujus, ſolémnitas azymórum Dómini eſt.

℟. *br.* Deus meus es tu, Dómine; * Ne diſcéſſeris à me. ℟. Deus. ℣. Quóniam tribulátio próxima eſt; * Ne. *Pſ.* 21. *Repetitur* ℟. Deus meus. *Et non di-*

itur. ℣. Glória Patri; *sed ejus loco repetitur* ℟. *à capite usque ad* ℣. *quod servatur in omnibus Responsoriis, tam prolixis quàm brevibus, de Tempore Passionis.*

HYMNUS. *C.*

FAndo quis audivit? Dei
Quis grande dicat bráchium?
Perculsa mens confúnditur:
Stupet fides, vox déficit.

Ab orbe, JESU, cóndito
Occísus Agnus, nunc Patri
Priscis adumbrátam sacris
Ardes litáre víctimam.

At cur humi stratus jaces?
Quis iste mœrentis pavor?
Quis iste qui toto fluit
Sudor cruentus córpore?

Hunc vis dolóris éxprimit,
Horrorque teter críminum:
Vices nocentûm sústinens,
Iram reformídas Patris.

Te terret objectus calix;
At ille, ni totum bibas,
Per sempiterna nos manet
Exhauriendus sécula.

Vincet pavórem cáritas;
Vincet voluntas pátria:
Temet potestáti, Deus,
Tradis tenebrárum volens.

Et jam flagellis, íctibus,
Ludíbriis, spinis, cruci,
Piaculáris hóstia,
Voves adorandum caput.

Qui Fílium tradit, Patri,
Natóque sit laus víctimæ;
Par sit tibi laus, qui sacram
Succendis aram, Spíritus.
Amen.

℣. Sacrifícium & oblatiónem noluisti, Dómine; ℟. Corpus autem aptasti mihi. *Ps.* 39. *Hebr.* 10.

Ad Magníficat. *Ant.* Ego quasi agnus mansuétus, qui portátur ad víctimam. *Jerem.* 11.

Collecta infrà ad Laudes, pag. 265.

DOMINICA
PASSIONIS.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Jesum in quo habémus redemptiónem per sánguinē ejus, remissiónem peccatórum; * Veníte, adorémus. *Coloss.* 1.

In fine Psalmi Veníte, *non dicitur* Glória Patri. *in Officio de Tempore; sed ejus loco repetitur Ant.*

HYMNUS. *C.*

OPpróbriis, JESU, satur,
Ligni fatiscens póndere,
Ferále, verus Isaac,
Mactandus ascendis jugum.

Clavis statim trabálibus
Fixus manus, fixus pedes,
Sublíme terris ómnibus
Adtólleris spectáculum.

In nos ô æterni Patris
Incomprehensa cáritas!
Insons cruentæ Fílius
Pro sóntibus morti datur.

Illo lavári sánguine
Opórtuit mundi scelus:

Talem sevéra Núminis
Poscébat ira víctimam.

Crux débitæ nos vínculo
Damnatiónis éximit;
Et pacis æterno ligat
Terras polumque fœdere.

Qui Filium tradit, Patri,
Natóque sit laus víctimæ;
Par sit tibi laus, qui sacram
Succendis aram, Spíritus.
Amen.

Antiphonæ, & ℣. I. & II. Nocturni, ut in Psalterio.

IN I. NOCTURNO.

Lectio I.

Incipit Liber Jeremíæ Prophétæ. *Cap.* 1.

VErba Jeremíæ filii Hélciæ, de sacerdótibus, qui fuérunt in Anathoth, in terrâ Bénjamin. Et factum est verbum Dómini ad me, dicens: Priusquàm te formárem in útero, novi te: & ántequàm exíres de vulvâ, sanctificávi te, & prophétam in géntibus dedi te. Et dixi, A, a, a, Dómine Deus: ecce néscio loqui, quia puer ego sum. Et dixit Dóminus ad me: Noli dícere, Puer sum: quóniam ad ómnia, quæ mittam te, ibis: & universa, quæcumque mandávero tibi, loquéris. Ne tímeas à fácie eórum: quia tecum ego sum, ut éruam te, dicit Dóminus. Et misit Dóminus manum suam, & tétigit os meum; & dixit Dóminus ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce constítui te hódie super gentes, & super regna, ut evellas, & déstruas, & disperdas, & díssipes, & ædífices, & plantes.

℟. Quia stultus pópulus meus me non cognóvit: * Filii insipientes sunt & vecordes: sapientes sunt ut fáciant mala; bene autem fácere nesciérunt. ℣. Non novérunt Patrem, neque me. * Filii. *Jerem.* 4. *Joan.* 16.

Lectio II. *Cap.* 2.

HÆc dicit Dóminus: Quid invenérunt patres vestri in me iniquitátis, quia elongavérunt à me, & ambulavérunt post vanitátem, & vani facti sunt? Et non dixérunt: Ubi est Dóminus, qui ascéndere nos fecit de terrâ Ægypti; qui traduxit nos per desertum? Et induxi vos in terram Carméli, ut comederétis fructum ejus, & óptima illíus: & ingressi contaminastis terram meam, & hæreditátem meam posuistis in abominatiónem. Sacerdótes non dixérunt: Ubi est Dóminus? & tenentes legem nesciérunt me, & pastóres prævaricáti sunt in me: & prophétæ prophetavérunt in Baal, & idóla secúti sunt.

℟. Jerúsalem, Jerúsa-

lem, quæ occídis Prophétas, & lápidas eos, qui ad te missi sunt; * Quóties vólui congregáre fílios tuos, quemádmodum gallína côngregat pullos suos sub alas suas, & noluisti? ℣. Pópule meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? Respónde mihi. * Quóties. *Matth.* 23. *Mich.* 6.

LECTIO III.

TRansíte ad ínsulas Cethim, & vidéte; & in Cedar míttite, & consideráte veheménter: & vidéte si factum est hujuscémodi. Si mutávit gens deos suos, & certè ipsi non sunt dii: pópulus verò meus mutávit glóriam suam in idólum. Obstupéscite, cœli, super hoc; & portæ ejus desolámini veheménter, dicit Dóminus. Duo enim mala fecit pópulus meus: Me dereliquérunt fontem aquæ vivæ, & fodérunt sibi cisternas, cisternas dissipátas, quæ continére non valent aquas.

℟. Quis miserébitur tuî, Jerúsalem? aut * Quis contristábitur pro te, aut quis ibit ad rogandum pro pace tuâ? ℣. Dereliquisti fontem sapiéntiæ. * Quis. *Jerem.* 15. *Baruch.* 3.

LECTIO IV.

ARguet te malítia tua, & avérsio tua increpábit te. Scito, & vide, quia malum & amárum est reliquisse te Dóminum Deum tuum, & non esse timórem meî apud te, dicit Dóminus exercítuum. A século confregisti jugum meum, rupisti víncula mea, & dixisti: Non sérviam. Ego autem plantávi te víneam electam, omne semen verum: quómodò ergo convérsa es mihi in pravum vínea aliéna? Si láveris te nitro, & multiplicáveris tibi herbam borith, maculáta es in iniquitáte tuâ coram me, dicit Dóminus Deus.

℟. Judicáte inter me & víneam meam. * Quid est quod débui ultrà fácere víneæ meæ, & non feci ei? an quòd exspectávi ut fáceret uvas, & fecit labruscas? ℣. Ego plantávi te víneam electam, omne semen verum. * Quid est. ℟. Judicáte. *Isai.* 5. *Jerem.* 2.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO V.

Ex Sermóne quinto sancti Leónis Papæ in Passióne Dómini. *Serm.* 54. *Edit. Paris. Cap.* 1.

CReátor & Dóminus ómnium rerum Christus, post inusitátum sacræ Vírginis partum, post adoráta Magórum confessióne cunábula, & post multíplicem doctrínam cœléstis elóquii, & variárum cu-

rationum medélas império verbi potentis effectas, dispensatiónem ómnium sacramentórum, omniumque virtútum, salutiferâ passióne consummat. Christiánæ ígitur spei, dilectíssimi, vera rátio, & principális causa crux Christi est; quæ licet Judæis sit scándalum, Géntibus autem stultítia; nobis tamen Dei virtus est, Deíque sapiéntia.

℟. Decébat eum propter quem ómnia, & per quem ómnia, * Qui multos fílios in glóriam addúxerat, autórem salútis eórum per passióně consummáre. ℣. Sic opórtuit pati Christum. * Qui. *Hebr.* 2. *Luc.* 24.

LECTIO VI.

NIhil ergo apud nos loci cogitatiónes hábeant impiórum; nec integritátem sanæ intelligéntiæ, aut judáïca offénsio, aut gentílis corrumpat irrísio: ut quod pro nobis non solùm humíliter, sed étiam sublímiter gestum est, aut secundùm hóminem impossíbile, aut secundùm Deum videátur indignum. Utrumque autem récipi, utrumque cónvenit credi: quia nemo hóminum potest, nisi in utróque salvári.

℟. Nonne stultam fecit Deus sapiéntiã hujus mundi? * Quia quod stultum est Dei, sapiéntius est homínibus: ℣. Quæ stulta sunt mundi elégit Deus, ut confundat sapientes: * Quia. *I. Cor.* 1.

LECTIO VII.

JUstus enim & miséricors Deus, non sic múnere suæ voluntátis est usus, ut ad reparatiónem nostram, solam poténtiam benignitátis exéreret: sed quia cónsequens fúerat, ut homo fáciens peccátum, servus esset peccáti; sic medicína ægris, sic reconciliátio reis, sic redémptio est impensa captívis, ut condemnatiónis justæ senténtia, justo liberatóris ópere solverétur. Nam si pro peccatóribus sola se oppóneret Déitas, non tam rátio diábolum vínceret, quàm potestas. Et rursum, si causam lapsórum sola ágeret natúra mortálium, non eruerétur à conditióne, quæ líbera non esset à génere. Unde opórtuit in unum Dóminum nostrum Jesum Christum, & divínam & humánam convenire substántiam: ut mortalitáti nostræ per Verbum carnem factum, & orígo novi hóminis subveníret & pássio.

℟. Verbum crucis pereúntibus quidem stultítia est: * Iis autem qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est. ℣. Nos prædicámus Christum crucifixum: Judæis quidem scándalum, Géntibus autem stultítiam: * Iis. *I. Cor.* 1.

LECTIO VIII. *Cap.* 2.

CUm ígitur in Christo Jesu Judæórum durítia, quæ sunt divína; Gentílium cœcitas, quæ sunt humána, contemnat: illis adversùs glóriam Dómini calumniántibus, istis contra humilitátem superbiéntibus: nos Dei Fílium, & in suis virtútibus, & in nostris infirmitátibus adorámus: nec erubéscimus crucem Christi, & inter contradicéntium linguas, nec de morte ipsíus, nec de resurrectióne dubitámus. Quóniam quod superbos ad infidelitátem trahit, hoc nos ad fidem dírigit; & quod apud illos est matéria confusiónis, hoc apud nos est causa pietátis.

℟. Quia in Dei sapiéntiâ non cognóvit mundus per sapiéntiã Deum: * Plácuit Deo per stultítiam prædicatiónis salvos fácere credentes. ℣. Ubi est litterátus? ubi legis verba pónderans? ubi doctor parvulórum? * Plácuit. ℟. Quia. *I. Cor.* I. *Isai.* 33.

IN III. NOCTURNO.

I. CANTICUM. *Job*, 16.

Job in tribulatione suâ, Christi patientis Typus Propheticus.

NUnc oppressit me dolor meus, * & in níhilũ redacti sunt omnes artus mei.

Rugæ meæ testimónium dicunt contra me, * & suscitátur falsíloquus adversùs fáciem meam, contradícens mihi.

Collégit furórem suum in me, & cómminans mihi, infrémuit contra me déntibus suis: * hostis meus terribílibus óculis me intúitus est.

Aperuérunt super me ora sua, & exprobrantes percussérunt maxillam meã, * satiáti sunt pœnis meis.

Conclúsit me Deus apud iníquum, * & mánibus impiórum me trádidit.

II. CANTICUM. *Ibid.*

EGo ille quondam opulentus, repentè contrítus sum: * ténuit cervícem meam, confrégit me, & pósuit me sibi quasi in signum.

Circúmdedit me lánceis suis, convulnerávit lumbos meos; * non pepercit, & effúdit in terrâ víscera mea.

Concídit me vúlnere super vulnus, * írruit in me quasi gigas.

Saccum cónsui super cutem meam, * & opérui cínere carnem meam.

Fácies mea intúmuit à fletu, * & pálpebræ meæ caligavérunt.

Hæc passus sum absque iniquitáte manûs meæ, * cùm habérem mundas ad Deum preces.

Terra, ne opérias sánguinem meum, * neque invéniat in te locum latendi clamor meus.

Ecce enim in cœlo testis meus, * & cónscius meus in excelsis.

III. CANTICUM. *Ibid.* 19.

ECce clamábo vim páttiens, & nemo áudiet; * vociferábor, & non est qui júdicet.

Sémitam meam circumsepsit, & transíre non possum, * & in calle meo ténebras pósuit.

Spoliávit me glóriâ meâ, * & ábstulit corónam de cápite meo.

Irátus est contra me furor ejus, * & sic me hábuit quasi hostem suum.

Fratres meos longè fecit à me, * & noti mei quasi aliéni recessérunt à me.

Dereliquérunt me propinqui mei, * & qui me nóverant, obliti sunt meî.

Ant. Sicut ovis ad occisiónem ducétur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet. *Is.* 53.

℣. Erue à frámeâ, Deus, ánimam meam, ℟. Et de manu canis únicam meam. *Ps.* 21.

LECTIO IX.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Colossenses.

Cap. 1.

PAulus Apóstolus Jesu Christi per voluntátem Dei, & Timótheus frater: eis, qui sunt Colossis, sanctis, & fidélibus frátribus in Christo Jesu. Grátia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Dómino Jesu Christo. Grátias ágimus Deo, & Patri Dómini nostri Jesu Christi, semper pro vobis orantes: audientes fidem vestram in Christo Jesu, & dilectiónem quam habétis in sanctos omnes, propter spem, quæ repósita est vobis in cœlis: quam audistis in verbo veritátis Evangélii, quod pervénit ad vos, sicut & in universo mundo est, & fructíficat, & crescit, sicut in vobis, ex eâ die quâ audistis, & cognovistis grátiam Dei in veritáte, sicut didicistis ab Epaphrâ caríssimo conservo nostro, qui est fidélis pro vobis minister Christi Jesu, qui étiam manifestávit nobis dilectiónem vestram in spíritu.

℟. Vix pro justo quis móritur; * Commendat autem caritátem suam Deus in nobis, quóniam cùm adhuc peccatóres essémus, Christus pro nobis mórtuus est. ℣. Majórem dilectiónem nemo habet, ut ánimã suam ponat quis pro amícis suis: * Commendat. *Rom.* 5. *Joan.* 15.

LECTIO X.

IDeo & nos, ex quâ die audívimus, non cessámus pro vobis orantes, &

postulantes ut impleámini agnitióne voluntátis ejus, in omni sapiéntiâ & intellectu spiritáli: ut ambulétis dignè Deo per ómnia placentes: in omni ópere bono fructificantes, & crescentes in sciéntiâ Dei: in omni virtúte confortáti secundùm poténtiam claritátis ejus, in omni patiéntiâ & longanimitáte cum gáudio, grátias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctórum in lúmine: qui erípuit nos de potestáte tenebrárum, & tránstulit in regnum Filii dilectiónis suæ, in quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum; qui est imágo Dei invisíbilis, primogénitus omnis creatúræ: quóniam in ipso cóndita sunt universa in cœlis & in terrâ, visibília, & invisibília, sive throni, sive dominatiónes, sive principátus, sive potestátes: ómnia per ipsum, & in ipso creáta sunt.

℟. Sic Deus dilexit mundum, ut Fílium suum unigénitum daret: * Ut omnis qui credit in ipsum non péreat, sed hábeat vitam ætérnam. ℣. Hunc propósuit Deus propitiatiónem per fidem in sánguine ipsíus: * Ut. *Joan.* 3. *Rom.* 3.

LECTIO XI.

ET ipse est ante omnes, & ómnia in ipso constant. Et ipse est caput córporis Ecclésiæ, qui est princípium, primogénitus ex mórtuis: ut sit in ómnibus ipse primátum tenens. Quia in ipso complácuit, omnem plenitúdinem inhabitáre: & per eum reconciliáre ómnia in ipsum, pacíficans per sánguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.

℟. Eum, qui non nóverat peccátum, pro nobis peccátum fecit Deus, * Ut nos efficerémur justítia Dei in ipso. ℣. Pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrûm. * Ut nos. *II. Cor.* 5. *Isai.* 53.

LECTIO XII.

ET vos cùm essétis aliquando alienáti, & inimíci sensu in opéribus malis: nunc autem reconciliávit in córpore carnis ejus per mortem, exhibére vos sanctos, & immaculátos, & irreprehensíbiles coram ipso: si tamen permanétis in fide fundáti, & stábiles, & immóbiles à spe Evangélii, quod audístis, quod prædicátum est in universâ creatúrâ, quæ sub cœlo est, cujus factus sum ego Paulus miníster; qui nunc gáudeo in passiónibus pro vobis, & adímpleo ea quæ desunt passiónum Christi, in carne meâ, pro córpore ejus, quod est Ecclésia: cujus factus sum

ego minister secundùm dispensatiónem Dei, quæ data est mihi in vos, ut impleã verbum Dei: mystérium quod abscónditum fuit à séculis, & generatiónibus; nunc autem manifestátum est sanctis ejus, quibus vóluit Deus notas fácere divítias glóriæ sacramenti hujus in Géntibus, quod est Christus, in vobis spes glóriæ; quem nos annuntiámus, corripientes omnem hóminem, & docentes omnem hóminem in omni sapiéntiâ, ut exhibeámus omnem hóminem perfectum in Christo Jesu; in quo & labóro, certando secundùm operatiónẽ ejus, quam operátur in me in virtúte.

℟. Hærédes sumus Dei, cohærédes autem Christi; * Si tamen compátimur, ut & conglorificémur. ℣. Justificáti in sánguine ipsius, salvi érimus ab irâ per ipsum. * Si tamen. ℟. Hærédes. *Rom.* 8 & 5.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joannem.

Cap. 8.

DIcébat Jesus turbis Judæórum: Quis ex vobis árguet me de peccáto? Si veritátem dico vobis, quare non créditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit. Proptérea vos non audítis, quia ex Deo non estis. Respondérunt ergo Judæi, & dixérunt ei: Nonne bene dícimus nos, quia Samaritánus es tu, & dæmónium habes? Respondit Jesus: Ego dæmónium non hábeo: sed honorífico Patrem meum, & vos inhonorastis me. Ego autem non quæro glóriam meam: est qui quærat, & júdicet. Amen, amen dico vobis: Si quis sermónem meum serváverit, mortem non vidébit in æternum. Dixérunt ergo Judæi: Nunc cognóvimus quia dæmónium habes. Abraham mórtuus est, & Prophétæ; & tu dicis: Si quis sermónem meum serváverit, non gustábit mortem in æternum. Numquid tu major es patre nostro Abraham, qui mórtuus est? & Prophétæ mórtui sunt. Quem teipsum facis? Respondit Jesus: Si ego glorífico meipsum, glória mea nihil est: est Pater meus, qui gloríficat me, quem vos dícitis quia Deus vester est, & non cognovistis eum: ego autem novi eum: & si dixero quia non scio eum, ero símilis vobis mendax. Sed scio eum, & sermónem ejus servo. Abraham pater vester exsultávit ut vidéret diem meum: vidit, & gavísus est. Dixérunt ergo Judæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti? Dixit eis Jesus: Amen, amen dico vobis,

ántequam Abraham fieret, ego ſum. Tulérunt ergo lápides, ut jácerent in eum: Jeſus autem abſcondit ſe, & exívit de templo.

AD LAUDES.

Antiphona ut in Pſalterio.

LECTIO. *Jerem.* 20.

AUdívi contumélias multórum, & terrórem in circúitu: Perſequímini, & perſequámur eum: ab ómnibus viris qui erant pacífici mei, & cuſtodientes latus meum: ſi quo modo decipiátur, & prævaleámus adverſùs eum, & conſequámur ultiónem ex eo. Dóminus autem mecum eſt quaſi bellátor fortis.

℟. *br.* Deus meus, éripe me * De manu peccatóris; ℟. Deus. ℣. Et de manu contra legem agentis, & iníqui, * De. *Repetitur.* ℟. Deus. *Pſ.* 70.

HYMNUS. *C.*

DUm, Chriſte, confixus cruci
Agis ſuprémos ſpíritus,
Fac nos ſalúbri fígere
Intenta ligno lúmina.

Anguis venéno pérfidi
Inflicta nobis vúlnera,
Pendentis è celsâ trabe
Sanábit adſpectus Dei.

Hìc nos olympo párturis;
Hìc mártyres formas tuos;
Hìc último ſanctam fidem
Fundas amóris pígnore.

Pars Verna.

Hinc cuncta terrárum, ſuo
Regnátor ut ſedens throno,
Utrimque protenſæ manûs
Virtúte divinâ trahis.

Nos ergo cœleſtis thronum
Sinas adíre grátiæ,
Pedemque complexos crucis
Tuo rigári sánguine.

O ſpes ſalútis ómnium,
Crux, vera mundi glória,
Infixa ſemper hæreas
Imiſque regnes córdibus.

Qui Fílium tradit, Patri,
Natóque ſit laus víctimæ:
Par ſit tibi laus, qui ſacram
Succendis aram, Spíritus.
Amen.

℣. Extráneus factus ſum frátribus meis, ℟. Et peregrínus fíliis matris meæ. *Pſ.* 68.

Ad Benedictus. *Ant.* Dixit Jeſus: Ego non quæro glóriam meam: eſt qui quærat, & júdicet. *Joan.* 8.

COLLECTA. *Brev. Pariſ.*

DEus, qui per Unigénitum tuum paſſum & humiliátum uſque ad mortem, antíqui hoſtis contrivíſti ſupérbiam: † da fidélibus tuis, & quæ ipſe propter nos pértulit, dignè recólere; * & adverſa ómnia, ejus exemplo, patienter toleráre; Qui tecum vivit.

AD HORAS, *Antiphona ut in Pſalterio.*

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Sess. 14. *Cap.* 8.

Dum satisfaciendo pátimur pro peccátis, Christo Jesu, qui pro peccátis nostris satisfécit, ex quo omnis nostra sufficiéntia est, conformes effícimur; certíssimam quoque inde arrham habentes, quòd si compátimur, & conglorificábimur. Debent ergo Sacerdótes Dómini, quantùm spíritus & prudéntia suggésserit, pro qualitáte críminum & pœniténtium facultáte, salutáres & convenientes satisfactiónes injúngere: ne si fortè peccátis connìveant, & indulgéntiùs cum pœniténtibus agant, levíssima quædam ópera pro gravíssimis delíctis injungendo, alienórum peccatórum partícipes efficiantur.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Jerem.* 6.

Cui loquar? & quem contestábor ut áudiat? Ecce incircumcísæ aures eórum, & audíre non possunt: † ecce verbum Dómini factum est eis in oppróbrium, & non suscípient illud. * Idcirco furóre Dómini plenus sum, laborávi sústinens.

℣. Totâ die verba mea exsecrabantur; ℟. Adversùm me omnes cogitatiónes eórum, in malum. *Ps.* 55.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Job.* 6.

Quare detraxístis sermónibus veritátis, cùm è vobis nullus sit qui possit argúere me? † Ad increpandum tantùm elóquia concinnátis, & in ventum verba profertis, * super pupillum irrúitis, & subvértere nitímini amícum vestrum.

℣. Neque iníquitas mea, neque peccátum meum, Dómine: ℟. Sine iniquitáte cucurri, & direxi. *Ps.* 58.

AD NONAM.

LECTIO. *Isai.* 5.

Væ qui dícitis malum bonum, & bonum malum: † ponentes ténebras lucem, & lucem ténebras: * ponentes amárum in dulce, & dulce in amárum.

℣. Disperge illos, in virtúte tuâ: ℟. Et depóne eos, protector meus, Dómine. *Ps.* 58.

AD VESPERAS.

ANTIPHONÆ.

I. Amen, amen dico vobis: si quis sermónem meum servàverit, mortem non vidébit in æternum. *Joan.* 8.

II. Dixérunt Judæi: Numquid tu major es patre nostro Abraham, qui mórtuus est? & Prophétæ mórtui sunt. Quem teipsum facis? *Joan.* 8.

III. Si ego glorífico meipsum, glória mea nihil

est : est Pater meus, qui glorificat me, & non cognovistis eum. *Joan.* 8.

IV. Abraham pater vester exsultávit ut vidéret diem meum : vidit, & gavísus est. *Joan.* 8.

LECTIO. *Rom.* 15.

UNusquisque vestrûm próximo suo pláceat in bonum, ad ædificatiónem. † Etenim Christus non sibi plácuit; * sed sicut scriptum est : Impropéria improperántium tibi cecidérunt super me.

℟. *br.* Exsurge, Deus, * Júdica causam tuam. ℟. Exsurge. ℣. Memor esto improperiórum tuórum. * Júdica. *Repetitur.* ℟. Exsurge. *Ps.* 73.

HYMNUS. *Fortunat.*

VExilla Regis pródeunt,
Fulget Crucis mystérium,
Quo carne carnis Cónditor
Suspensus est patíbulo ;
Quo vulnerátus ínsuper
Mucróne diro lánceæ,
Ut nos laváret crímine,
Manávit undâ & sánguine.
Impléta sunt quæ cóncinit
David fidéli cármine,
Dicens : In natiónibus
Regnávit à ligno Deus.
Arbor decóra & fúlgida,
Ornáta Regis púrpurâ,
Elécta digno stípite
Tam sancta membra tángere.
Beáta cujus bráchiis
Secli pependit prétium,
Statéra facta córporis,
Prædamque tulit tártari.
O Crux ave, spes única;
Hoc Passiónis témpore,
Auge piis justítiam,
Reísque dona véniam.
Te, summa, Deus, Trínitas,
Collaudet omnis spíritus :
Quos per Crucis mystérium
Salvas, rege per sécula.
Amen.

℣. Deus Rex noster ante sécula, ℟. Operátus est salútē in médio terræ. *Ps.* 73.

Ad Magníficat. *Ant.* Amen, amen dico vobis, ántequam Abraham fieret, ego sum. *Joan.* 8.

IN FERIIS
PER HEBDOMADAM
PASSIONIS.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Christum Jesum qui passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ; * Veníte, adorémus. *I. Petr.* 2.

Hymnus, Oppróbriis, *suprà, pag.* 257.

IN I. NOCTURNO.

Antiphona & ℣. ut in Psalterio.

Lectiones ut infrà in quâlibet Feriâ.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO. *I. Petr.* 2.

CHristus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut se-

quámini vestígia ejus; qui peccátum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Qui cùm maledicerétur, non maledicébat; cùm paterétur, non comminabátur: tradébat autem judicanti se injustè: qui peccáta nostra ipse pértulit in córpore suo super lignum: ut peccátis mórtui, justítiæ vivámus: cujus livóre sanáti estis.

℣. Adjuva me, Dómine, Deus meus: ℟. Salvum me fac secundùm misericórdiam tuam. *Ps.* 108.

AD LAUDES.

Antiphonæ ut in Psalterio.

LECTIO. *Isai.* 53.

QUis crédidit audítui nostro? & bráchium Dómini cui revelátum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terrâ sitienti: non est spécies ei, neque decor: & vídimus eum, & non erat adspectus, & desiderávimus eum: despectum, & novíssimum virórum, virum dolórum, & scientem infirmitátem: & quasi abscónditus vultus ejus & despectus, unde nec reputávimus eum.

℟. *br.* Deus, *&c. Hymnus*, Dum Christe. *Suprà, pag.* 265.

℣. Intende ánimæ meæ, & líbera eam. ℟. Propter inimícos meos éripe me. *Ps.* 68.

Ant. ad Benedictus *& Collecta, ut in quâlibet Feriâ.*

AD HORAS, *Antiphonæ ut in Psalterio.*

AD PRIMAM.

PRECES, *ut suprà, pag.* 154.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Jerem.* 11.

COgitavérunt super me consília, dicentes: † Mittámus lignum in panem ejus, & eradámus eum de terrâ vivéntium, * & nomen ejus non memorétur ámplius.

℣. Custódi me, Dómine, à láqueo quem statuérunt mihi, ℟. Et à scándalis operántium iniquitátem. *Ps.* 140.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Isai.* 53.

VEré languóres nostros ipse tulit, & dolóres nostros ipse portávit: † & nos putávimus eum quasi leprósum, & percussum à Deo & humiliátum. * Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, adtrítus est propter scélera nostra.

℣. Líbera me à persequéntibus me; ℟. Quia confortáti sunt super me. *Ps.* 142.

AD NONAM.

LECTIO. *Isai.* 53.

OBlátus est quia ipse vóluit, & non apéruit os suum: † sicut ovis ad occisiónem ducétur, * & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non apériet os suum.

℣. Ego in flagella parátus sum, ℟. Et dolor meus in conspectu meo semper. *Ps.* 37.

AD VESPERAS.

Antiphona ut in Psalterio.

LECTIO. *Isai.* 53.

DE angústiâ & de judício sublátus est: generatiónem ejus quis enarrábit? † quia abscissus est de terrâ vivéntium: propter scelus pópuli mei percussi eum. * Et dabit ímpios pro sepultúrâ, & dívitem pro morte suâ: eo quòd iniquitátem non fécerit, neque dolus fuerit in ore ejus.

℟. *br.* Exsurge, *&c. Hymnus,* Vexilla. *suprà, pag.* 267.

℣. Captábunt in ánimam justi: ℟. Et sánguinem innocentem condemnábunt. *Ps.* 93.

Antiphona ad Magníficat, *& Collecta, ut in quâlibet Feriâ.*

AD COMPLETORIUM.

PRECES, *ut suprà, pag.* 156.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

Ex Jeremíâ Prophétâ. *Cap.* 2.

VErtérunt ad me tergum, & non fáciem, & in témpore afflictiónis suæ dicent: Surge, & líbera nos. Ubi sunt dii tui, quos fecisti tibi? Surgant & líberent te in témpore afflictiónis tuæ: secundùm númerum quippe civitátum tuárum erant dii tui, Juda. Quid vultis mecum judício conténdere? omnes dereliquistis me, dicit Dóminus. Frustrà percussi filios vestros; disciplínam non recepérunt: devorávit gládius vester prophétas vestros, quasi leo vastátor generátio vestra. Vidéte verbum Dómini. Numquid solitúdo factus sum Israéli, aut terra serótina? Quare ergo dixit pópulus meus: Recéssimus, non veniémus ultrà ad te? Numquid obliviscétur virgo ornamenti sui, aut sponsa fásciæ pectorális suæ? pópulus verò meus oblítus est meî diébus innúmeris.

℟. Quia stultus pópulus meus me non cognóvit: * Filii insipientes sunt, & vecordes: sapientes sunt ut fáciant mala; bene autem fácere nesciérunt. ℣. Non novérunt Patrem neque me. * Filii. *Jerem.* 4. *Joan.* 16.

LECTIO II. *Cap.* 4.

SI revertéris Israel, ait Dóminus, ad me convértere: si abstúleris offendícula tua à fácie meâ, non commovéberis. Et jurábis: Vivit Dóminus, in veritáte, & in judício, & in justítiâ: & benedícent eum gentes, ipsúmque laudábunt. Hæc enim dicit Dóminus viro Juda, & Jerúsalem: Nováte vobis novále, & nolíte sérere super spinas: circumcidímini Dómino, & auferte præpútia córdium vestrórum, viri Juda, & habitatóres Jerúsalem: ne fortè egrediátur ut ignis indignátio mea & succendátur, & non sit qui exstinguat, propter malítiam cogitatiónum vestrárum.

℞. Revértere, aversátrix Israel, ait Dóminus, * Et non avertam fáciem meam à vobis: quia sanctus ego sum, & non irascar in perpétuum. ℣. Implétum est tempus & appropinquávit regnum Dei: pœnitémini & crédite; * Et non. *Jerem.* 3. *Marc.* 1.

LECTIO III.

Ex Libro décimo Confessiónum sancti Augustíni Epíscopi. *Edit. Bened. Cap.* 43. *n.* 69.

QUómodò nos amasti, Pater bone, qui Fílio tuo non pepercisti, sed pro nobis ímpiis tradidisti eum? Quómodò nos amasti, pro quibus ille non rapinam arbitrátus esse se æquális tibi, factus est súbditus usque ad mortem crucis, unus ille in mórtuis liber, potestátem habens ponendi ánimam suam, & potestátem habens íterum suméndi eam; pro nobis tibi victor & víctima; & ideò victor quia víctima: pro nobis tibi sacerdos, & sacrifícium; & ideò sacerdos, quia sacrifícium: fáciens tibi nos de servis fílios, de te nascendo, nobis serviendo. Méritò mihi spes válida in illo est, quòd sanábis omnes languóres meos, per eum qui sedet ad déxteram tuam, & te intérpellat pro nobis; alióquin desperárem. Multi enim & magni sunt iidem languóres mei, multi sunt & magni: sed ámplior est medicína tua.

℞. Cáritas Christi urget nos, æstimantes hoc quóniam pro ómnibus mórtuus est Christus. * Ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mórtuus est. ℣. Próprio fílio suo non pepercit Deus: sed pro nobis ómnibus trádidit illum. * Ut. ℞. Cáritas. *II. Cor.* 5. *Rom.* 8.

Ad Benedictus. *Ant.* In novíssimo die magno festivitátis, stabat Jesus, & clamábat, dicens: Si quis

sitit, véniat ad me, & bibat. *Joan.* 7.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

DEus vita fidélium, glória humílium, & beatitúdo justórum, † propítius réspice súpplicum preces; * ut ánimæ quæ promissiónes tuas sítiunt, de tuæ semper caritátis abundántiâ repleantur; Qui vivis.

CANON.

Ex Concílio Cabillonensi secundo *An.* 313. *Can.* 38.

MOdus pœniténtiæ peccáta sua confiténtibus, aut per antiquórum Cánonum institutiónem, aut per sanctárum Scripturárum autoritátem impóni debet, repudiatis ac pénitus eliminátis libellis quos pœnitentiáles vocant; quorum sunt certi erróres, incerti authóres; de quibus rectè dici potest: Mortificábant ánimas quæ non vivébant.

Ad Magnificat. *Ant.* Qui credit in me, sicut dicit Scriptúra, flúmina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. *Joan.* 7.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

SUper pópulum tuum, Dómine, quæsumus, benedíctio copiósa descendat; † indulgéntia véniat; consolátio tribuátur: * fides sancta succrescat; redémptio sempiterna firmétur; Per Dóminum.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

Ex Jeremiâ Prophétâ.

Cap. 5.

CIrcúite vias Jerúsalem, & adspícite, & consideráte, & quærite in platéis ejus, an inveniátis virum facientem judícium, & quærentem fidem: & propitius ero ei. Quòd si étiam, Vivit Dóminus, díxerint: & hoc falsò jurábunt. Dómine óculi tui respíciunt fidem: percussisti eos, & non doluérunt: adtrivisti eos, & renuérunt accípere disciplínam: induravérunt fácies suas supra petram, & noluérunt reverti. Ego autem dixi: Fórsitan páuperes sunt & stulti, ignorantes viam Dómini, judícium Dei sui. Ibo igitur ad optimátes, & loquar eis: ipsi enim cognovérunt viam Dómini, judícium Dei sui; & ecce magis hi simul confregérunt jugum, rupérunt víncula.

℟. Adimplétur in eis prophetía Isaíæ dicentis: Incrassátum est cor pópuli hujus, & áuribus gráviter audiérunt, * Et óculos clausérunt: nequando vídeant óculis, & corde intélligant, & convertantur, & sanem eos. ℣. Pópulo huic factum est cor incrédulum, & exásperans. * Et óculos. *Matth.* 13. *Jerem.* 5.

LECTIO II. *Cap.* 6.

CUi loquar? & quem contestábor ut áudiat? Ecce incircumcísæ aures eórum, & audíre non possunt: ecce verbum Dómini factum est eis in oppróbrium; & non suscípient illud. Idcirco furóre Dómini plenus sum, laborávi sústinens: effunde super párvulum foris, & super consílium júvenum simul: vir enim cum mulíere capiétur, senex cum pleno diérum. Et transíbunt domus eórum ad álteros, agri, & uxóres páriter: quia extendam manum meam super habitantes terram, dicit Dóminus. A minóre quippe usque ad majórem omnes avarítiæ studént: & à prophétâ usque ad sacerdótem cuncti fáciunt dolum. Et curábant contritiónem fíliæ pópuli mei cum ignomíniâ, dicentes: Pax, pax; & non erat pax. Confúsi sunt, quia abominatiónem fecérunt: quin pótiùs confusióne non sunt confúsi, & erubéscere nesciérunt: quam ob rem cadent inter ruentes: in témpore visitatiónis suæ córruent, dicit Dóminus.

℞. Ecce ego addúcam super Juda, & super omnes habitatóres Jerúsalem, universam afflictiónem quam locútus sum adversùm illos; * Eo quòd locútus sum ad illos; & non audiérunt; vocávi illos & non respondérunt mihi. ℣. Si non venissem, & locútus fuissem eis, peccátum non habérent: nunc autem excusatiónem non habent de peccáto suo; * Eo quòd. *Jerem.* 35. *Joan.* 15.

LECTIO III.

Ex Epístolâ sancti Ignátii Epíscopi & Mártyris ad Smyrnæos: *Edit. Cotel. & apud Theodoret. An.* 107. *n.* 1.

GLoríficо Jesum Christum Deum, qui tantâ vos sapiéntiâ donávit. Cognóvi enim vos perfectos in fide immótâ; ut affixos cruci Dómini nostri Jesu Christi, & carne & spíritu; & firmátos in caritáte, in sánguine Christi; plenè persuásos in Dóminum nostrum verè exsisténtem de génere Davídis, secundùm carnem; Fílium Dei, secundùm voluntátem, divinitátem, & poténtiam Dei; natum verè ex Vírgine; baptizátum à Joanne, ut implerétur ab eo omnis justítia; verè sub Póntio Piláto & Heróde tetrarchâ clavis confixum pro nobis in carne. Ex quo fructu nos sumus, per divínè beátam passiónem ejus; ut élevet signum in sécula, per resurrectióne̅, sanctis & fidélibus suis, sive in Judæis, sive in Géntibus, in uno córpore Ec-

cléssiæ suæ. Omnia enim hæc passus est propter nos, ut salútem consequámur.

℟. Mihi absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi: * Per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. ℣. Ego in Dómino gaudébo, & exsultábo in Deo Jesu meo. * Per quem. ℟. Mihi. *Galat.* 6. *Habac.* 3.

Ad Benedíctus. *Ant.* Vos ascéndite ad diem festum hunc, ego autem non ascendo, quia meum tempus nondum implétum est. *Joan.* 7.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

OMnipotens sempiterne Deus, te súpplices exorámus, † ut sic nostra sanctificentur jejúnia, * quátenus appropinquante Unigéniti Filii tui Passióne, bonórum óperum tibi placére valeámus exhibitióne; Per eumdem.

CANON.

Ex Concilio Coloniensi. *An.* 1536. *Part.* 7. *Can.* 38.

IN públicis crimínibus, quemádmodùm necesse est, ita jubémus ad Cánones antíquos públicæ pœniténtiæ regredi; atque ádeò ad Christi & sui discípuli Pauli institútum reverti, qui ad Corínthios exemplo ostendit, quómodo opórteat Ecclésiam in públicè peccantem animadvértere, donec ipsi públicè peractâ pœniténtiâ satisfécerit.

Ad Magníficat. *Ant.* Quidam dicébant: Quia bonus est. Alii autem dicébant: Non; sed sedúcit turbas. Nemo tamen palam loquebátur de illo, propter metum Judæórum. *Joan.* 7.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

DA nobis quæsumus, Dómine, perseverantem in tuâ voluntáte famulátum; † ut in diébus nostris * & mérito, & número pópulus tibi sérviens augeátur; Per Dóminum.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

Ex Jeremíâ Prophétâ. *Cap.* 6.

HÆc dicit Dóminus: State super vias, & vidéte & interrogáte de sémitis antíquis, quæ sit via bona, & ambuláte in eâ: & inveniétis refrigérium animábus vestris. Et dixérunt: Non ambulábimus. Et constitui super vos speculatóres: Audite vocem tubæ. Et dixérunt: Non audiémus. Ideò audíte, gentes, & cognosce, congregátio, quanta ego fáciam eis. Audi, terra: Ecce ego addúcam mala super pópulum istum, fructum cogitatiónum ejus: quia verba mea non au-

diérunt, & legem meam projecérunt. Ut quid mihi thus de Saba affertis, & cálamum ſuáve olentem de terrâ longinquâ? Holocautómata veſtra non ſunt accepta, & víctimæ veſtræ non placuérunt mihi. Proptéreà hæc dicit Dóminus: Ecce ego dabo in pópulum iſtum ruínas, & ruent in eis patres & filii ſimul, vicínus & próximus períbunt.

℟. Quia vocávi, & renuiſtis; * Ego quoque in intéritu veſtro ridébo, & ſubſannábo, cùm vobis id quod timebátis, advénerit. ℣. Ego vado, & quærétis me, & in peccáto veſtro moriémini. * Ego quoque. *Prov.* 1. *Joan.* 8.

LECTIO II. *Cap.* 7.

ECce vos confiditis vobis in ſermónibus mendácii, qui non próderunt vobis; furári, occídere, adulterári, juráre mendáciter, libáre Baálim, & ire poſt deos aliénos quos ignorátis. Et veniſtis, & ſtetiſtis coram me in domo hâc, in quâ invocátum eſt nomen meum, & dixiſtis: Liberáti ſumus, eo quòd fecérimus omnes abominatiónes iſtas. Numquid ergo ſpelunca latrónum facta eſt domus iſta, in quâ invocátũ eſt nomen meum in óculis veſtris? Ego, ego ſum: ego vidi, dicit Dóminus. Ite ad locum meum in Silo, ubi habitávit nomen meum à princípio: & vidéte quæ fécerim ei propter malítiam pópuli mei Iſraël: & nunc, quia feciſtis ómnia ópera hæc, dicit Dóminus, & locútus ſum ad vos manè conſurgens, & loquens, & non audiſtis: & vocávi vos, & non reſpondiſtis: fáciam dómui huic, in quâ invocátum eſt nomen meũ; & in quâ vos habétis fidúciam; & loco, quem dedi vobis & pátribus veſtris, ſicut feci Silo. Et projíciam vos à fácie meâ, ſicut projéci omnes fratres veſtros, univerſum ſemen Ephraim.

℟. Jerúſalem, Jerúſalem, quóties vólui congregáre filios tuos, & noluiſti? * Ecce relinquétur vobis domus veſtra deſerta. ℣. Dabo domum iſtam ſicut Silo, & urbem hanc dabo in maledictiónem cunctis géntibus terræ. * Ecce. *Matth.* 23. *Jerem.* 26.

LECTIO III.

Ex Epiſtolâ ſancti Polycarpi Epíſcopi & Mártyris ad Philippenſes. *Edit. Cotel. II. Sec. n.* 7 & 8.

OMnis qui non confeſſus fúerit Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, antichriſtus eſt; & qui non

confessus fuerit martyrium crucis, ex diábolo est: & qui elóquia Dómini tradúxerit ad desidéria sua, dixeritque neque resurrectiónem, neque judícium esse; hic primogénitus est Sátanæ. Quocirca, derelíctâ plerorumque vanitáte falsísque doctrínis, ad tráditum nobis ab inítio sermónem revertámur, vigilantes in oratiónibus, & perseverantes in jejúniis; précibus rogantes ómnium conspectórem Deum, ne nos indúcat in tentatiónem; sicut dixit Dóminus: Spíritus quidem promptus est; caro autem infirma. Indesinenter ergo perseverémus in spe nostrâ, & pígnore justítiæ nostræ, quod est Christus Jesus; qui pértulit nostra peccáta in córpore suo super lignum; qui peccátum non fecit; nec inventus est dolus in ore ejus; sed propter nos, ut in ipso vivámus, ómnia sustínuit. Imitatóres ígitur simus patiéntiæ ipsíus: & si patiámur propter nomen ejus, glóriâ illum affícimus. Hoc quippe exemplum nobis pósuit in seipso, ac nos id crédidimus.

℟. Qui peccátum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus; peccáta nostra ipse pértulit in córpore suo super lignum; * Ut peccátis mórtui, justítiæ vivámus. ℣. Disciplína pacis nostræ super eum, & livóre ejus sanáti sumus; * Ut. ℟. Qui. *I. Petr.* 2. *Isai.* 53.

Ad Benedictus. *Ant.* Oves meæ vocem meam áudiunt, & ego vitam ætérnam do eis: & non períbunt in ætérnum. *Joan.* 10.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

Sanctificáto hoc jejúnio, Deus, tuórum corda fidélium miserátor illustra; † & quibus devotiónis præstas affectum, * præbe supplicántibus pium benignus audítum. Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Moguntíno. *An.* 1549. *Can.* 10.

Sacerdótes confessários monémus, eísque præcipiendo injúngimus, ne in usúrâ, furto, rapínâ aut fraude, absolutiónem confitenti impertiantur; nisi ea quæ injustè ábstulit, quátenus ejus facultátes permittunt, se restitutúrum promíserit. In áliis levióribus delíctis, satisfactiónes, juxta qualitátem culpæ, aut confiténtis possibilitátem, moderentur.

Ad Magníficat. *Ant.* Si mihi non vultis crédere, opéribus crédite; ut cognoscátis & credátis quia Pater in me est, & ego in Patre. *Joan.* 10.

Collecta. *Miss. Ambros.*

DEus, qui humáni géneris ita es cónditor, ut sis étiam reformátor, † propitiáre pópulis adoptívis; * ut filii promissiónis, quod non potuérunt ádsequi per natúram, gáudeant se recepisse per grátiam; Per Dóminum nostrum.

FERIA QUINTA.

Lectio I.

Ex Jeremíâ Prophétâ.

Cap. 9.

QUis dabit cápiti meo aquam, & óculis meis fontem lacrymárum? & plorábo die ac nocte interfectos filiæ pópuli mei. Quis dabit me in solitúdine diversórium viatórũ, & derelinquam pópulum meum, & recédam ab eis? quia omnes adúlteri sunt, cœtus prævaricatórum. Et extendérunt linguam suam quasi arcum mendácii & non veritátis: confortáti sunt in terrâ, quia de malo ad malum egressi sunt, & me non cognovérunt, dicit Dóminus. Unusquísque se à próximo suo custódiat; & in omni fratre suo non hábeat fidúciam: quia omnis frater supplantans supplantábit, & omnis amícus fraudulenter incédet. Habitátio tua in médio doli: in dolo renuérunt scire me, dicit Dóminus.

℟. Réspice inimícos meos quóniam multiplicáti sunt, & ódio iníquo odérunt me. * Custódi, Dómine, ánimam meam, & érue me. ℣. Odérunt & me, & Patrem meum; ut adimpleátur sermo qui in lege eórum scriptus est: Quia ódio habuérunt me gratìs. * Custódi. *Ps. 24. Joan. 15.*

Lectio II. *Cap. 9 & 10.*

HÆc dicit Dóminus: Non gloriétur sápiens in sapiéntiâ suâ, & non gloriétur fortis in fortitúdine suâ, & non gloriétur dives in divítiis suis: sed in hoc gloriétur, qui gloriátur; scire & nosse me, quia ego sum Dóminus, qui fácio misericórdiam, & judícium, & justítiam in terrâ: hæc enim placent mihi, ait Dóminus. Non est símilis tuî, Dómine: magnus es tu, & magnum nomen tuum in fortitúdine. Quis non timébit te, ô Rex géntium? tuum est enim decus: inter cunctos sapientes géntium, & in universis regnis eórum nullus est símilis tuî. Scio, Dómine, quia non est hóminis via ejus: nec viri est ut ámbulet, & dírigat gressus suos. Córripe me, Dómine, verúmtamen in judício, & non in furóre tuo; ne fortè ad níhilum rédigas me.

℟. Christus Jesus factus est nobis sapiéntia a Deo, & justítia, & sanctificátio, & redémptio; * Ut, quemádmodum scriptum est: Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. ℣. De plenitúdine ejus nos omnes accépimus. * Ut. *I. Cor.* 1. *Joan.* 1.

LECTIO III.

Ex Demonstratióne sancti Hippólyti Epíscopi & Mártyris advérsus Judæos. *Edit. Fabric. III. Seculo ineunte. n.* 1, 2 & 3.

INclína aurem tuam, Judæe; & audi verba mea, & adtende. Procédat in médium, qui per Spíritum sanctum lóquitur, & verax est, David filius Jesse. Hic cùm quædam prophéticè de vero Christo cáneret, & Deum nostrum per Spíritum sanctum canendo celebráret, ómnia, quæ à Judæis in passióne ejus facta sunt, claré denuntiávit, ubi Christus qui se humiliávit, & formam servi Adam índuit, dicit tamquàm ex persónâ suâ: Quæ non rápui, tunc solvébam; id est, qui non peccávi, pro peccáto Adæ sustínui mortem. Quóniam tu, Deus, scis insipiéntiam meam; & delícta mea à te non sunt abscóndita; id est, non enim, inquit, delíqui, quamobrem non erubescant qui exspectant vidére meam post tríduum resurrectiónem; id est, Apóstoli, quóniam propter te, ut tibi obedírem, sustínui oppróbrium; id est, crucem, quando Judæi operuérunt confusióne fáciem meam; quando aliénus factus sum frátribus meis secundùm carnem, & peregrínus fíliis matris meæ; id est, synagógæ. Quóniá zelus domûs tuæ comédit me, & impropéria improperántium tibi, & sacrificántium idólis cecidérunt súper me; quamobrem contra me loquebantur, qui sedébant in portis: extra portam enim crucifixérunt eum; & in me psallébant, qui bibébant vinum; id est, in festo Paschæ. Ego verò oratióne meâ ad te, Dómine, dicébam: Pater remitte ipsis Géntibus, quóniam tempus beneplácitì Géntium: ne ígitur demergat me tempestas tentatiónum, nec absórbeat me profundum; id est, infernus: non enim relinques ánimam meam in inferno; nec úrgeat super me púteus os suum; id est, sepulchrum. Propter inimícos meos éripe me, ne glorientur Judæi dicentes: Absorbeámus eum. Hæc ómnia Christus œconómicè tamquàm homo precabátur, qui erat verus Deus.

℞. Extráneus factus ſum frátribus meis, & peregrínus fíliis matris meæ; quóniam zelus domûs tuæ comédit me; & * Oppróbria exprobrántium tibi, cecidérunt ſuper me. ℣. Chriſtus non ſibi plácuit, ſed ſicut ſcriptum eſt: * Oppróbria, ℞. Extráneus. *Pſ.* 68. *Rom.* 15.

Ad Benedictus. *Ant.* Remittuntur ei peccáta multa, quóniam diléxit multùm. *Luc.* 7.

Collecta. *Sacr. Leon.*

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus; † ut dígnitas conditiónis humánæ per immoderántiam ſauciáta, * medicinális parcimóniæ ſtúdio reformétur; Per Dóminum.

CANON.

Ex Régulis ſacramentálibus ſancti Cároli Mediolanenſis Epíſcopi. *An.* 1558.

VIdeat diligenter Confeſſárius ne quem abſolvat qui, vel ódium inimicitiamve depónere nolit, vel reſtitúere pro facultáte recúſet aliénum, vel à ſtatu peccáti mortális parátus non ſit diſcédere, occaſiónemve ſímilis peccáti vitáre. Quâ de re doctrínas probátas ſtúdeat rectè cognóſcere, & ſecundùm eas ſeſe gérere.

Ad Magníficat. *Ant.* Fides tua te ſalvam fecit: vade in pace. *Luc.* 7.

Collecta. *Sacr. Gelaſ.*

ESto, quæſumus, Dómine, propítius plebi tuæ: † ut quæ tibi non placent, reſpuentes, * tuórum pótius repleantur delectatiónibus mandatórum; Per Dóminum noſtrum.

FERIA SEXTA.

Lectio I.

Ex Jeremíâ Prophétâ. *Cap.* 11.

QUid eſt, quòd dilectus meus in domo meâ fecit ſcélera multa? numquid carnes ſanctæ áuferent à te malítias tuas, in quibus gloriáta es? Olívam úberem, pulchram, fructíferam, ſpecióſam, vocávit Dóminus nomen tuum: ad vocem loquélæ, grandis exarſit ignis in eâ, & combuſta ſunt frutéta ejus. Et Dóminus exercítuum qui plantávit te, locútus eſt ſuper te malum, pro malis domûs Iſrael & domûs Juda, quæ fecérunt ſibi ad irritandum me, libantes Baálim. Tu autem, Dómine, demonſtraſti mihi, & cognóvi: tunc oſtendiſti mihi ſtúdia eórum. Et ego quaſi agnus manſuétus, qui portátur ad víctimam: & non cognóvi quia cogitavérunt ſuper me consília, dicentes: Mittámus lignum in panem ejus, & eradámus eum de terrâ viventium, & nomen ejus

non memorétur ámpliùs. Tu autem, Dómine Sábaoth; qui júdicas justè, & probas renes & corda, vídeam ultiónem tuam ex eis: tibi enim revelávi causam meam.

℟. Numquid rédditur pro bono malum, quia fodérunt fóveã ánimæ meæ? * Recordáre quod stéterim in conspectu tuo, ut lóquerer pro eis bonum, & advérterem indignatiónem tuam ab eis. ℣. Si non venissem, & locútus fuissem eis, peccátum non habérent; nunc autem excusatiónem non habent de peccáto suo. * Recordáre. *Jerem.* 18. *Joan.* 15.

LECTIO II. *Cap.* 14.

DEdúcant óculi mei lácrymam per noctem & diem, & non táceant: quóniam contritióne magnâ contríta est virgo fília pópuli mei, plagâ péssimâ vehementer. Si egressus fúero ad agros, ecce occísi gládio; & si introíero in civitátem, ecce adtenuáti fame. Prophéta quoque & sacerdos abiérunt in terram, quam ignorábant. Numquid projíciens abjecisti Judam? aut Sion abomináta est ánima tua? quare ergo percussisti nos, ita ut nulla sit sánitas? Exspectávimus pacem, & non est bonum; & tempus curatiónis, & ecce turbátio. Cognóvimus, Dómine, impietátes nostras, iniquitátes patrum nostrórum, quia peccávimus tibi. Ne des nos in oppróbrium propter nomen tuum, neque fácias nobis contuméliam sólii glóriæ tuæ: recordáre, ne írritum fácias fœdus tuum nobiscum. Numquid sunt in sculptílibus géntium qui pluant? aut cœli possunt dare imbres? nonne tu es Dóminus Deus noster, quem exspectávimus? tu enim fecisti ómnia hæc.

℟. Quis miserébitur tuî, Jerúsalem? aut quis contristábitur pro te? aut quis ibit ad rogandum pro pace tuâ? * Tu reliquisti me, dicit Dóminus. ℣. Si cognovisses & tu, & quidem in hâc die tuâ quæ ad pacem tibi, nunc autem abscóndita sunt ab óculis tuis. * Tu. *Jerem.* 15. *Luc.* 19.

LECTIO III.

Ex Demonstratióne sancti Hippólyti Epíscopi & Mártyris adversùs Judæos. *Edit. Fabric. n.* 5 & 6.

AUdi, & adverte, Judæe, quid dicat Christus: Dedérunt in cibum meum fel, & in siti meâ potavérunt me acéto. Et hæc passus est à vobis. Audi Spíritum sanctum dicentem, quid retríbuet vobis

pro illo módico acéto: ait enim Prophéta tamquàm ex persónâ Dei: Fiat mensa eórum in láqueum, & in retributiónem. Quam retributiónem dicit? manifestum est eam misériam dícere, in quâ nunc sunt Judæi. Audi deinde quæ sequuntur: Obscurentur óculi eórum, ne vídeant. Atqui obscuráti sunt vobis óculi ánimæ obscuratióne tenebrósâ & æternâ; siquidem orto vero lúmine, vos tamquam in nocte errátis, in ínvia vos impingentes, ac præcipitantes, quia viam illam reliquistis, quæ aiébat: Ego sum via. Prætérea audi quod grávius & periculósius est, ait enim: Dorsa eórum semper incurva; id est, ut sérviant Géntibus non quadringentis triginta annis, ut Babylóne, sed semper, inquit, in servitútem incurva. Quid jam deínceps frustra, & vanè liberatiónem hujus misériæ speras? Quod enim magis mirandum est, cæcitátem oculórum tuórum non injustè imprecátus est, quia tu óculos ejus velasti, cùm eum álapis cædébas.

℟. Sustínui qui simul contristarétur, & non fuit; & qui consolarétur, & non invéni: & * Dedérunt in escam meam fel; & in siti meâ potavérunt me acéto. ℣. Ut consummarétur Scriptúra, dixit Jesus: Sítio. Illi autem spóngiam plenam acéto obtulérunt ori ejus.* Dedérunt. ℟. Sustínui. *Ps.* 68. *Joan.* 19.

Ad Benedictus. *Ant.* Collegérunt Pontífices & Pharisæi concílium adversùs Jesum, & dicébant: Quid fácimus, quia hic homo multa signa facit? *Joan.* 11.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

CORdibus nostris, quæsumus, Dómine, grátiam tuam benignus infunde; † ut peccáta nostra castigatióne voluntáriâ cohibentes, * temporáliter pótiùs macerémur, quàm suppliciis deputémur ætérnis; Per Dóminum.

CANON.

Ex Instructiónibus sancti Cároli de Pœniténtiâ. *Inter Acta Mediolan. Eccles. part.* 4. *tit.* 9.

NEcessária ádmodùm Sacerdótibus, qui in audiendis pœniténtium confessiónibus versantur, Cánonum pœnitentiálium sciéntia. Etenim si ómnia quæ ad pœnitendi modum pértinent, non prudéntiâ solùm ac pietáte, sed justítiâ étiam metienda sunt; certè norma hæc è Canónibus pœnitentiálibus sumátur oportet.

Ad Magníficat. *Ant.* Ab illo die cogitavérunt ut

interficerent Jesum. Jesus ergo jam non in palàm ambulábat apud Judæos: sed ábiit in regiónem juxta desertum, cum discípulis suis. *Joan.* 11.

COLLECTA. *Miss. Ambros.*

DEus, qui hómini ad imáginem tuam cóndito, ídeò das temporália, ut largiáris ætérna. † Ecclésiam tuam spiritáli fœcunditáte multíplica: * ut qui sunt generatióne terréni, fiant regeneratióne cœlestes; Per Dóminum.

SABBATO.

LECTIO I.

Ex Jeremíâ Prophétâ.
Cap. 17.

HÆc dicit Dóminus: Maledíctus homo, qui confídit in hómine, & ponit carnem bráchium suum, & à Dómino recédit cor ejus. Erit enim quasi myrícæ in deserto, & non vidébit cùm vénerit bonum: sed habitábit in siccitáte in deserto, in terrâ salsúginis, & inhabitábili. Benedíctus vir, qui confídit in Dómino, & erit Dóminus fidúcia ejus. Et erit quasi lignum quod transplantátur super aquas, quod ad humórem mittit radíces suas: & non timébit cùm vénerit æstus. Et erit fólium ejus víride, & in témpore siccitátis non erit sollícitum, nec aliquando désinet fácere fructum. Pravum est cor ómnium & inscrutábile: quis cognoscet illud? Ego Dóminus scrutans cor, & probans renes: qui do unicuíque juxta viam suam & juxta fructum adinventiónum suárum.

℞. Adhuc módicum lumen in vobis est. * Ambuláte dum lucem habétis, ut non vos ténebræ comprehendant. ℣. Date Dómino Deo vestro glóriam, ántequam contenebrescat: * Ambuláte. *Joan.* 12. *Jerem.* 13.

LECTIO II.

EXspectátio Israel, Dómine: omnes qui te derelinquunt, confundentur: recedentes à te, in terrâ scribentur: quóniam dereliquérunt venam aquárum vivéntium Dóminum. Sana me, Dómine, & sanábor: salvum me fac, & salvus ero: quóniam laus mea tu es. Ecce ipsi dicunt ad me: Ubi est verbum Dómini? véniat. Et ego non sum turbátus, te pastórem sequens: & diem hóminis non desiderávi; tu scis: Quod egressum est de lábiis meis, rectum in conspectu tuo fuit. Non sis tu mihi formídini, spes mea tu in die afflictiónis. Confundantur qui me persequun-

tur, & non confundar ego; páveant illi, & non páveam ego: induc super eos diem afflictiónis, & dúplici contritióne cónte-re eos.

℟. Ecce qui elongant se à te, Dómine, peribunt: perdidisti omnes, qui fornicantur abs te: * Mihi autem adhærére Deo bonum est: pónere in Dómino Deo spem meam. ℣. Christo confixus sum cruci: * Mihi. *Ps.* 72. *Galat.* 2.

LECTIO III.

Ex Tractátu sancti Augustíni Epíscopi in Joannem. *Tract.* 117. *Cap.* 19. *n.* 3. *Edit. Bened.*

IBat ad locum ubi fúerat crucifigendus, portans crucem suam Jesus. Grande spectáculum: sed si spectet impíetas, grande ludíbrii; si píetas, grande mystérium; si spectet impíetas, grande ignomíniæ documentum; si píetas, grande fídei munimentum; si spectat impíetas, ridet regem pro virgâ regni lignum sui portáre supplícii; si píetas, videt Regem bajulantem lignum ad semetipsum figendum, quod fixúrus fúerat in fróntibus regum; in eo spernendus óculis impiórum, in quo erant gloriatúra corda sanctórum.

℟. Dixérunt ímpii cogitantes apud se non rectè: Circumveniámus justum, quóniam contrárius est opéribus nostris; morte turpíssimâ condemnémus eum. * Excæcávit enim illos malítia eórum; & nesciérunt sacramenta Dei. ℣. Cogitavérunt Pontífices & Pharisæi ut interfícerent Jesum. * Excæcávit. ℟. Dixérunt. *Sap.* 2. *Joan.* 11.

Ad Benedictus. *Ant.* Venit hora, ut clarificétur Fílius hóminis. *Joan.* 12.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

OMnípotens sempitérne Deus, † propénsiùs his diébus tuam misericórdiam consequámur: * quibus eam pléniùs, te largiente, cognóvimus; Per Dóminum.

CANON.

Ex Instructiónibus sancti Cároli de Pœniténtiâ. *Act. Eccles. Mediolan. Part.* 4. *Tit.* 9.

SUnt Cánones pœnitentiáles quasi régulæ quædam quibus, cùm ad culpæ commissæ gravitátem rectè dignoscendam, tùm ad imponendam pro illíus ratióne veram pœniténtiam, confessárii ita dirigúntur, ut ubi síngula, & quæ ad peccáti magnitúdinem, & quæ ad pœnitentis statum, conditiónem ætátem, intimumque cor-

dis contríti dolórem pértinent, accurátè perpénderint, tum demùm pœniténtiam judício ac prudéntiâ suâ moderentur.

AD VESPERAS.

Antiphonæ ut in Psalterio.

LECTIO. *Jerem.* 26.

Ecce in mánibus vestris sum: fácite mihi quod bonum & rectum est in óculis vestris. † Verùmtamen scitóte & cognóscite quòd si occidéritis me, sánguinem innocentem tradétis contra vosmetipsos, & contra civitátem istam, & habitatóres ejus; * in veritáte enim misit me Dóminus ad vos.

℟. *br.* Deus meus es tu; * Ne discésseris à me. ℟. Deus. ℣. Quóniam tribulátio próxima est. * Ne discésseris. *Repetitur.* ℟. Deus meus. *Ps.* 21.

Hymnus. Fando quis audívit? *ut suprà Sabbato ante Domínicam Passionis, pag.* 257.

℣. Dixi, Ecce vénio, ℟. Ut fáciam, Deus, voluntátem tuam. *Hebr.* 10.

Ad Magníficat. *Ant.* Jerúsalem, si cognovisses & tu, & quidem in hâc die tuâ, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscóndita sunt ab óculis tuis. *Luc.* 19.

Collecta infrà ad Laudes, pag. 290.

DOMINICA *PALMARUM.*

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Christum Jesum, qui dedit redemptiónem semetipsum pro ómnibus; * Veníte, adorémus. *I. Tim.* 2.

Hymnus. Oppróbriis, *ut suprà in Dominicâ Passionis, pag.* 257.

Antiphonæ, & ℣. *I. & II. Nocturni, ut in Psalterio.*

IN I. NOCTURNO.

LECTIO I.

Ex Jeremíâ Prophétâ.

Cap. 25.

Factum est verbum istud à Dómino dicens: Hæc dicit Dóminus exercítuum: Pro eo quod non audistis verba mea: ecce ego mittam, & assúmam univérsas cognatiónes Aquilónis, ait Dóminus, & Nabuchodonósor regem Babylónis servum meum: & addúcam eos super terrâ istam, & super habitatóres ejus, & super omnes natiónes quæ in circúitu illíus sunt. Et erit universa terra hæc in sōlitúdinem, & in stupórem: & sérvient omnes gentes istæ regi Babylónis septuaginta annis. Cùmque impléti fúerint septuaginta

anni, visitábo super regem Babylónis, & super gentem illam, dicit Dóminus, iniquitátem eórum, & super terram Chaldæórum: & ponam illam in solitúdines sempitérnas.

℟. Post hebdómades sexaginta duas occidétur Christus; * Et non erit ejus pópulus qui eum negatúrus est. Et civitátem & sanctuárium dissipábit pópulus cum duce ventúro. ℣. Fílius hóminis tradétur princípibus Sacerdótum, & condemnábunt eum morte; * Et non. *Dan.* 9. *Matth.* 20.

LECTIO II. *Cap.* 26.

HÆc dicit Dóminus: Sta in átrio domûs Dómini, & loquéris ad omnes civitátes Juda, de quibus véniunt ut adórent in domo Dómini, univérsos sermónes, quos ego mandávi tibi ut loquáris ad eos: noli subtráhere verbum, si fortè áudiant, & convertantur unusquísque à viâ suâ malâ: & pœníteat me mali, quod cógito fácere eis propter malítiam studiórum eorũ. Et dices ad eos: Hæc dicit Dóminus: Si non audiéritis me, ut ambulétis in lege meâ, quam dedi vobis; ut audiátis sermónes servórum meórum Prophetárum, quos ego misi ad vos de nocte consurgens, & dírigens, & non audístis: dabo domum istam sicut Silo, & urbem hanc dabo in maledictiónem cunctis géntibus terræ.

℟. Qui ex Deo est, verba Dei audit: * Proptéreà vos non audítis, quia ex Deo non estis. ℣. Misit Dóminus ad vos omnes servos suos Prophétas, & non audístis: * Proptéreà. *Joan.* 8. *Jerem.* 25.

LECTIO III.

CUmque complésset Jeremías, loquens ómnia quæ præcéperat ei Dóminus ut loquerétur ad univérsum pópulum; apprehendérunt eum sacerdótes, & prophétæ, & omnis pópulus, dicens: Morte moriátur. Quare prophetávit in nómine Dómini, dicens: Sicut Silo erit domus hæc: & urbs ista desolábitur, eo quòd non sit habitátor? Et congregátus est omnis pópulus advérsùs Jeremíam in domo Dómini. Et audiérunt príncipes Juda verba hæc: & ascendérunt de domo regis in domum Dómini, & sedérunt in intróitu portæ domûs Dómini novæ. Et locúti sunt sacerdótes & prophétæ ad príncipes, & ad omnem pópulum, dicentes: Judícium mortis est viro huic, quia prophetávit advérsùs

civitátem istam, sicut audístis áuribus vestris.

℟. Tu, Dómine, demonstrasti mihi & cognóvi; ostendísti mihi stúdia eórum; * Et ego quasi agnus mansuétus, qui portátur ad víctimam. ℣. In eo dum convenírent simul adversùm me, accípere ánimam meam consiliáti sunt; * Et. *Jerem.* 11. *Ps.* 30.

L E C T I O IV.

ET ait Jeremías ad omnes príncipes, & ad universum pópulum, dicens: Dóminus misit me, ut prophetárem ad domum istã, & ad civitátem hanc, ómnia verba quæ audístis. Nunc ergo bonas fácite vias vestras, & stúdia vestra, & audíte vocem Dómini Dei vestri: & pœnitébit Dóminum mali, quod locútus est adversùm vos. Ego autem ecce in mánibus vestris sum: fácite mihi quod bonum & rectum est in óculis vestris. Verúmtamen scitóte & cognóscite, quòd si occidéritis me, sánguinem innocentem tradétis contra vosmetipsos, & contra civitátem istam, & habitatóres ejus; in veritáte enim misit me Dóminus ad vos, ut lóquerer in áuribus vestris ómnia verba hæc. Et dixérunt príncipes, & omnis pópulus, ad sacerdótes, & ad prophétas; Non est viro huic judícium mortis, quia in nómine Dómini Dei nostri locútus est ad nos.

℟. Animam meam pono pro óvibus meis. * Nemo tollit eam à me: sed ego pono eam à meipso. ℣. Relíqui domum meam: dimísi hæreditátem meam: dedi diléctam ánimam meam in manu inimicórum ejus. * Nemo. ℟. Animam *Joan.* 10. *Jerem.* 12.

IN II. NOCTURNO.

L E C T I O V.

Sermo sancti Leónis Papæ *Serm.* 60. *de Passione Domini* 11. *Edit. Paris. Cap.* 1.

DEsideráta nobis, dilectíssimi, & universo optábilis mundo adest festívitas Domínicæ Passiónis, quæ nos inter exsultatiónes spirituáliũ gaudiórum silére non pátitur: quia etsi difficile est de eádem solemnitáte sæpiùs dignè aptéque dissérere, non est tamen líberum sacerdóti, in tanto divínæ misericórdiæ sacramento, fidélis pópuli áuribus subtráhere sermónis officium: cùm ipsa matéria, ex eo quòd est ineffábilis, fandi tribuat facultátem; nec possit defícere quod dicátur, dum nunquam potest satis esse quod dícitur. Succumbat ergo humána infírmitas glóriæ Dei, & in

explicandis opéribus misericórdiæ ejus, ímparem se semper invéniat.

℟. Generatiónem ejus quis enarrábit? Dóminus vóluit contérere eum in infirmitáte: * Si posúerit pro peccáto ánimam suam, vidébit semen longævum, & voluntas in manu ejus dirigétur. ℣. Oportet Fílium hóminis multa pati, & reprobári à princípibus Sacerdótum, & Scribis, & occídi, & tértiâ die resúrgere; * Si posúerit. *Isai.* 53. *Luc.* 9.

LECTIO VI.

QUid inter ómnia ópera Dei, in quibus humánæ admiratiónis fatigátur inténtio; ita contemplatiónem mentis nostræ & oblectat & súperat, sicut Pássio Salvatóris? De cujus omnipoténtiâ, quæ ei cum Patre unius & æquális esséntiæ est, quóties, ut póssumus, cogitámus, mirabílior nobis fit in Deo humílitas, quàm potestas: & difficílius cápitur divínæ majestátis exinanítio, quàm servílis formæ in summa provéctio. Sed multùm nos ad intelléctum juvat, quòd licèt áliud sit Creátor, áliud creatúra; áliud Déitas inviolábilis, áliud caro passíbilis; in unam tamen persónam concurrat propríetas utriusque substántiæ, ut sive in infirmitátibus, sive in virtútibus, ejusdem sit contumélia, cujus & glória.

℟. Cùm in formâ Dei esset, non rapínam arbitrátus est esse se æquálem Deo: * Sed humiliávit semetipsum, factus obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis. ℣. Candor est lucis ætérnæ, & spéculum sine máculâ Dei majestátis, & imágo bonitátis illíus; * Sed. *Philip.* 2. *Sap.* 7.

LECTIO VII. *Cap.* 2. & 3.

CHristiánæ ígitur fídei fortitúdo, quæ portas mortis, super inexpugnábilem petram ædificáta, non métuit, unum Dóminum Jesum Christum, & verum Deum, & verum hóminem confitétur: eumdem credens fílium Vírginis, qui autor est matris; eumdem natum in fine seculórum, qui creátor est témporum; eumdem Dóminum ómnium virtútum, & unum de stirpe mortálium; eumdem peccáti néscium, & in similitúdine carnis peccáti pro peccatóribus immolátum. Qui, ut humánum genus vínculis mortíferæ prævaricatiónis absólveret, & sævienti diábolo poténtiam suæ majestátis occúluit, & infirmitátem nostræ humilitátis objécit.

℟. Bráchium Dómini cui revelátum est? Non est spécies ei, neque decor,

* Et vídimus eum despectum, & novíssimum virórum, virum dolórum & sciéntem infirmitátẽ. ℣. Ille appáruit ut peccáta nostra tólleret. * Et vídimus. *Isai.* 53. *I. Joan.* 3.

Lectio VIII. *Cap.* 3.

SI enim crudélis & supérbus inimícus consílium misericórdiæ Dei nosse potuisset, Judæórum ánimos mansuetúdine pótiùs temperáre, quàm injustis ódiis studuisset accéndere: ne ómnium captivórum amítteret servitútem, dum nihil sibi debentis persequitur libertátem. Fefellit ergo illum malígnitas sua: íntulit supplícium Fílio Dei, quod cunctis fíliis hóminum in remédium verterétur: fudit sánguinem justum, qui reconciliandó mundo & prétium esset & póculum. Suscépit Dóminus, quod secundum propósitum suæ voluntátis elégit. Admísit in se ímpias manus furéntium, quæ dum próprio incumbunt scéleri, famulátæ sunt Redemptóri. Cujus étiam circa interfectóres suos tanta erat pietátis afféctio, ut de cruce súpplicans Patri, non se vindicári, sed illis postuláret ignosci.

℟. Trádidit in mortem ánimam suam, & cum sceleràtis reputátus est: * Ipse peccáta multórum tulit, & pro transgressóribus rogávit. ℣. Jesus dicebat: Pater dimitte illis: non enim sciunt quid fáciunt: * Ipse. ℟. Trádidit in mortem. *Isai.* 53. *Luc.* 23.

IN III. NOCTURNO.

Cantica, Ant. & ℣. ut in Dominicâ Passionis, pag. 261.

Lectio IX.

Ex Epístolâ béati Pauli Apóstoli ad Colossenses. *Cap.* 2.

VOlo vos scire qualem sollicitúdinẽ hábeam pro vobis, & pro iis qui sunt Laodíciæ, & quicumque non vidérunt fáciem meam in carne: ut consolentur corda ipsórum, instructi in caritáte, & in omnes divítias plenitúdinis intellectûs: in agnitiónem mystérii Dei Patris & Christi Jesu: in quo sunt omnes thesauri sapiéntiæ & sciéntiæ abscónditi. Hoc autem dico, ut nemo vos decípiat in sublimitáte sermónum. Nam etsi córpore absens sum, sed spíritu vobiscum sum: gaudens, & videns órdinem vestrum, & firmaméntum ejus, quæ in Christo est, fidei vestræ. Sicut ergo accepistis Jesum Christum Dóminum, in ipso ambuláte, radicáti, & superædificáti in ipso, & confirmáti fide, sicut & di-

dicistis, abundantes in illo in gratiárum actióne.

℟. Non pósuit nos Deus in iram, sed in acquisitiónem salútis per Dóminum nostrum Jesum Christum, qui mórtuus est pro nobis, * Ut simul cum illo vivámus. ℣. Erípuit nos de potestáte tenebrárum, & tránstulit in regnum Filii dilectiónis suæ, * Ut. *I. Thess.* 5. *Coloss.* 1.

LECTIO X.

VIdéte ne quis vos decípiat per philosóphiam, & inánem falláciam, secundùm traditiónem hóminum, secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum: quia in ipso inhábitat omnis plenitúdo divinitátis corporáliter: & estis in illo repléti, qui est caput omnis principátûs, & potestátis: in quo & circumcísi estis circumcisióne non manufactâ in exspoliatióne córporis carnis, sed in circumcisióne Christi: consepulti ei in baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operatiónis Dei, qui suscitávit illum à mórtuis.

℟. Propósuit Deus in dispensatióne plenitúdinis témporum, instauráre ómnia in Christo, * Sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. ℣. In ipso complácuit omnem plenitúdinem inhabitáre, & per eum reconciliáre ómnia in ipsum, pacíficans per sánguinem crucis ejus, * Sive quæ. *Ephes.* 1. *Coloss.* 1.

LECTIO XI.

ET vos cùm mórtui essétis in delictis, & præpútio carnis vestræ, convivificávit cum illo, donans vobis ómnia delicta: delens quod adversùs nos erat chirógraphū decréti, quod erat contrárium nobis, & ipsum tulit de médio, affigens illud cruci: & exspólians principátus, & potestátes, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso.

℟. Cùm essétis alienáti, & inimíci sensu in opéribus malis, reconciliávit vos Deus in córpore carnis Christi per mortem, * Exhibére vos sanctos, & immaculátos & irreprehensíbiles coram ipso. ℣. Ipsum propósuit Deus propitiatiónem per fidem in sánguine ipsíus. * Exhibére. *Coloss.* 1. *Rom.* 3.

LECTIO XII.

NEmo ergo vos júdicet in cibo, aut in potu, aut in parte diéi festi, aut neoméniæ, aut sabbatórum quæ sunt umbra futurórum: corpus autem Christi. Nemo vos sedúcat volens in humilitáte, & religióne Angelórum, quæ non vidit ámbulans, frustra inflátus sensu carnis

suæ,

ſuæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus, per nexus & conjunctiónes ſubminiſtrátum & conſtructum, creſcit in augmentum Dei.

℟. Si cùm inimíci eſsémus, reconciliáti ſumus Deo per mortem Fílii ejus; *Multò magìs reconciliáti, ſalvi érimus in vitâ ipsíus. ℣. Cùm adhuc peccatóres eſsémus, Chriſtus pro nobis mórtuus eſt; * Multò. ℟. Si cùm. *Rom.* 5.

EVANGELIUM.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 21.

CUm appropinquaſſent Jeroſólymis, & veniſſent Béthphage ad montem Olivéti: tunc Jeſus miſit duos diſcípulos, dicens eis: Ite in caſtellum quod contra vos eſt, & ſtatim inveniétis áſinam alligátam, & pullum cum eâ: sólvite, & addúcite mihi: & ſi quis vobis áliquid díxerit, dícite quia Dóminus his opus habet: & confeſtim dimittet eos. Hoc autem totum factum eſt, ut adimplerétur quod dictum eſt per Prophétam dicentem: Dícite fíliæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi manſuétus, ſedens ſuper áſinam, & pullum filium ſubjugális. Euntes autem diſcípuli, fecérunt ſicut præcépit illis Jeſus. Et adduxérunt áſinā & pullum: & impoſuérunt ſuper eos veſtimenta ſua: & eum déſuper ſedére fecérunt. Plúrima autem turba ſtravérunt veſtimenta ſua in viâ: álii autem cædébant ramos de arbóribus, & ſternébant in viâ: turbæ autem quæ præcedébant, & quæ ſequebantur, clamábant dicentes: Hoſanna Fílio David: benedictus qui venit in nómine Dómini.

AD LAUDES.

ANTIPHONÆ.

I. DIcite fíliæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi manſuétus, ſedens ſuper áſinam, & pullum fílium ſubjugális. *Matth.* 21.

II. Teſtimónium perhibébat turba quæ erat cum eo, quando Lázarum ſuſcitávit à mórtuis: propterèa & óbviam venit ei turba, quia audiérunt eum feciſſe hoc ſignum. *Joan.* 12.

III. Multi autem veſtimenta ſua ſtravérunt in viâ: alii autem frondes cædébant de arbóribus, & ſternébant in viâ. *Marc.* 11.

IV. Cœpérunt turbæ diſcipulórum gaudentes laudáre Deum ſuper ómnibus quas víderant virtútibus, dicentes: Benedictus qui venit Rex in nómine Dómini; pax in cœlo, & glória in excelſis. *Luc.* 19.

V. Dico vobis: Quia, ſi hi tacúerint, lápides clamábunt. *Luc.* 19.

Lectio. *Coloss.* 2.

CHirógraphum decréti quod erat contrárium nobis, & ipsum tulit Christus de médio, affigens illud cruci, & expólians principátus & potestátes, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso.

℟. *br.* Ex ore infántium & lacténtium, * perfecisti laudem. ℣. Propter inimícos tuos, Dómine. * Perfecisti. ℟. Ex ore. *Ps.* 8.

Hymnus. Dum, Christe, confixus cruci, *ut in Dominicâ Passionis, pag.* 265.

℣. Confiteantur tibi pópuli, Deus, ℟. Confiteantur tibi pópuli omnes. *Ps.* 66.

Ad Benedictus. *Ant.* Turbæ quæ præcedébant, & quæ sequebantur, clamábant dicentes: Hosanna Fílio David: benedictus qui venit in nómine Dómini: Hosanna in altíssimis. *Matth.* 21.

Collecta. *Miss. Ambr.*

OMnípotens sempiterne Deus, qui humáno géneri, ad imitandum humilitátis exemplum, Salvatórem nostrum carnem súmere, & crucem subíre fecisti; † concéde propítius, * ut & patiéntiæ ipsius habére documenta, & resurrectiónis consórtia mereámur; Per eumdem.

Ad Horas, *Antiphonæ Laudum.*

AD PRIMAM.

Canon.

Ex Concílio Lateranensi quarto. *An.* 1215. *Can.* 21.

OMnis utriusque sexûs fidélis, postquam ad annos discretiónis pervénerit, ómnia sua solus peccáta confiteátur fidéliter, saltem semel in anno, próprio Sacerdóti; & injunctam sibi pœniténtiam stúdeat pro víribus adimplére; suscípiens reverenter ad minus in Pascha Eucharístiæ sacramentum: nisi fortè de consílio próprii Sacerdótis, ob áliquam rationábilem causam ad tempus ab ejus perceptióne dúxerit abstinendum: alióquin & vivens ab ingressu Ecclésiæ arceátur, & móriens Christiánâ cáreat sepultúrâ.

AD TERTIAM.

Lectio. *Zach.* 9.

EXsulta satis, filia Sion, júbila, fília Jerúsalem: † Ecce Rex tuus véniet tibi justus, & Salvátor: * ipse pauper, & ascendens super ásinam, & super pullum filium ásinæ.

℣. Lætétur Israel in eo qui fecit eum; ℟. Et filii

Sion exſultent in Rege ſuo. *Pſ.* 149.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Iſai.* 55.

MOntes & colles cantábunt coram vobis laudem, & ómnia ligna regiónis plaudent manu. † Pro ſaliuncâ aſcendet ábies, & pro urticâ creſcet myrtus; * & erit Dóminus nominátus in ſignum æternum quod non auferétur.

℣. Conſtítuite diem ſolem in condenſis, ℟. Uſque ad cornu altáris. *Pſ.* 117.

AD NONAM.

LECTIO. *Sap.* 10.

DEcantavérunt, Dómine, nomen ſanctum tuum; † & victrícem manum tuam laudavérunt páriter, * quóniam Sapiéntia apéruit os mutórum, & linguas infántium fecit diſertas.

℣. Laudáte, púeri, Dóminum: ℟. Laudáte nomen Dómini. *Pſ.* 112.

AD VESPERAS.

ANTIPHONÆ.

I. VIdentes príncipes Sacerdótum & Scribæ mirabília quæ fecit Jeſus, & púeros clamantes in templo *t* Hoſanna Fílio David, indignáti ſunt. *Matth.* 21.

II. Dixérunt ad ſemetipſos: Vidétis quia nihil profícimus? ecce mundus totus poſt eum ábiit. *Joan.* 12.

III. Ex princípibus multi credidérunt in eum: ſed non confitebantur, ut è Synagógâ non ejicerentur. *Joan.* 12.

IV. Jam enim conſpiráverant Judæi, ut ſi quis eum confiterétur eſſe Chriſtum, extra Synagógam fieret. *Joan.* 9.

LECTIO. *Hebr.* 9.

CHriſtus, adſiſtens Póntifex futurórum bonórum, per ámplius & perféctius tabernáculum, non manufactum, id eſt, non hujus creatiónis; † neque per sánguinem hircórum aut vitulórum, ſed per próprium sánguinem, introívit ſemel in Sancta, * æternâ redemptióne inventâ.

℟. *br.* Exſurge, *Hymnus*, Vexilla, *ut ſuprà in Dominicâ Paſſionis*, *pag.* 267.

℣. Dóminus regnávit, iraſcantur pópuli. ℟. Confiteantur nómini tuo magno. *Pſ.* 98.

Ad Magníficat. *Ant.* Pater ſalvífica me ex hâc horâ: ſed proptéreà veni in horam hanc: Pater, claríﬁca nomen tuum. *Joan.* 12.

FERIA SECUNDA.

MAJORIS HEBDOMADÆ.

AD OFFICIUM NOCT.

In Pſ. Veníte. *Ant.* Chriſtum Jeſum propter

iniquitátes nostras vulnerátum; * Veníte, adorémus. *Is.* 53.

HYMNUS. *S. M.*

PRome vocem mens, canóram,
Plange tristi cármine;
Dic crucifixi dolóres,
Mórtui dic vúlnera,
Innocens quæ sponte Christus
Pro reis fert víctima.
Cæsus immíti furóre
Nostra propter crímina,
Nos suo livóre sanat,
Nos jacentes érigit;
Et fovet plagas tumentes,
Et cruentas álligat.
Trans manus pedesque fixus,
Nostra rumpit víncula;
Totque fontes sunt salútis,
Quot fluit plagis cruor;
Et quibus clavis tenétur,
Nos tenet fixos cruci.
Mórtui pectus sacrátum
Vulnerátur lánceâ;
Inde sanguis mixtus undâ
Férvidus prolábitur:
Ad lavácrum præbet undam,
Ad corónas sánguinem.
Fac, Redemptor, hauriámus
His aquas de fóntibus;
Póculum sint ac medéla,
Sint & olim præmium:
Ut redemptus te per omne
Laudet orbis séculum.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Antiphonæ, & ℣. ut in Psalterio.

LECTIO I.

Ex Jeremíâ Prophétâ.
Cap. 31.

IN témpore illo, dicit Dóminus: Ero Deus univérsis cognatiónibus Israel, & ipsi erunt mihi in pópulum. Hæc dicit Dóminus: Invénit grátiam in deserto pópulus, qui remánserat à gládio: vadet ad réquiem suam Israel. Longè Dóminus appáruit mihi. Et in caritáte perpétuâ dilexi te: ídeò attraxi te, míserans. Rursumque ædificábo te, & ædificáberis, virgo Israel: Quia hæc dicit Dóminus: Exsultáte in lætítiâ, Jacob, & hinníte contra caput géntium: personáte, & cánite, & dícite: Salva, Dómine, pópulum tuum, relíquias Israel. Ecce ego addúcam eos de terrâ Aquilónis, & congregábo eos ab extrémis terræ: inter quos erunt cæcus & claudus, prægnans & páriens simul, cœtus magnus reverténtium huc. In fletu vénient, & in misericórdiâ redúcam eos: quia factus sum Israéli pater, & Ephraim primogénitus meus est.

℟. Ego quasi nutrítius Ephraim, portábam eos in bráchiis meis: & nesciérunt quòd curárē eos. * In funículis Adam traham eos, in vínculis caritátis. ℣. Ego si exaltátus fuero à terrâ,

ómnia traham ad meipsum: * In funículis. *Osee*, 11. *Joan.* 12.

Lectio II.

HÆc dicit Dóminus: Vox in excelso audíta est lamentatiónis, luctus & fletus, Rachel plorantis filios suos, & nolentis consolári super eis, quia non sunt. Hæc dicit Dóminus: Quiescat vox tua à plorátu, & óculi tui à lácrymis: quia est merces óperi tuo, ait Dóminus: & reverten- tur de terrâ inimíci. Et est spes novíssimis tuis, ait Dóminus: & revertentur filii ad términos suos. Audiens audívi Ephraim transmigrantem: Castigasti me, & erudítus sum, quasi juvénculus indómitus: converte me, & convertar: quia tu Dóminus Deus meus. Postquàm enim convertisti me, egi pœniténtiam. Revértere, virgo Israel, revértere ad civitátes tuas istas. Usquequo delíciis dissolvéris, filia vaga? quia creávit Dóminus novum super terram: Fémina circúmdabit virum.

℟. Numquid tollétur à forti præda, aut quod captum fúerit à robusto, salvum esse póterit? Equidem, * Et captívitas à forti tollétur; & quod ablátum fúerit à robusto, salvábitur. ℣. Nunc judícium est mundi; nunc princeps hujus mundi ejiciétur foràs, * Et captívitas. *Isai.* 49. *Joan.* 12.

Lectio III.

Ex Sermóne primo sancti Leónis Papæ, de Passióne Dómini. *Serm.* 50. *Edit. Paris. Cap.* 2.

NUnc, dilectíssimi, in toto órdine Domínicæ Passiónis, non ita infirmitátem considerémus humánam, ut arbitrémur illic poténtiam defuisse divínam: neque illam ita coætérnam & æquálem Patri formam Unigéniti cogitémus, ut putémus non fuisse vera, quæ Deo videntur indigna. Prorsus útraque natúra, unus Christus; nec Verbum ibi ab hómine disjunctum, nec homo est dissociátus à Verbo. Non est fastidíta humílitas, quia nec imminúta majestas: nihil nócuit natúræ inviolábili, quod pasśíbili oportébat inferri. Totumque illud sacramentum, quod simul & humánitas consummávit & Déitas, dispensátio fuit misericórdiæ, & áctio pietátis. Tálibus enim vínculis tenebámur constricti, ut, nisi per hanc opem, non possémus absolvi. Humílitas ígitur divinitátis, nostra provéctio est. Nos tanto redímimur prétio, nos tanto curámur impéndio. Quis enim ab impietáte ad justítiam, à misériâ ad beatitúdinem esset recursus,

nisi & justus ad ímpios, & beátus inclinarétur ad míseros? Non est ergo, dilectíssimi, erubescenda Crux Christi, quæ de virtúte est divíni consílii, non de conditióne peccáti.

℟. Sicut Móyses exaltávit serpentem in deserto, * Ita exaltári oportet Fílium hóminis: ut omnis qui credit in ipsum, non péreat, sed hábeat vitam ætérnam. ℣. Serpentem æneum pósuit Móyses pro signo: quem cùm percussi adspícerent, sanabantur; * Ita. ℟. Sicut. *Joan.* 3. *Num.* 21.

IN II. NOCTURNO.

Lectio. *Gal.* 3.

CHristus nos redémit de maledícto legis, factus pro nobis maledictum: quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno: ut Géntibus benedíctio Abrahæ fieret in Christo Jesu, ut pollicitatiónem Spíritûs accipiámus per fidem.

℣. Exáudi, Deus, oratiónem meam cùm déprecor; ℟. A timóre inimíci, éripe ánimam meam. *Ps.* 63.

Collecta, infra.

AD LAUDES.

Antiphonæ.

I. VIde, Dómine, afflictiónem meam, quóniam erectus est inimícus. *Thren.* 1.

II. Factus sum in derísum omni pópulo meo, cánticum eórum totâ die. *Thren.* 3.

III. Fodérunt fóveam ut cáperent me, & láqueos abscondérunt pédibus meis: tu, Dómine, scis omne consílium eórum adversùm me in mortem. *Jerem.* 18.

IV. Abjectiónem posuisti me in médio populórum. Aperuérunt os suum omnes inimíci. *Thren.* 3.

V. Audisti oppróbrium eórum, Dómine, omnes cogitatiónes eórum adversùm me. *Thren.* 3.

Lectio. *Zach.* 11.

APpendérunt mercédem meam, triginta argénteos. Et dixit Dóminus ad me: Prójice illud ad statuárium, decórum prétium, quo appretiátus sum ab eis. Et tuli triginta argénteos, & projéci illos in domum Dómini ad statuárium.

℟. *br.* Deus meus, éripe me * De manu peccatóris; ℟. Deus. ℣. Et de manu contra legem agentis, & iníqui. * De. *Repetitur.* ℟. Deus. *Ps.* 70.

Hymnus. *S. M.*

QUæ te pro populi criminibus nova
Insontem properat pérdere cáritas?
Quid non pro miserâ gente luis, volens,
Factus víctima Póntifex?

Clavi

Clavi qui geminum transfadigunt pedem,
Captívos laqueo dæmonis éruunt;
Transfixæque manus excutiunt vetus,
Quo mundus premitur, jugum.
Obstétrix penitus láncea pérforat:
Quo nos parturiat, pectus amábile:
Hoc quæ fonte fluit, nos aqua, nos cruor
Sanat, líberat, ábluit.
O vitæ latices, vívida flúmina!
O sacros aditus péctoris íntimi!
O petræ solidæ tuta forámina!
O cordis penetrália!
Te si nostra, Pater, crímina próvocant,
Nati sacra lubens vúlnera réspice,
Cùm noster laceras objiciet tuis
Judex fulminibus manus.
Fac per sæva, Pater, vúlnera, per cruces,
Sic æterna tuos quærere gáudia;
Ut cum Prole tibi júgiter, ac tuo
Reddant Spiritui decus. Amen.

℣. Dómine ne elongáveris auxílium tuum à me: ℟. Ad defensiónem meam cónspice. *Ps.* 21.

Ad Benedictus. *Ant.* María unxit pedes Jesu, & extersit pedes ejus capillis suis: & domus impléta est ex odóre unguenti. *Joan.* 12.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

DA, quæsumus, omnípotens Deus, † ut qui in tot adversis ex nostrâ infirmitáte defícimus, * intercedente Unigéniti Fílii tui passióne respirémus; Qui tecum.

AD HORAS, *Antiphona Laudum.*

AD PRIMAM.

PRECES, *ut suprà, pag.* 154.

CANON.

Ex Concílio Lateranensi quarto. *An.* 1215. *Can.* 21.

SAcerdos sit discrétus, & cautus, ut more períti médici superinfundat vinum & óleum vulnéribus sauciáti: diligenter inquirens & peccatóris circumstántias, & peccáti, per quas prudenter intélligat quale illi consílium débeat exhibére, & cujúsmodi remédium adhibére, diversis experimentis utendo ad sanandum ægrótum.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Isai.* 50.

COrpus meum dedi percutiéntibus, & genas meas velléntibus; † fáciem meam non averti ab increpántibus & conspuéntibus

in me. * Dóminus Deus auxiliátor meus; ídeò non sum confúsus.

℣. Ego sum vermis & non homo; ℟. Oppróbrium hóminum, & abjéctio plebis. Ps. 21.

AD SEXTAM.

Lectio. *Zach.* 13.

Dicétur ei: Quid sunt plagæ istæ in médio mánuum tuárum? † Et dicet: His plagátus sum in domo eórum, qui diligébant me. * Frámea, suscitáre super pastórem meum, & super virum cohærentem mihi, dicit Dóminus exercítuum: pércute pastórem, & dispergentur oves.

℣. Fodérunt manus meas & pedes meos: ℟. Dinumeravérunt ómnia ossa mea. Ps. 21.

AD NONAM.

Lectio. *Sap.* 2.

Dixérunt ímpii: Si est verus Fílius Dei, suscípiet illum, & liberábit eum de mánibus contrariórum. † Contumélia & torménto interrogémus eum, ut sciámus reveréntiam ejus, & probémus patiéntiam illíus. * Morte turpíssimâ condemnémus eum.

℣. Deus meus es tu, ne discésseris à me; ℟. Quóniam tribulátio próxima est. Ps. 21.

AD VESPERAS.

ANTIPHONÆ.

I. Quod scriptum est oportet impléri in me: Et cùm iníquis deputátus est. Etenim ea quæ sunt de me, finem habent. *Luc.* 22.

II. Quos dedísti mihi, custodívi; & nemo ex eis périit, nisi fílius perditiónis, ut Scriptúra impleátur. *Joan.* 17.

III. Fílius hóminis secúndùm quod definítum est, vadit: verúmtamen væ hómini illi per quem tradétur. *Luc.* 22.

IV. Ecce appropinquávit hora, & Fílius hóminis tradétur in manus peccatórum. *Matth.* 26.

Lectio. *Zach.* 12.

Effundam super domum David, & super habitatóres Jerúsalem, spíritum grátiæ & precum; † & adspícient ad me quem confixérunt; & plangent eum quasi super unigénitum; * & dolébunt super eum, ut doléri solet in morte primogéniti.

℟. *br.* Exsurge. *Hymnus*, Vexilla. *ut suprà in Dominicâ Passionis, pag.* 267.

℣. Repléta est malis ánima mea, ℟. Et vita mea inferno appropinquávit. Ps. 87.

Ad Magníficat. *Ant.* Mittens hæc múlier un

guentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me, fecit. *Matth. 26.*

Collecta. *Miss. Ambr.*

DEus, qui pro redemptióne nostrâ accepisti sánguinem Jesu Christi; † solve ópera diáboli, & omnes láqueos dirumpe peccáti, * ut creatúram regeneratiónis, nulla deturpent contágia vetustátis; Per eumdem.

AD COMPLETORIUM.

Preces, *ut suprà, pag.* 156.

FERIA TERTIA.

Omnia ut suprà Feriâ secundâ, pag. 291. exceptis quæ sequuntur.

Lectio I.

Ex Jeremíâ Prophétâ. *Cap. 32.*

HÆc dicit Dóminus: Ecce ego tradam civitátem istam in manus Chaldæórum, & in manus regis Babylónis, & cápient eam. Et vénient Chaldæi præliantes adversùm urbem hanc, & succendent eam igni, & combúrent eam. Quia in furóre & in indignatióne meâ facta est mihi cívitas hæc, à die quâ ædificavérunt eam, usque ad diem istam, quâ auferétur de conspectu meo. Propter malítiam filiórum Israel & filiórum Juda, quam fecérunt ad iracúndiam me provocantes, ipsi & reges eórum, príncipes eórum, & sacerdótes eórum, & prophétæ eórum, viri Juda, & habitatóres Jerúsalem. Et vertérunt ad me terga, & non fácies: cùm docérem eos dilúculo, & erudírem, & nollent audíre ut accíperent disciplínam.

℞. Ecce ego addúcam super Juda, & super omnes habitatóres Jerúsalem, universam afflictiónem quam locútus sum adversùm illos, * Eo quòd locútus sum ad illos; & non audiérunt. ℣. Amen dico vobis: non relinquétur hìc lapis super lápidem, qui non destruátur: * Eo quòd. *Jerem. 35. Matth. 24.*

Lectio II.

ET nunc propter ista, hæc dicit Dóminus Deus Israel ad civitátem hanc, de quâ vos dícitis, quòd tradétur in manus regis Babylónis in gládio, & in fame, & in peste. Ecce ego congregábo eos de universis terris, ad quas ejéci eos in furóre meo, & in irâ meâ, & in indignatióne grandi: & redúcam eos ad locum istum, & habitáre eos fáciam confidenter. Et erunt mihi in pópulum, & ego ero eis in Deum. Et dabo eis cor unum, & viam unam, ut tímeant me univérsis dié-

bus : & bene sit eis, & fíliis eórum post eos. Et fériam eis pactum sempiternum, & non désinam eis benefácere : & timórem meum dabo in corde eórum ut non recédant à me.

℞. Tabescent in iniquitátibus suis, in terrâ inimicórum suórum; * Et propter peccáta patrum suórum & sua affligentur : donec confiteantur iniquitátes suas. ℣. Captívi ducentur in omnes Gentes, & Jerúsalem calcábitur à Géntibus : donec impleantur témpora natiónum : * Et. *Levit.* 26. *Luc.* 21.

LECTIO III.

Ex Sermóne primo sancti Leónis Papæ de Passióne Dómini. *Serm.* 50. *Edit. Paris. Cap.* 3 & 5.

QUamvis ex infirmitáte nostrâ verè passus Dóminus Jesus, verúque sit mórtuus, non tamen ita se abstínuit à glóriâ suâ, ut inter contumélias Passiónis, nihil divínæ operatiónis exercéret. Sed quòd Dóminus majestátis suæ poténtiam cómprimit, & vim in se persecutóris admittit, ex illâ est voluntáte, quâ dilexit nos, & trádidit semetipsum pro nobis, cooperante in hoc ipsum Patre, qui Fílio próprio non pepercit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum. Una est enim Patris & Fílii volúntas, ut est una divínitas : de cujus dispositiónis effectu, nihil vobis grátiæ, Judæi, nihil tibi, Juda, debémus : Salvatióni quidem nostræ, non hoc vobis voléntibus, impíetas vestra servívit, & per vos factum est, quidquid manus Dei & consílium decrevérunt fieri. Mors ígitur Christi nos líberat, vos accúsat. Méritò soli non habétis, quod ómnibus períre voluistis. Et tamen tanta est nostri bónitas Redemptóris, ut étiam vos possítis cónsequi véniam, si Christum Dei Fílium confiténdo, illam parricidálem malítiam relinquátis. Non enim Dóminus in cruce frustrà orávit, dicens : Pater, dimitte illis; quia nésciunt quid fáciunt.

℞. Sic Deus diléxit mundum, ut Fílium suum unigénitum daret : * Ut omnis qui credit in eum, non péreat, sed hábeat vitam ætérnam. ℣. In hoc est cáritas : non quasi nos dilexérimus Deum, sed quóniam ipse prior diléxit nos, & misit Fílium suum; * Ut omnis. ℞. Sic Deus. *Joan.* 3. *I. Joan.* 4.

Ad Benedictus. *Ant.* Nemo tollit ánimam meam à me : sed ego pono eam à meipso : & potestátem hábeo ponendi eam : &

potestátem hábeo íterum sumendi eam. *Joan.* 10.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

DEus, qui pro nobis Fílium tuum crucis patíbulum subíre voluisti, ut inimíci à nobis expélleres potestátem; † concéde nobis fámulis tuis, * ut resurrectiónis grátiam consequámur; Per eumdem.

CANON.

Ex Synodo Carnotensi.

An. 1526. *Tit.* 7.

PResbyteri circa Confessiónem sacramentálem máximam curam adhíbeant & cautélam; scílicet ut diligenter & cautè inquírant peccáta & circumstántias: ita tamen quòd simplícibus persónis dent matériam confitendi, & sua peccáta detegendi, nec eos directè vel indirectè ínstruant ad malum. Si pro iis quos in Confessióne audíerint Sacerdótes, prudentióre consílio indigúerint, illud absque ullâ expressióne & nominatióne persónæ, cautè requírant.

Ad Magníficat. *Ant.* Sciens Jesus quia venit hora ejus ut tránseat ex hoc mundo ad Patrem; cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. *Joan.* 13.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

TUa nos misericórdia, Deus, † & ab omni subreptióne vetustátis expurget: * & capáces sanctæ novitátis efficiat; Per Dóminum.

FERIA QUARTA.

Omnia ut suprà Feriâ secundâ, pag. 291. exceptis quæ sequuntur.

LECTIO I.

Ex Jeremíâ Prophétâ.

Cap. 33.

ET convertam conversiónem Juda, & conversiónem Jerúsalem: & ædificábo eos sicut à princípio. Et emundábo illos ab omni iniquitáte suâ, in quâ peccavérunt mihi: & propítius ero cunctis iniquitátibus eórum, in quibus deliquérunt mihi & sprevérunt me. Et erit mihi in nomen, & in gáudium, & in laudem, & in exsultatiónem cunctis géntibus terræ, quæ audíerint ómnia bona, quæ ego factúrus sum eis: & pavébunt, & turbabuntur in universis bonis, & in omni pace, quam ego fáciam eis. Hæc dicit Dóminus: Adhuc audiétur in loco isto vox gáudii & vox lætítiæ, vox sponsi & vox sponsæ, vox dicéntium: Confitémini Dómino exercítuum, quóniam bonus Dóminus; quóniam in ætérnum misericórdia ejus; & portántium vota in domum Dómini: redúcam

enim conversiónem terræ sicut à princípio, dicit Dóminus.

℞. Ambulábo contra eos, & indúcam illos in terram hostílem; * Donec erubescat incircumcísa mens eórum: tunc orábunt pro impietátibus suis. Et recordábor fœderis mei. ℣. Dies ultiónis hi sunt. Erit enim pressúra magna super terram, & ira pópulo huic: * Donec. *Levit.* 26. *Luc.* 21.

LECTIO II.

ECce dies véniunt, dicit Dóminus: & suscitábo verbum bonum, quod locútus sum ad domum Israel & ad domum Juda. In diébus illis, & in témpore illo, germináre fáciam David germen justítiæ, & fáciet judícium & justítiam in terrâ. In diébus illis salvábitur Juda, & Jerúsalem habitábit confidenter: & hoc est nomen, quod vocábunt eum: Dóminus justus noster. Quia hæc dicit Dóminus: Non interíbit de David vir, qui sédeat super thronum domûs Israel. Et de sacerdótibus & de Levítis non interíbit vir à fácie meâ, qui ófferat holocautômata, & incendat sacrifícium, & cædat víctimas ómnibus diébus. Et factum est verbum Dómini ad Jeremíam, dicens: Hæc dicit Dóminus: Si írritum potest fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, ut non sit dies & nox in témpore suo: & pactum meum írritum esse póterit cum David servo meo, ut non sit ex eo fílius qui regnet in throno ejus, & Levítæ & sacerdótes minístri mei.

℞. Dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus: * Et regnábit in domo Jacob in ætérnum, & regni ejus non erit finis. ℣. Factus est principátus super húmerum ejus, * Et regnábit. *Luc.* 1. *Isai.* 9.

LECTIO III.

Ex Sermóne duodécimo sancti Leónis Papæ de Passióne Dómini. *Serm.* 61. *Edit. Paris. Cap.* 3.

QUod unquam sacrifícium sacrátius fuit, quàm quod verus Póntifex altári Crucis per immolatiónem suæ carnis impósuit? Quamvis enim in conspectu Dómini multórum sanctórum pretiósa mors fúerit, nullíus tamen insontis occísio, propitiátio fuit mundi. Accepérunt corónas; & de fidélium fortitúdine exempla nata sunt patiéntiæ, non dona justítiæ. Singuláres quippe in síngulis mortes fuérunt, nec alteríus quisquam débitum suo fine persolvit, cùm inter fílios

hóminum solus Dóminus noster Jesus exstíterit, in quo omnes crucifixi, omnes mórtui, omnes sepulti, omnes etiam sint suscitáti. De quibus ipse dicébat: Cùm exaltátus fúero, ómnia traham ad meipsum. Fides enim vera justíficans ímpios, & creans justos ad natúræ suæ tracta partícipem, in illo acquírit salútem: in quo se ínvenit innocentem. Et quia unus est mediátor Dei & hóminum homo Christus Jesus, per communiónem sui géneris, ad pacem pervénit Deitátis, líberum habens de ejus poténtiâ gloriári, qui contra hostem superbum, in carnis nostræ infirmitáte congressus, iis victóriam suam tríbuit, in quorum córpore triumphávit.

℟. Christo confixus sum cruci. * Vivo autem jam non ego: vivit verò in me Christus. ℣. In fide vivo filii Dei, qui dilexit me, & trádidit semetipsum pro me. * Vivo. ℟. Christo. *Galat.* 2.

Ad Benedictus *Ant.* Quærébat Judas opportunitátem, ut tráderet Jesum sine turbis. *Luc.* 22.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

REminíscere miseratiónum tuárum, Dómine; † & fámulos tuos æternâ protectióne sanctífica, * pro quibus Christus Fílius tuus per suum cruórem nobis instítuit Paschále mystérium; Qui tecum vivit.

CANON.

Ex Concílio Aquisgranensi. *An.* 816. *Can.* 37.

PAstor quisque vel absólvere indiscrétè tímeat, vel ligáre. Is autem qui sub manu Pastóris est, ligári tímeat vel injustè, nec Pastóris sui judíciũ témerè reprehendat; ne & si injustè ligátus est, ex ipsâ túmidæ reprehensiónis supérbiâ, culpa quæ non erat, fiat.

AD VESPERAS.

ANTIPHONÆ.

I. SCitis quia post bíduum Pascha fiet, & Fílius hóminis tradétur, ut crucifigátur. *Matth.* 26.

II. Tempus meum propè est; euntes paráte nobis Pascha, ut manducémus. *Matth.* 26. *Luc.* 22.

III. Desidério desiderávi hoc Pascha manducáre vobiscum ántequam pátiar. *Luc.* 22.

IV. Dico vobis quia ex hoc non manducábo illud, donec impleátur in regno Dei. *Luc.* 22.

LECTIO. *Hebr.* 2.

QUia púeri communicavérunt carni & sánguini, ipse simíliter parti-

cipávit eiſdem; † ut per mortem deſtrúeret eum qui habébat mórtis impérium, ideſt, diábolum; * & liberáret eos, qui timóre mortis per totam vitam obnóxii erant ſervitúti.

℟. *br.* Exſúrge. *Hymnus*, Vexilla. *ut ſuprà in Dominicâ Paſſionis, pag.* 267.

℣. Repléta eſt malis ánima mea, ℟. Et vita mea inferno appropinquávit. *Pſ.* 87.

Ad Magníficat. *Ant.* Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tentatiónibus meis; & ego diſpóno vobis ſicut diſpóſuit mihi Pater meus regnum, ut edátis & bibátis ſuper menſam meam. *Luc.* 22.

Collecta. *Miſſ. Ambr.*

Pietátem tuam ſúpplices exorámus, omnípotens Deus, † ut ſic nos hódie à peccátis emácules, & jejuniórum noſtrórum vota ſuſcípias, * ut cras nos ad ſacratíſſimæ Carnis convívium introdúcas; Per eumdem.

Ad Completorium.

Confeſſio, Pſalmi, &c. ut in Dominicâ, pag. 28.

Tribus Feriis ſequentibus, dictis ab omnibus ſecretò, Pater, Ave, Credo, *abſolutè incipitur Officium Nocturnum ab impoſitione Antiphonæ in primum Pſalmum. Non dicitur* Glória Patri, *in fine Pſalmorum & Reſponſoriorum.*

FERIA QUINTA.

IN CŒNA DOMINI.

AD OFFICIUM NOCT.

Pſalmi dicuntur cum ſuis Diviſionibus.

IN I. NOCTURNO.

I. *Pſ.* 2. Quare fremuérunt Gentes. *pag.* 3.

Ant. Adſtitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum, adverſùs Dóminum, & adverſùs Chriſtum ejus.

II. *Pſ.* 22. Dóminus regit me. *pag.* 106.

Ant. Paraſti, Dómine, in conſpectu meo menſam, adverſùs eos qui tríbulant me. Et calix meus inébrians quàm præclárus eſt!

III. *Pſ.* 25. Júdica me, Dómine, quóniam. *pag.* 104.

Ant. Cum ímpiis non ſedébo: lavábo inter innocentes manus meas.

℣. Homo pacis meæ, in quo ſperávi: ℟. Qui edébat panes meos, magnificávit ſuper me ſupplantatiónem. *Pſ.* 40.

Hoc Triduo ſine Benedictione leguntur Lectiones.

LECTIO I.

Incipit Lamentátio Jeremíæ Prophétæ. *Cap.* 1.

QUómodo ſedet ſola cívitas plena pópulo? facta eſt quaſi vídua dómina géntium: princeps provinciárum facta eſt ſub tribúto? Plorans plorávit in nocte, & lácrymæ ejus in maxillis ejus: non eſt qui conſolétur eam ex ómnibus caris ejus: omnes amíci ejus ſprevérunt eam, & facti ſunt ei inimíci. Migrávit Judas propter afflictiónem & multitúdinem ſervitútis: habitávit inter gentes nec invénit réquiẽ: omnes perſecutóres ejus apprehendérunt eam inter angúſtias. Viæ Sion lugent, eo quòd non ſint qui véniant ad ſolemnitátem: omnes portæ ejus deſtructæ; ſacerdótes ejus geméntes; vírgines ejus ſquálidæ; & ipſa oppreſſa amaritúdine. Facti ſunt hoſtes ejus in cápite, inimíci ejus locupletáti ſunt: quia Dóminus locútus eſt ſuper eam propter multitúdinem iniquitátum ejus: párvuli ejus ducti ſunt in captivitátem ante fáciem tribulantis. Jerúſalem, Jerúſalem, convértere ad Dóminum Deum tuum.

℟. Jerúſalem, quóties vólui congregáre fílios tuos, quemádmodum gallína cóngregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? * Ecce relinquétur vobis domus veſtra deſerta. ℣. Jáciam contra te ággerem, & munimenta ponam in obſidiónem tuam: humiliáberis. * Ecce. *Matth.* 23. *Iſ.* 29.

LECTIO II.

ET egreſſus eſt à filiâ Sion omnis decor ejus: facti ſunt príncipes ejus velut aríetes non inveniéntes páſcua; & abiérunt abſque fortitúdine ante fáciem ſubſequentis. Recordáta eſt Jerúſalem diérum afflictiónis ſuæ, & prævaricatiónis ómnium deſiderabíliũ ſuórum, quæ habúerat à diébus antiquis, cùm cáderet pópulus ejus in manu hoſtíli, & non eſſet auxiliátor: vidérunt eam hoſtes, & deriſérunt sábbata ejus. Peccátum peccávit Jerúſalem, proptéreà inſtábilis facta eſt. Omnes, qui glorificábant eam, ſprevérunt illam, quia vidérunt ignomíniam ejus; ipſa autem gemens converſa eſt retrorſum. Sordes ejus in pédibus ejus, nec recordáta eſt finis ſui: depóſita eſt vehementer, non habens conſolatórem: vide, Dómine, afflictiónem meam, quóniam eréctus eſt inimícus. Jerúſalem, &c.

℟. Dereliquiſti fontem ſapiéntiæ: nam ſi in viâ Dei ambulaſſes, * Habitaſſes útique in pace ſempi-

ternâ. ℣. Si cognovisses & tu, & quidem in hâc die tuâ, quæ ad pacem tibi, * Habitasses. *Baruch.* 3. *Luc.* 19.

LECTIO III.

MAnum suam misit hostis ad ómnia desiderabília ejus; quia vidit Gentes ingressas sanctuárium súum, de quibus præcéperas ne intrárent in Ecclésiam tuam. Omnis pópulus ejus gemens & quærens panem, dedérunt pretiósa quæque pro cibo ad refocillandam ánimam. Vide, Dómine, & consídera quóniam facta sum vilis. O vos omnes qui transítis per viam, adténdite, & vidéte si est dolor sicut dolor meus: quóniam vindemiávit me, ut locútus est Dóminus in die iræ furóris sui. De excelso misit ignem in óssibus meis, & erudívit me: expandit rete pédibus meis; convertit me retrorsùm: pósuit me desolátam, totâ die mœróre confectam. Vigilávit jugum iniquitátum meárum: in manu ejus convolútæ sunt, & impósitæ collo meo: infirmáta est virtus mea: dedit me Dóminus in manu, de quâ non pótero súrgere. Jerúsalem, &c.

℟. Erit pressúra magna super terram, & ira pópulo huic. Et cadent in ore gládii; * Et captívi ducentur in omnes Gentes; & Jerúsalem calcábitur à Géntibus. ℣. Civitátem & sanctuárium dissipábit pópulus cum duce ventúro; * Et captívi. ℟. Erit. *Luc.* 21. *Dan.* 9.

IN II. NOCTURNO.

I. *Ps.* 27. Ad te, Dómine, clamábo. *pag.* 8.

Ant. Cum operántibus iniquitátem ne perdas me: qui loquuntur pacem cum próximo suo; mala autem in córdibus eórum.

Ps. 39. Exspectans exspectávi Dóminum. *pag.* 124.

Ant. Confundantur & revereantur simul qui quærunt ánimam meam, ut áuferant eam.

III. *Ps.* 40. Beátus qui intélligit. *pag.* 66.

Ant. Adversùm me susurrábant omnes inimíci mei; adversùm me cogitábant mala mihi.

℣. Sustínui qui simul contristarétur, & non fuit; ℟. Et qui consolarétur, & non invéni. *Ps.* 68.

LECTIO IV.

Ex Sermóne séptimo sancti Leónis Papæ de Passióne Dómini *Serm.* 56. *Edit. Paris. Cap.* 1. 2 & 3.

INcipientes, dilectíssimi, Evangélicam de Passióne Dómini históriam retractáre, divíno intellígi-

mus dispósitum fuisse consílio, ut sacrílegi Judæórum príncipes, & ímpii sacerdótes, qui sæviendi in Christum occasiónes sæpè quæsíverant, nonnísi in solemnitáte Pascháli exercendi furóris sui accíperent potestátem. Oportébat enim ut manifesto implerentur effectu, quæ diu fúerant figuráto promissa mystério: ut ovem significatívam ovis vera removéret, & ut uno expleretur sacrifício variárum differéntia victimárum. Ut ergo umbræ céderent córpori, & cessárent imágines sub præséntiâ veritátis, antiqua observántia novo exclúditur sacramento, hóstia in hóstiam transit, sánguine sanguis aufertur, & legális festívitas, dum mutátur, implétur. Discumbéntibus enim discípulis ad edendam mysticam cœnam, cùm in Cáiphæ átrio tractarétur, quómodo Christus posset occídi, ille córporis & sánguinis sui órdinans sacraméntum, docébat qualis Deo hóstia debéret offerri: ne ab hoc quidem mystério traditóre submóto, ut ostenderétur nullâ injúriâ exasperátus, qui in voluntáriâ erat impietáte præscítus. Ipse enim sibi fuit matéria ruínæ, & causa perfidiæ, sequens diábolum ducem, & nolens Christum habére rectórem.

℟. Fílius hóminis vadit, sicut scriptum est de illo; væ autem hómini illi per quem Fílius hóminis tradétur: * Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. ℣. Dilexit maledictiónem, & véniet ei; & nóluit benedictiónem, & elongábitur ab eo. * Bonum. *Matth.* 26. *Ps.* 108.

Lectio V. *Cap.* 4 *&* 5.

POstquam verò Judas persuásus à diábolo, discessit à Christo, seque à córpore Apostólicæ unitátis abscídit, nullo Dóminus pavóre turbátus, sed de solâ redimendórum salúte sollícitus, omne témporis spátium, quod à persequéntium vacábat incursu, mysticis sermónibus sacratæque doctrínæ, sicut Joannis Evangélio declarátur, impendit: élevans ad cœlum óculos, & pro universâ Ecclésiâ súpplicans Patri, ut omnes quos dedisset, daturusque esset Fílio Pater, unum fierent, & in glóriâ Redemptóris indivídui permanérent; adjíciens postrémò illam oratiónem, quâ ait: Pater, si fieri potest, tránseat à me calix iste. Nostræ útitur voce natúræ, & causam agit fragilitátis & trepidatiónis humánæ: ut in iis quæ toleranda sunt, & patiéntia roborétur, & formído pellátur.

℟. Contristátus sum in exercitatióne, meâ & conturbátus sum: quóniam declinavérunt in me iniquitátes, & in irâ molesti erant mihi. * Cor meum conturbátum est in me, & formído mortis cécidit super me. ℣. Pater mi, si possíbile est, tránseat à me calix iste. * Cor meum. *Ps.* 54. *Matth.* 26.

LECTIO VI.

DEnique cessans hoc ipsum pétere, excusáto quodámmodò nostræ infirmitátis metu, in quo nobis remanére non éxpedit, in álium affectum transit, & dicit: Si non potest calix iste transíre à me, nisi bibam illum, fiat volúntas tua. Hæc vox cápitis salus est totíus córporis: hæc vox omnes fidéles instruxit, omnes Confessóres accendit, omnes Mártyres coronávit. Nam quis mundi ódia, quis tentatiónum túrbines, quis posset persecutórum superáre terróres, nisi Christus in ómnibus & pro ómnibus díceret Patri: Fiat volúntas tua? Discant ígitur hanc vocem omnes Ecclésiæ filii magno prétio redempti, gratìs justificáti, & cum advérsitas violentæ alicújus tentatiónis incubúerit, præsídio potentíssimæ oratiónis utantur: ut superáto tremóre formídinis, accípiant toleránt iam passiónis.

℟. Impropérium exspectávit cor meum, & misériam; & * Sustínui qui simul contristarétur, & non fuit; & qui consolarétur, & non invéni. ℣. Jesus venit ad discípulos suos & invénit eos dormientes & dicit Petro: Sic non potuistis unâ horâ vigiláre mecum: * Sustínui. ℟. Impropérium. *Ps.* 68. *Matt.* 26.

IN III. NOCTURNO.

I. *Ps.* 54. Exaudi, Deus oratiónem meam, & ne despéxeris. *pag.* 116.

Ant. Cor meum conturbátum est in me, & formído mortis cécidit super me.

II. *Ps.* 55. Miserére mei, Deus, quóniam conculcávit. *pag.* 131.

Ant. Sustinuérunt ánimam meam: posuisti lácrymas meas in conspectu tuo, Dómine.

III. *Ps.* 108. Deus, laudem meam ne tacúeris. *pag.* 67.

Ant. Líbera me, quia egénus & pauper ego sum, & cor meum conturbátum est intra me.

℣. Circumdedérunt me dolóres mortis, ℟. Et torrentes iniquitátis conturbavérunt me. *Ps.* 17.

LECTIO VII.

Ex Epístolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 11.

HOc autem præcípio; non laudans, quòd non in mélius, sed in detérius convenítis. Primùm quidem conveniéntibus vobis in Ecclésiam, áudio scissúras esse inter vos, & ex parte credo. Nam oportet & hæreses esse, ut & qui probáti sunt, manifesti fiant in vobis. Conveniéntibus ergo vobis in unum, jam non est Domínicam cœnam manducáre. Unusquisque enim suam cœnam præsúmit ad manducandum. Et álius quidem ésurit, álius autem ébrius est. Numquid domos non habétis ad manducandum & bibendum? aut Ecclésiam Dei contémnitis, & confúnditis eos qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? In hoc non laudo.

℟. Immolavérunt víctimas pacíficas Dómino; Móyses verò sumptum sánguinem respersit in pópulum, & ait: Hic est * Sanguis fœderis quod pépigit Dóminus vobiscum. ℣. Accípiens Jesus cálicem, grátias egit, & dedit illis, dicens: Hic est sanguis meus novi testamenti. * Sanguis. *Exod.* 24. *Matth.* 26.

LECTIO VIII.

EGo enim accépi à Dómino quod & trádidi vobis, quóniam Dóminus Jesus in quâ nocte tradebátur, accépit panem, & grátias agens, fregit, & dixit: Accípite & manducáte: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur: hoc fácite in meam commemoratiónem. Símiliter & cálicem, postquam cœnávit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sánguine. Hoc fácite quotiescumque bibétis, in meam commemoratióne͂. Quotiescumque enim manducábitis panem hunc, & cálicem bibétis, mortem Dómini annuntiábitis donec véniat.

℟. Accepto, Jesus, pane, grátias egit & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: * Hoc fácite in meam commemoratiónem. ℣. Cùm díxerint vobis filii vestri: Quæ est ista relígio? dicétis eis: Víctima tránsitûs Dómini est: * Hoc fácite. *Luc.* 22. *Exod.* 12.

LECTIO IX.

ITaque quicumque manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dómini indignè, reus erit córporis & sánguinis Dómini. Probet autem seipsum ho-

mo : & sic de pane illo edat, & de cálice bibat. Qui enim mandúcat, & bibit indignè, judícium sibi mandúcat & bibit, non dijúdicans corpus Dómini. Ideò inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dórmiunt multi. Quòd si nosmetipsos dijudicarémus, non útique judicarémur. Dum judicámur autem, à Dómino corrípimur, ut non cum hoc mundo damnémur. Itaque, fratres mei, cùm convenítis ad manducandum, ínvicem exspectáte. Si quis ésurit, domi mandúcet, ut non in judícium conveniátis. Cætera autem cùm vénero, dispónam.

℟. Mandátum novum do vobis, ut diligátis ínvicem, sicut dilexi vos. * Exemplum enim dedi vobis, ut quemádmodùm ego feci vobis, ita & vos faciátis. ℣. In hoc cognoscent omnes quia discípuli mei estis, si dilectiónem habuéritis ad ínvicem. * Exemplum. ℟. Mandátum. *Joan.* 13.

AD LAUDES.

Psalmi et Ant.

I. *Ps.* 6. Dómine, ne in furóre.... Miserére. *pag.* 51.

Ant. Cœpit Jesus contristári & mœstus esse. Tunc ait discípulis suis : Tristis est ánima mea usque ad mortem : sustinéte hic, & vigiláte mecum. *Matth.* 26.

II. *Ps.* 12. Usquequò, Dómine, oblivíscéris. *pag.* 87.

Ant. Vigiláte & oráte, ut non intrétis in tentatiónem : spíritus quidẽ promptus est, caro autem infirma. *Matth.* 26.

III. *Ps.* 16. Exaudi, Dómine, justítiam. *pag.* 122.

Ant. Prócidit in fáciem suam, orans & dicens : Pater mi, si possíbile est, tránseat à me calix iste; verúmtamen non mea voluntas, sed tua fiat. *Matth.* 26. *Luc.* 22.

IV. CANTICUM. *II. Reg.* 22.

Vox Christi in Passione suâ Patrem suum Deum invocantis.

DOminus petra mea, & robur meum, * & salvátor meus.

Deus fortis meus; sperábo in eum : * scutum meum, & cornu salútis meæ :

Elevátor meus, & refúgium meum : * salvátor meus, de iniquitáte liberábis me.

Laudábilem invocábo Dóminum; * & ab inimícis meis salvus ero.

Quia circumdedérunt me contritiónes mortis, * torrentes Bélial terruérunt me

Funes inferni circumdedérunt me : * prævenérunt me láquei mortis.

In tribulatióne meâ invocábo Dóminum, * & ad Deum meum clamábo.

Et exáudiet de templo suo vocem meam; * & clamor meus véniet ad aures ejus.

Ant. Appáruit illi Angelus de cœlo, confortans eum: & factus in agóniâ, prolíxiùs orábat; & factus est sudor ejus sicut guttæ sánguinis decurrentis in terram. *Luc.* 22.

V. *Ps.* 148. Laudáte Dóminum de cœlis. *pag.* 15.

Ant. Appropinquávit Judas, ut oscularétur eum. Dixitque illi Jesus: Amíce; ad quid venisti? Juda, ósculo Filium hóminis tradis? *Luc.* 22. *Matth.* 26.

Ad Benedictus. *Ant.* Dixit Jesus ad eos qui vénerant ad se: Quasi ad latrónem existis cum gládiis & fustibus. Cùm quotídie vobiscum fúerim in templo, non extendistis manus in me; sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrárum. *Luc.* 22.

Post Canticum Benedictus, *finitâ Antiphonâ,*

P R E C E S,

Flexis genibus dicuntur.

Celebrans, seu Præses Chori:

℣. Kyrie eleéson. *Chorus.* ℟. Kyrie eleéson.

℣. Christus Dóminus formam servi accípiens, semetipsum exinanívit. Dómine, miserére: parce fámulis: *Philip.* 2. ℟. Kyrie eleéson.

℣. Qui passúrus advenisti propter nos, & dedisti redemptiónem teipsum pro ómnibus. *I. Tim.* 2. ℟. Christe eleéson.

℣. Qui à Juda ósculo tráditus, sicut ovis ad occisiónem ductus es. *Luc.* 22. *Is.* 53. ℟. Kyrie eleéson.

℣. Qui exaltátus à terrâ, ómnia traxisti ad te ipsum. *Joan.* 12. ℟. Christe eleéson.

℣. Qui per Prophétam dixisti: Ero mors tua, ô Mors! *Os.* 13. ℟. Kyrie eleéson.

℣. Auctor vitæ, qui per mortem destruxisti eum qui habébat mortis impérium. *Act.* 3. *Hebr.* 2. ℟. Christe eleéson.

℣. Qui à forti prædam abstulisti, exspólians potestátes, & palàm triumphasti. *Is.* 49. *Coloss.* 2. ℟. Kyrie eleéson.

Dein: Versus.

CHristus factus est ℟. Pro nobis obédiens usque ad mortem.

In Officio Parasceves, additur: Mortem autem crucis.

In Officio Sabbati sancti, additur insuper: Propter quod & Deus exaltávit illum, & donávit illi nomen

quod est super omne nomen. *Philipp.* 2.

Hic etiam ℣. *ad Horas diei dicitur.*

His finitis: Pater noster *totum sub silentio; postea Ps.* 50 Miserére mei, Deus, *pag.* 149. *aliquantulùm altiùs: quo finito, sine* Orémus, *dicitur simili voce.*

Collecta. *Sacr. Greg.*

RESpice, quæsumus, Dómine, super hanc famíliam tuam, pro quâ Dóminus noster Jesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, & crucis subíre tormentum. *Sed Conclusio:* Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti, Deus, per ómnia sécula seculórum. Amen. *Dicitur sub silentio.*

Horæ diurnæ absolutè inchoantur ab impositione primi Psalmi.

Ad Primam. *Psalmus* 53. Deus, in nómine tuo salvum me fac, *pag.* 65. *Deinde. Ps.* 118. Beáti immaculáti in viâ, *cum tribus sequentibus Divisionibus, quæ ponuntur ad Primam & Tertiam Dominicæ, pag.* 18 & 22.

Ad Tertiam. Legem pone, *cum reliquis Divisionibus, quæ ponuntur ad Sextam & Nonam Dominicæ, pag.* 23 & 24.

Ad Sextam. Defécit in salutáre tuum, *cum reliquis Divisionibus, quæ ponuntur ad Primam & Tertiam Feriæ secundæ, pag.* 44 & 45.

Ad Nonam. Mirabília testimónia tua, *cum reliquis Divisionibus Feriæ secundæ ad Sextam & Nonam, pag.* 46 & 47.

Finitis Psalmis, dicitur ℣. Christus factus est, *flexis genibus: deinde secretò,* Pater noster. *Ps.* Miserére, *Collecta* Réspice, *ut ad Laudes.*

Hoc triduo Officium Capituli, Lectio Martyrologii & Canonis omittuntur.

AD VESPERAS.

Psalmi et Ant.

Inchoantur absolutè à primo Psalmo sine cantu.

I. *Ps.* 114. Dilexi quóniam exáudiet Dóminus, *pag.* 49.

Ant. Occidétur Christus; & non erit ejus pópulus, qui eum negatúrus est. *Dan.* 9.

II. *Ps.* 115. Crédidi, *pag.* 109.

Ant. Sicut ovis ad occisiónem ducétur, & quasi agnus coram tondente se, obmutescet. *Isai.* 53.

III. *Ps.* 109. Ad Dóminum, *pag.* 85.

Ant. Omnes nos quasi oves errávimus, unusquisque in viam suam declinávit: & pósuit Dóminus in

iniquitátem ómnium nostrûm. *Isai.* 53.

IV. *Ps.* 120. Levávi óculos. *pag.* 146.

Ant. Oblátus est quia ipse vóluit, & non apéruit os suum. *Isai.* 53.

V. *Ps.* 127. Beáti omnes, *pag.* 147.

Ant. Unâ oblatióne consummávit in sempitérnum sanctificátos. *Hebr.* 10.

Ad Magníficat. *Ant.* Spíritus oris nostri Christus Dóminus captus est in peccátis nostris. *Thren.* 4.

℣. Christus factus est, *&c. ut ad Laudes*, *pag.* 309.

AD COMPLETORIUM.

Factâ Confessione de more, incipitur à Psalmo 4. Cùm invocárem, *ut in Completorio Dominicæ*, *pag.* 29.

Post Psalm. & Cant. ℣. Christus factus est, *&c. ut ad Laudes.*

Sic terminantur omnes horæ in hoc Triduo, usque ad Vesperas Sabbati sancti.

FERIA SEXTA. *IN PARASCEVE.*

AD OFFICIUM NOCT.

Psalmi dicuntur cum suis divisionibus.

IN I. NOCTURNO.

I. *Ps.* 3. Dómine, quid multiplicáti sunt. *pag.* 1.

Ant. Non timébo míllia pópuli circumdantis me: exsurge, Dómine, salvum me fac, Deus meus.

II. *Ps.* 21. Deus, Deus meus, réspice in me, *pag.* 126.

Ant. Aperuérunt super me os suum sicut leo rápiens & rúgiens: consílium malignántium obsédit me.

III. *Ps.* 26. Dóminus illuminátio mea. *pag.* 7.

Ant. Insurrexérunt in me testes iníqui, & mentíta est iníquitas sibi.

℣. Acuérunt linguas suas sicut serpentis: ℟. Venénum áspidum sub lábiis eórum. *Ps.* 139.

LECTIO I.

Ex Lamentatióne Jeremíæ Prophétæ. *Cap.* 3.

EGo vir videns paupertátem meam in virgâ indignatiónis ejus. Me minávit, & adduxit in ténebras, & non in lucem. Tantùm in me vertit, & convertit manum suam totâ die. Vetustam fecit pellem meam, & carnem meam; contrívit ossa mea. Ædificávit in gyro meo, & circúmdedit me felle & labóre. In tenebrósis collocávit me, quasi mórtuos sempitérnos. Circumædificávit adversùm me, ut non egrédiar; aggravávit cómpedem meum. Sed & cùm clamávero, & rogávero, exclúsit oratiónem meam. Conclúsit vias meas lapídibus quadris; sé-

mitas meas subvertit. Ursus insídians factus est mihi; leo in abscónditis. Jerúsalem, &c.

℟. Congregábo omnes gentes ad Jerúsalem in prælium; * Et capiétur cívitas, & vastabuntur domus. ℣. Circúmdabunt te inimíci tui vallo, & circúmdabunt te, & coangustábunt te úndique; * Et capiétur. *Zach.* 14. *Luc.* 19.

LECTIO II.

Tetendit arcum suum & pósuit me quasi signum ad sagittam. Misit in rénibus meis filias pháretræ suæ. Factus sum in derísum omni pópulo meo, cánticum eórum totâ die. Replévit me amaritudínibus, inebriávit me absynthio. Et fregit ad númerum dentes meos, cibávit me cínere. Et repulsa est à pace ánima mea, oblítus sum bonórum. Et dixi: Périit finis meus, & spes mea à Dómino. Recordáre paupertátis & transgressiónis meæ, absynthii & fellis. Memóriâ memor ero, & tabescet in me ánima mea. Hæc récolens in corde meo, ídeò sperábo. Jerúsalem, &c.

℟. Ecce vénient dies in quibus dicent: * Beátæ stériles, & ventres qui non genuérunt, & úbera quæ non lactavérunt. ℣. Ecce ego visitábo super eos: júvenes morientur in gládio, & filii eórum, & filiæ eórum morientur in fame. * Beátæ. *Luc.* 23. *Jerem.* 11.

LECTIO III.

Venatióne cepérunt me quasi avem inimíci mei gratìs. Lapsa est in lacum vita mea, & posuérunt lápidem super me. Inundavérunt aquæ super caput meũ: dixi: Périi. Invocávi nomen tuum, Dómine, de lacu novíssimo. Vocem meã audisti: ne avertas aurem tuam à singultu meo & clamóribus. Appropinquasti in die quando invocávi te: dixisti: Ne tímeas. Judicasti, Dómine, causam ánimæ meæ, redemptor vitæ meæ. Vidisti, Dómine, iniquitátem illórum adversùm me: júdica judícium meum. Vidisti omnem furórem, universas cogitatiónes eórum adversùm me. Audisti oppróbrium eórum, Dómine, omnes cogitatiónes eórum adversùm me: lábia insurgéntium mihi, & meditatiónes eórum adversùm me totâ die. Sessiónem eórum & resurrectiónem eórum vide; ego sum psalmus eórum. Reddes eis vicem, Dómine, juxta ópera mánuum suárum. Jerúsalem, &c.

℟. Occidétur Christus; * Et non erit ejus pópulus qui eum negatúrus est. ℣. Tradent eum Géntibus ad

ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum; * Et non. ℟. Occidétur. *Dan.* 9. *Matth.* 20.

IN II. NOCTURNO.

I. *Ps.* 37. Dómine, ne in furóre..... quóniam. *pag.* 130.

Ant. Vim faciébant qui quærébant ánimam meam.

II. *Ps.* 58. Eripe me de inimícis meis. *pag.* 117.

Ant. Irruérunt in me fortes: neque iníquitas mea, neque peccátum meũ, Dómine.

III. *Ps.* 61. Nonne Deo subjecta erit ánima mea. *pag.* 75.

Ant. Deo subjecta esto, ánima mea, quóniam ab ipso patiéntia mea.

℣. Subsannavérunt me subsannatióne: ℟. Frenduérunt super me déntibus suis. *Ps.* 34.

LECTIO IV.

Ex Sermóne secundo sancti Leónis Papæ de Passióne Dómini. *Serm.* 51. *Edit. Paris. Cap.* 1.

POst illud ímpium Judæ detestandumque commércium, quo ab eo Judæis persequéntibus, mundi Redemptor est tráditus; post illas sacrílegas illusiónes, inter quas usque ad locum pœnæ, ejus mansuetúdo perducta est; crucifixi sunt cum eo, statútis utrimque patíbulis, latrónes duo: quorum unus ad id usque témporis par similísque consorti, insidiátor viárum, & salúti hóminum semper infestus, usque ad crucem reus, fit Christi repentè conféssor; & inter illos acérrimos córporis, animíque cruciátus, quos simul & instántia & difficultas mortis augébat, mirâ conversióne mutátus: Meménto, inquit, meî, Dómine, dum véneris in regnum tuum.

℟. Suscepérunt Jesum, & eduxérunt. * Et bájulans sibi crucem, exívit Jesus in eum qui dícitur Calváriæ locum. ℣. Tulit Abraham ligna holocausti, & impósuit super Isaac fílium suum: * Et bájulans. *Joan.* 19. *Genes.* 22.

LECTIO V. *Cap.* 1 & 2.

QUæ istam fidem exhortátio persuásit? Non víderat priùs acta mirácula; & tamen Dóminum confitétur & Regem, quem videt supplícii sui esse consortem. Inde ergo oriebátur hoc donum, unde accépit fides ipsa responsum. Ait enim Jesus: Amen dico tibi, hódie mecum eris in paradíso. Excédit humánam conditiónem ista promíssio; nec tam de ligno crucis, quàm de throno éditur potestátis. Ab illâ altitúdine præmium fídei datur, in quâ chirógraphum humánæ trans-

gressiónis abolétur; quia se à formâ servi, Dei forma non dírimit, dum étiam inter ipsa supplícia proprietátem unitatemque suam servávit, & déitas inviolábilis, & natúra passíbilis. Adjícitur ad confirmatiónem spei nostræ, totíus adtestátio creatúræ: emittente spíritum Christo, ómnia elementa tremuérunt.

℟. Crucifixérunt Jesum, & latrónes, unum à dextris, & álterum à sinistris. Jesus autem dicébat: * Pater, dimitte illis; non enim sciunt quid fáciunt. ℣. Cum sceleratis reputátus est; & ipse peccáta multórum tulit, & pro transgressóribus rogávit: * Pater. *Luc.* 23. *Isai.* 53.

Lectio VI. *Cap.* 2 & 3.

IN vos ergo, Judæi, cœlum & terra senténtiam tulit, vobis sol servitútem suam diemque subtraxit, vobis famulátum suum elementórum órdines denegavérunt: & recedente à légibus suis ministério creatúræ, vestra obcæcátio, vestra est significáta confúsio. Vobis enim dicéntibus: Sanguis ejus super nos & super filios nostros: méritò hoc retribútum est, ut quod vestri géneris ímpia pérdidit pórtio, adsequátur hoc fidélis Géntium plenitúdo. Nos ergo, dilectíssimi, quibus Dóminus noster Jesus Christus crucifixus, non scándalum, neque stultítia, sed Dei virtus, Deíque sapiéntia est; nos, inquam, spirituále semen Abrahæ, non in prole servitútis géniti, sed in famíliâ libertátis renáti; pro quibus in manu forti & bráchio excelso de oppressióne Ægyptiæ dominatiónis edúctis, verus & immaculátus Agnus immolátus est Christus; amplectámur salutáris Paschæ mirábile sacramentum, & ad ejus imáginem, qui deformitáti nostræ conformis factus est, reformémur.

℟. Vulnerátus est propter iniquitátes nostras, adtrítus est propter scélera nostra: disciplína pacis nostræ super eum, * Et livóre ejus sanáti sumus. ℣. Peccáta nostra ipse pértulit in córpore suo super lignum; ut peccátis mórtui, justítiæ vivámus; * Et livóre. ℟. Vulnerátus. *Isai.* 53. *I. Petr.* 2.

IN III. NOCTURNO.

I. *Ps.* 63. Exaudi, Deus, oratiónem meam, cùm déprecor. *pag.* 75.

Ant. Protexisti me, Deus, à conventu malignántium, à multitúdine operántium iniquitátem; quia exacuérunt ut gládium linguas suas.

II. *Ps.* 68. Salvum me fac, Deus. *pag.* 112.

Ant. Quem tu percussísti, persecúti sunt; & super dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

III. *Ps.* 73. Ut quid, Deus, repulísti in finem. *pag.* 114.

Ant. Exsurge, Deus, júdica causam tuam: memor esto improperiórum tuórum.

℣. Oppróbria exprobrántium tibi ℟. Cecidérunt super me. *Ps.* 68.

LECTIO VII.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. *Cap.* 4 & 5.

HAbentes Pontíficem magnum, qui penetrávit cœlos Jesum Fíliũ Dei: teneámus confessióne͂. Non enim habémus pontíficem, qui non possit cómpati infirmitátibus nostris; tentátum autem per ómnia pro similitúdine absque peccáto. Adeámus ergo cum fidúciâ ad thronum grátiæ: ut misericórdiam consequámur, & grátiam inveniámus in auxílio opportúno. Omnis namque Póntifex ex homínibus constitúitur in iis quæ sunt ad Deum, ut ófferat dona, & sacrifícia pro peccátis: qui condolére possit iis, qui ignórant, & errant: quóniam & ipse circúmdatus est infirmitáte: & proptéreà debet quemádmodum pro pópulo, ita étiam & pro semetipso offerre pro peccátis.

℟. Omnes nos quasi oves errávimus, unusquisque in viam suam declinávit: * Et pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrûm. ℣. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccátum mundi, * Et pósuit. *Isai.* 53. *Joan.* 1.

LECTIO VIII. *Cap.* 5.

NEc quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur à Deo, tamquàm Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificávit ut póntifex fieret: sed qui locútus est ad eum: Fílius meus es tu, ego hódie génui te. Quemádmodum & in álio loco dicit: Tu es Sacerdos in ætérnum, secundùm órdinem Melchísedech. Qui in diébus carnis suæ preces supplicationésque ad eum, qui possit illum salvum fácere à morte, cum clamóre válido & lácrymis ófferens, exaudítus est, pro suâ reveréntiâ. Et quidem cùm esset Fílius Dei, dídicit ex iis quæ passus est obediéntiam: & consummátus, factus est ómnibus obtemperántibus sibi causa salútis ætérnæ, appellátus à Deo Póntifex juxta órdinem Melchísedech.

℟. Dispértiam ei plúrimos, & fórtium dívidet spólia; * Pro eo quòd trádidit in mórtem ánimam suam. ℣. Unâ oblatióne consummávit in sempitérnum sanctificátos: * Pro eo. *Isai.* 53. *Hebr.* 10.

LECTIO IX. *Cap.* 7.

ET álii quidem plures facti sunt sacerdótes, idcirco quòd morte prohiberentur permanére: hic autem eo quòd máneat in ætcrnum, sempiternum habet sacerdótium. Unde & salváre in perpétuum potest accedentes per semetipsum ad Deum: semper vivens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decébat ut nobis esset Póntifex, sanctus, ínnocens, impollútus, segregátus à peccatóribus, & excélsior cœlis factus: qui non habet necessitátem quotidie, quemádmodum sacerdótes, priùs pro suis delictis hóstias offerre, deinde pro pópuli: hoc enim fecit semel, seipsum offerendo.

℟. Quorum animálium infertur sanguis pro peccáto in Sancta, horum córpora cremantur extra castra. * Propter quod & Jesus, ut sanctificáret per suũ sánguinem pópulum, extra portam passus est. Exeámus igitur ad eum extra castra, impropérium ejus portantes. ℣. Præcépit Móysi Dóminus dicens: Quorum sanguis illátus est in sanctuárium ut expiátio compleretur, adsportábunt foràs castra, & combúrent igni: * Propter quod. ℟. Quorum animálium. *Hebr.* 13. *Levit.* 16.

AD LAUDES.

PSALMI ET ANT.

I. *Ps.* 5. Verba mea áuribus pércipe. *pag.* 80.

Ant. Pósuit Pilátus títulum super crucem; erat autem scriptum: Jesus Nazarénus, Rex Judæórum. *Joan.* 19.

II. *Ps.* 41. Quemádmodum desíderat cervus. *pag.* 85.

Ant. Mílites crucifigentes eum, divisérunt vestimenta ejus, mittentes sortem super eis, quis quid tólleret. *Marc.* 15.

III. *Ps.* 56. Miserére meî, Deus, miserére meî. *pag.* 88.

Ant. Prætereuntes blasphemábant eum, moventes cápita sua, & dicentes: Salva temetipsum; si Filius Dei es, descende de cruce. *Matth.* 27.

IV. CANTICUM *Isai.* 5. *Sterilis Vinea, & in direptionem tradita; judicii & desertionis Judæorum figura. Gentiles ingratos sors eadem manet.*

CAntábo dilecto meo * cánticũ patruélis mei víneæ suæ.

Vínea facta est dilecto meo * in cornu filio ólei.

Et sepívit eam, & lápides elégit ex illâ, * & plantávit eam electam.

Et ædificávit turrim in médio ejus, * & tórcular extruxit in eâ.

Et exspectávit ut fáceret uvas, * & fecit labruscas.

Nunc ergo, habitatóres Jerúsalem, & viri Juda, * judicáte inter me & víneam meam.

Quid est quod débui ultrà fácere víneæ meæ, & non feci ei? * an quòd exspectávi ut fáceret uvas, & fecit labruscas?

Et nunc ostendam vobis quid ego fáciam víneæ meæ: * áuferam sepem ejus, & erit in direptiónem.

Díruam macériam ejus, * & erit in conculcatiónem.

Et ponam eam desertam: non putábitur, & non fodiétur; * & ascendent vepres & spinæ.

Et núbibus mandábo * ne pluant super eam imbrem.

Vínea enim Dómini exercítuum, domus Israel est: * & vir Juda germen ejus delectábile.

Et exspectávit ut fáceret judícium, & ecce iníquitas; * & justítiam, & ecce clamor.

Propter hoc, sicut dévorat stipulam lingua ignis, * & calor flammæ exúrit; Sic radix eórum quasi favilla erit, * & germen eórum ut pulvis ascendet.

Abjecérunt enim legem Dómini exercítuum, * & elóquium Sancti Israel blasphemavérunt.

Ideò irátus est furor Dómini in pópulum suum; * & extendit manum suam super eum, & percussit eum.

Ant. Illudébant ei & mílites, acétum offerentes ei, & dicentes: Si tu es Rex Judæórum, salvum te fac. *Luc.* 23.

V. *Ps.* 149. Cantáte Dómino. . . . laus ejus, *pag.* 121.

Ant. Unus de latrónibus blasphemábat eum. Respondens autem alter, increpábat eum, dicens: Nos quidem digna factis recípimus; hic verò nihil mali gessit. *Luc.* 23.

Ad Benedictus. *Ant.* Dicébat ad Jesum: Dómine, memento meî, cùm véneris in regnum tuum. Et dixit illi Jesus: Amen dico tibi: Hódie mecum eris in paradíso. *Luc.* 23.

PRECES, *&c. ut heri*, *pag.* 309.

AD HORAS, *omnia ut in Cœnâ Domini.*

AD VESPERAS.

PSALMI ET ANT.

I. *Ps.* 123. Nisi quia Dóminus. *pag.* 146.

Ant. Cùm vidisset Jesus matrem, & discípulum stantem quem diligébat, dicit matri suæ : Múlier, ecce filius tuus. Deinde dicit discípulo : Ecce mater tua. *Joan.* 19.

II. *Ps.* 128. Sæpè expugnavérunt me. *pag.* 123.

Ant. Erat ferè hora sexta, & ténebræ factæ sunt in universam terram usque in horam nonam ; & obscurátus est sol. *Luc.* 23.

III. *Ps.* 139. Eripe me, Dómine, ab hómine malo. *pag.* 129.

Ant. Circa horam nonam clamávit Jesus voce magnâ : Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ? *Matth.* 27.

IV. *Ps.* 140. Dómine, clamávi ad te, exaudi me. *pag.* 70.

Ant. Sciens Jesus quia ómnia consummáta sunt, ut consummarétur Scriptúra, dixit : Sítio. *Joan.* 19.

V. *Ps.* 141. Voce meâ ad Dóminum clamávi... ad Dóminum deprecátus sum. *pag.* 90.

Ant. Vas erat pósitum acéto plenum ; illi autem spóngiam plenam acéto, hyssópo circumponentes, obtulérunt ori ejus. *Joan.* 19.

Ad Magníficat. *Ant.* Cùm accepisset Jesus acétum, dixit : Consummátum est. Et clamans voce magnâ ait ; Pater, in manus tuas commendo spíritum meum. Et inclináto cápite trádidit spíritum. *Joan.* 19. *Luc.* 23.

℣. Christus factus est : *& reliqua ut in Cœnâ Domini, pag.* 309.

COMPLETORIUM, *ut in Cœnâ Domini, pag.* 311.

SABBATO *SANCTO.*

AD OFFICIUM NOCT.

Psalmi dicuntur cum suis divisionibus.

IN I. NOCTURNO.

I. *Ps.* 7. Dómine Deus meus, in te sperávi. *pag.* 51.

Ant. Consumétur nequítia peccatórum, & díriges justum, Dómine.

II. *Ps.* 14. Dómine, quis habitábit. *pag.* 63.

Ant. Habitábit in tabernáculo tuo : requiescet in monte sancto tuo.

III. *Ps.* 15. Conserva me, Dómine. *pag.* 4.

Ant. Caro mea requiescet in spe.

℣. Non derelinques ánimam meam in inferno ; ℟. Nec dabis sanctum tuū vidére corruptiónē. *Ps.* 15.

LECTIO I.

Ex Lamentatióne Jeremíæ Prophétæ. *Cap.* 4.

QUómodo obscurátum est aurum, mutátus est color óptimus, dispersi

sunt lápides sanctuárii in cápite ómnium platcárum? Filii Sion ínclyti, & amicti auro primo; quómodo reputáti sunt in vasa téstea, opus mánuum figuli? Sed & lámiæ nudavérunt mammam, lactavérunt cátulos suos: fília pópuli mei crudélis, quasi strúthio in deserto. Adhæsit lingua lactentis ad palátum ejus in siti: párvuli petiérunt panem, & non erat qui frangeret eis. Qui vescebantur voluptuóse, interiérunt in viis: qui nutriebantur in cróceis, amplexáti sunt stércora. Et major effecta est iníquitas filiæ pópuli mei peccáto Sodomórum, quæ subversa est in momento, & non cepérunt in eâ manus. Jerúsalem, &c.

℟. Non relinquent in te lápidem super lápidem; * Eo quòd non cognóveris tempus visitatiónis tuæ. ℣. Jerúsalem cívitas Dei, castigávit te Dóminus in opéribus mánuum tuárum: * Eo quòd. *Luc.* 19. *Tob.* 13.

LECTIO II.

CUm adhuc subsisterémus, defecérunt óculi nostri ad auxílium nostrum vanum, cùm respicerémus adtenti ad gentem quæ salváre non póterat. Lubricavérunt vestígia nostra in itínere plateárum nostrárum, appropinquávit finis noster: compléti sunt dies nostri, quia venit finis noster. Velocióres fuérunt persecutóres nostri áquilis cœli: super montes persecúti sunt nos, in deserto insidiáti sunt nobis. Spíritus oris nostri Christus Dóminus captus est in peccátis nostris; cui díximus: In umbrâ tuâ vivémus in Géntibus. Gaude & lætáre, fília Edom, quæ hábitas in terrâ Hus: ad te quoque pervéniet calix, inebriáberis atque nudáberis. Compléta est iníquitas tua, fília Sion, non addet ultrà ut transmígret te: visitávit iniquitátem tuam, fília Edom, discoopéruit peccáta tua. Jerúsalem, &c.

℟. Fíliæ, Jerúsalem, * Nolíte flere super me, sed super vos ipsas flete, & super fílios vestros. ℣. Si in víridi ligno hæc fáciunt, in árido quid fiet? * Nolíte. *Luc.* 23.

LECTIO III.

Ex Oratióne Jeremíæ Prophétæ. *Cap.* 5.

DEfécit gáudium cordis nostri; versus est in luctum chorus noster. Cécidit coróna cápitis nostri: væ nobis, quia peccávimus. Proptéreà mœstum factum est cor nostrum, ídeò contenebráti sunt óculi nostri. Propter montem Sion quia dispériit, vulpes ambulavérunt in eo. Tu autem,

Dómine, in æternum permanébis, sólium tuum in generatiónem & generatiónem. Quare in perpétuum oblivíscéris nostri? derelínques nos in longitúdine diérum? Converte nos, Dómine, ad te, & convertémur: ínnova dies nostros sicut à princípio. Sed projíciens repulísti nos; irátus es contra nos vehementer. Jerúsalem, &c.

℟. In dimídio hebdómadis defíciet hóstia & sacrifícium, & erit in templo abominátio desolatiónis; * Et usque ad consummatiónem & finem perseverábit desolário. ℣. Cùm vidéritis circúmdari ab exércitu Jerúsalem, tunc scitóte quia appropinquávit desolátio ejus: * Et usque. ℟. In dimídio. *Dan.* 9. *Luc.* 21.

IN II. NOCTURNO.

I. *Ps.* 23. Dómini est terra. *pag.* 93.

Ant. Elevámini, portæ æternáles, & introíbit Rex glóriæ.

II. *Ps.* 29. Exaltábo te, Dómine. *pag.* 8.

Ant. Dómine, eduxísti ab inferno ánimam meam.

III. *Ps.* 60. Exaudi, Deus, deprecatiónem meã. *pag.* 74.

Ant. Intende, Deus, oratióni meæ: à fínibus terræ ad te clamávi.

℣. Tu, Dómine, miserére meî, ℟. Et resúscita me, & retríbuam eis. *Ps.* 40.

LECTIO IV.

Sermo sancti Leónis Papæ. *Serm.* 17. *de Passione Domini. Serm.* 66. *Edit. Paris. Cap.* 1 & 2.

SErmo próximus in id disserendi ratióne processerat, ut de illâ clamantis ad Patrem crucifixi Dómini voce loquerémur: ne simplex & incuriósus audítor, ita accíperet verba dicentis: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquísti? tamquàm fixo Jesu in crucis ligno, paternæ ab eo deitátis omnipoténtia recessisset; cùm in tantam unitátem Dei & hóminis natúra convénerit, ut nec supplício potúerit dirimi, nec morte disjungi. Manente enim in suâ proprietáte utráque substántiâ, nec Deus derelíquit sui córporis passiónem: nec Deũ fecit caro passíbilem: quia divínitas, quæ erat in dolente, non erat in dolóre. Ideò ergo Jesus voce magnâ clamábat, dicens: Quare me dereliquísti? ut notum ómnibus fáceret, quare oportúerit eum non érui, non defendi, sed sæviéntium mánibus derelinqui, hoc est, Salvatórem mundi fieri, & ómnium hóminum Redemptórem: non

per misériam, sed per misericórdiam; nec amissióne auxílii, sed definitióne moriendi. Contínuit enim se ab ímpiis crucifixi potestas; & ut dispositióne uterétur occultâ, uti nóluit virtúte manifestâ. Nam qui mortem & mortis autórem suâ vénerat passióne destrúere, quómodo peccatóres salvos fáceret, si persecutóribus repugnáret?

℟. Caro mea requiescet in spe. Quóniam * Non derelinques ánimam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum vidére corruptiónem. ℣. Pater, in manus tuas commendo spíritum meum; * Non. *Ps.* 15. *Luc.* 23.

LECTIO V.

Ex Libro secundo sancti Epiphánii Epíscopi adversùs Hæreses. *Tom.* 2. *Hæres.* 69. *Arianorum*, *n.* 62.

DIvínitas ómnia quæ ad Passiónis mystérium adtinébant perfícere decréverat, & ad ínferos cum ánimâ descéndere; ut eos qui ántea mórtui erant, hoc est, sanctos Patriarchas in salútem adséreret. Hoc autem idcirco fíeri débuit, ut divinárum ab illo Scripturárum implerentur orácula, quæ ab ejus Prophétis de ipso pronuntiáta fúerant: quò sub hóminis spécie ad ínferos descendens, quæ illic erant obeunda præstáret: atque ut dum inferórum princeps, & mors captívum hóminem detinére volunt, & conjunctam cum ánimâ divinitátem ignórant, tum ipsi pótiùs ínferi caperentur, ac mortis dominátus everterétur; & implerétur quod scriptum est: Non relinques ánimam meam in inferno: nec dabis Sanctum tuum vidére corruptiónem. Nam neque Dei verbum ánimam destítuit, nec illíus ánima apud ínferos est relícta.

℟. Christus semel pro peccátis nostris mórtuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificátus quidem carne, vivificátus autem spíritu; in quo * Et his qui in cárcere erant, spirítibus véniens prædicávit. ℣. Contrívit portas æreas, & vectes férreos confrégit, * Et his. *I. Petr.* 3. *Ps.* 106.

LECTIO VI.

Ex Catechési décimâ quartâ sancti Cyrilli Jerosolymitáni Epíscopi. *Edit. Bened. n.* 18, 19 & 20.

CHristus quidem in inferna descendit solus, plúribus verò comitátus huc revectus est. Descendit namque in mortem, & multa córpora Sanctórum qui obdormíerant, per ipsum excitáta sunt. Extérri-

ta mors est novum quemdam in infernum descendentem conspicáta, qui hujus loci vínculis non tenebátur. Quâ de causâ, ô inferni janitóres, eum vidéntes expavistis? qui vos ínsolens occupávit timor? Fugit mors, ejusque timiditátem fuga illa arguébat. Accurrérunt sancti Prophétæ, & Móyses legislátor, & Abraham, & Isaac & Jacob, David quoque & Sámuel, & Isáias, & Baptista Joannes, qui ait & testátur: Tu es qui ventúrus es, an álium exspectámus? Redempti sunt sancti omnes quos mors absorbúerat. Oportébat namque Regem qui prædicátus fúerat, optimórum præcónum fieri redemptórem. Tum verò quílibet justórum dicébat: Ubi est, mors, victória tua? ubi tuus, ô inferne, stímulus? liberávit enim nos victóriæ autor.

℟. Velum templi scissum est, terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, * Et multa córpora sanctórum, qui dormíerant, surrexérunt. ℣. In sánguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu. * Et multa. ℟. Velum templi. *Matth. 27. Zach. 9.*

IN III. NOCTURNO.

I. *Ps.* 75. Notus in Judæâ Deus. *pag.* 118.

Ant. In pace factus est locus ejus, & in Sion habitátio ejus.

II. *Ps.* 87. Dómine Deus salútis meæ. *pag.* 142.

Ant. Factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber.

III. *Ps.* 93. Deus ultiónum Dóminus. *pag.* 58.

Ant. Nisi quia Deus adjúvit me, paulò minùs habitasset in inferno ánima mea.

℣. Verbum iníquum constituérunt adversū me: ℟. Numquid qui dormit non adjíciet ut resurgat? *Ps.* 40.

LECTIO VII.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. *Cap.* 9.

CHristus adsistens Póntifex futurórum bonórum, per ámplius & perféctius tabernáculum non manufactum, id est, non hujus creatiónis: neque per sánguinem hircórum aut vitulórum, sed per próprium sánguinem, introívit semel in Sancta, ætérnâ redemptióne inventâ. Si enim sanguis hircórum & taurórum, & cinis vítulæ adspersus inquinátos sanctíficat ad emundatiónem carnis: quantò magìs sanguis Christi, qui per Spíritum sanctum semetipsum óbtulit immaculátū Deo emundábit consciéntiam nostram

ab opéribus mórtuis, ad serviendum Deo viventi? Et ideò novi testamenti mediátor est, ut morte intercedente, in redemptiónem eárum prævaricatiónum, quæ erant sub prióri testamento, repromissiónem accípiant, qui vocáti sunt ætérnæ hæreditátis.

℟. De manu mortis liberábo eos, de morte rédimam eos. Ero mors tua, ô mors, morsus tuus ero, inferne. * Ubi est, mors, victória tua? ubi est, mors stímulus tuus? ℣. Participávit Christus carni & sánguini, ut per mortem destrúeret eum qui habébat mortis impérium, id est diábolum. * Ubi est. *Osee.* 13. *I. Cor.* 15. *Hebr.* 2.

LECTIO VIII.

UBi enim testamentum est, mors necesse est intercédat testatóris. Testamentum enim in mórtuis confirmátum est: alióquin nondum valet, dum vivit qui testátus est. Unde nec primum quidem sine sánguine dedicátum est. Lecto enim omni mandáto legis à Móyse universo pópulo, accípiens sánguinem vitulórum & hircórum, cum aquâ, & lanâ coccíneâ, & hyssópo; ipsum quoque librum & omnem pópulum adspersit, dicens: Hic sanguis testamenti, quod mandávit ad vos Deus. Etiam tabernáculum & ómnia vasa ministérii sánguine simíliter adspersit. Et ómnia pene in sánguine secundùm legem mundantur: & sine sánguinis effusióne non fit remíssio.

℟. In die illâ radix Jesse qui stat in signum populórum, ipsum Gentes deprecabuntur: * Et erit sepulcrum ejus gloriósum. ℣. Christus mórtuus est pro peccátis nostris secundùm Scriptúras; & sepultus est: * Et erit. *Isai.* 11. *I. Cor.* 15.

LECTIO IX.

NEcesse est ergo exemplária quidem cœléstium his mundári: ipsa autem cœléstia melióribus hóstiis quàm istis. Non enim in manufacta Sancta Jesus introívit, exemplária verórum: sed in ipsum cœlum, ut appáreat nunc vúltui Dei pro nobis: neque ut sæpè ófferat semetipsum, quemádmodum Póntifex intrat in Sancta per síngulos annos in sánguine alieno: alióquin oportébat eum frequenter pati ab orígine mundi: nunc autem semel in consummatióne seculórum, ad destitutiónem peccáti, per hóstiam suam appáruit. Et quemádmodum statútum est homínibus semel mori, post hoc autem judícium: sic & Christus semel oblá-

℣. Glória Patri, &c. ℣. Sicut erat. &c. Allelúia.

Deinde absolutè dicuntur Psalmi Cùm invocárem, *&c. ut in Completorio Dominicæ, pag. 29. cum* Glória Patri. *in fine cujuslibet : quibus expletis, inchoatur Ant.* Véspere autem sábbati. *Postea dicitur Canticum* Nunc dimittis, *cum* Gloria Patri.

Ant. Véspere autem sábbati, quæ lucescit in primâ sábbati, venit María Magdaléne, & áltera María vidére sepulcrum. Allelúia. *Matth. 28.*

Deinde ℣. Dóminus vobiscum, ℟. Et cum spíritu tuo.


Orémus.

COLLECTA.

Sacr. Gallic. vetus.

DOmine Jesu Christe, fave desidériis nostris : & præsta prósperam hanc superveniéntem sanctæ Paschæ noctem, † in quâ tecum resurgentes, * de morte transíre mereámur ad vitam, Salvátor mundi; Qui vivis.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias. *Tandem Benedictio & reliqua omnia solito more.*



IN DIE SANCTO PASCHÆ.

Solemnitas I. Classis.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Allelúia; Surrexit Dóminus verè; * Veníte, adorémus. Allelúia. *Luc.* 24.

Hymnus. *N. T.*

Adeste, Cœlitum chori,
Lætum sonantes cánticum,
Dum liber inter mórtuos
Christus sepulcrum déserit.

Frustrà sepulcro mílites
Appónit insánus furor:
Frustrà specûs gens pérfida
Firmat sigillis óstium.

Inánis absistat metus:
Nemo cadáver áuferet:
Sed vi reviviscet suâ,
Qui sponte mortem pértulit.

Clausâ, sigillis íntegris,
Exíre speluncâ potest,
Quem Matris alvo Vírginis
Effúdit illæsus pudor.

Da, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.

Victæ triumphátor necis,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. I. Definíto consílio, & præsciéntiâ Dei, tráditum Deus suscitávit Jesum, solútis dolóribus inferni, juxta quòd impossíbile erat tenéri illum ab eo; Allelúia. *Act.* 2.

II. Quæ ad patres nostros repromíssio facta est, hanc Deus adimplévit, resúscitans Jesum; sicut & in Psalmo secundo scriptum est: Fílius meus es tu, ego hódie génui te. Allelúia. *Act.* 13.

III. David prévidens locútus est de Resurrectióne Christi; quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptiónem. Allelúia. *Act.* 2.

IV. Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob, Deus patrum nostrórum, glorificávit Fílium suum Jesum quem suscitávit à mórtuis. Allelúia. *Act.* 3.

V. Jesum à Názareth qui pertránsiit benefaciendo, quem occidérunt suspendentes in ligno, hunc Deus suscitávit tértiâ die, & dedit eum manifestum fieri. Allelúia. *Act.* 10.

VI. Cum consummassent ómnia quæ de Jesu scripta erant, deponentes eum de ligno, posuérunt eum in monumento; Deus verò suscitávit eum tértiâ die. Allelúia. *Act.* 13.

℣. Dómine, eduxisti ab inferno ánimam meam: ℟. Salvasti me à descendéntibus in lacum. *Ps.* 29.

LECTIO I.

Ex Libro Exodi. *Cap.* 12.

DIxit Dóminus ad Móysen & Aaron in terrâ Ægypti: Mensis iste, vobis princípium ménsium: primus erit in ménsibus anni. Loquímini ad univérsum cœtum filiórum Israel, & dícite eis: Décimâ die mensis hujus, tollat unusquisque agnum per famílias & domos suas. Sin autem minor est númerus, ut sufficere possit ad vescendum agnum, assúmet vicínum suum qui junctus est dómui suæ, juxta númerum animárum quæ sufficere possunt ad esum agni.

℟. Hæc est dies quam fecit Dóminus; * Exsultémus & lætémur. Allelúia. ℣. Christus mórtuus est pro peccátis nostris secúndùm Scriptúras. Sepultus est, & resurrexit tértiâ die secundùm Scriptúras. * Exsultémus. *Ps.* 117. *I. Cor.* 15.

LECTIO II.

ERit autem agnus absque máculâ, másculus, anniculus: juxta quem ritum tollétis & hœdum. Et servábitis eum usque ad quartam décimam diem mensis hujus: immolabitque eum univérsa multitúdo filiórum Israel ad vésperam. Et sument de sánguine ejus, ac ponent super utrumque postem, & in superlimináribus domórum, in quibus cómedent illum. Et edent carnes nocte illâ assas igni, & ázymos panes cum lactúcis agréstibus. Non comedétis ex eo crudum quid, nec coctum aquâ, sed tantùm assum igni: caput cum pédibus ejus & intestínis vorábitis. Nec remanébit quidquam ex eo usque mane: si quid resíduum fúerit igne comburétis.

℟. Non corruptibílibus auro vel argento redempti estis, sed pretióso sánguine quasi agni immaculáti Christi, & incontamináti, * Qui occísus est ab orígine mundi. Allelúia. ℣. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccátum mundi; * Qui. *I. Petr.* 1. *Apoc.* 13. *Joan.* 1.

LECTIO III.

SIc autem comedétis illum: Renes vestros accingétis, & calceamenta habébitis in pédibus, tenentes báculos in mánibus, & comedétis festinanter: est enim Phase (id est tránsitus) Dómini. Et transíbo per terram Ægypti nocte illâ, percutiamque omne primogénitum in terrâ Ægypti ab hómine usque ad pecus; & in cunctis diis Ægypti fáciam judícia, ego Dóminus. Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus in quibus éritis, & vidébo sánguinem, & transíbo vos: nec erit in vobis plaga dispérdens quando percússero terram Ægypti.

℞. Pascha nostrum immolátus est Christus. Itaque epulémur, * Non in fermento véteri, neque in fermento malítiæ & nequítiæ; sed in ázymis sinceritátis & veritátis. Allelúia. ℣. Exsurgat Deus, & dissipentur inimíci ejus; & justi epulentur, & exsultent in conspectu Dei, * Non in. *I. Cor.* 5. *Ps.* 67.

LECTIO IV.

HAbébitis autem hunc diem in monumentum: & celebrábitis eam solemnem Dómino in generatiónibus vestris cultu sempiterno. Septem diébus ázyma comedétis: in die primo non erit fermentum in dómibus vestris: quicumque coméderit fermentátum, períbit ánima illa de Israel, à primo die usque ad diem séptimum. Dies prima erit sancta, atque solemnis, & dies séptima eádem festivitáte venerábilis: nihil óperis faciétis in eis, exceptis his quæ ad vescendum pértinent.

℞. Dies sanctificátus est Dómino Deo nostro, quia sanctus dies Dómini est, * Nolíte contristári; gáudium étenim Dómini est fortitúdo nostra. † Allelúia. ℣. Jesum quæritis Nazarénum, crucifixum: surrexit; non est hìc. * Nolíte. ℣. Glória. † Allelúia. *II. Esdr.* 8. *Marc.* 16.

IN II. NOCTURNO.

Ant. I. Angelus Dómini descendit de cœlo, & accédens revolvit lápidem, & sedébat super eum. Allelúia. *Matth.* 28.

II. Invenérunt mulíeres lápidem revolútum à monumento, & ingressæ non invenérunt corpus Dómini Jesu. Allelúia. *Luc.* 24.

III. Cucurrit María Magdaléne, & venit ad Simónem Petrum, & ad álium discípulum, quem amábat Jesus. Allelúia. *Joan.* 20.

IV. Dicit illis: Tulérunt Dóminum de monumento. Et nescímus ubi posuérunt eum. Allelúia. *Joan.* 20.

V. Petrus & ille álius discípulus venérunt ad monumentum : introívit Petrus & vidit linteámina pósita, & sudárium quod fúerat super caput Jesu. Allelúia. *Joan.* 20.

VI. Abiérunt ergo íterum ad semetipsos : nondùm enim sciébant Scriptúram, quia oportébat eum à mórtuis resúrgere ; Allelúia. *Joan.* 20.

℣. Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepisti me. ℟. Nec delectasti inimícos meos super me. *Ps.* 29.

LECTIO V.

Ex Sermóne primo sancti Leónis Papæ, de Resurrectióne Dómini. *Serm.* 69. *Edit. Paris. Cap.* 2 & 3.

RESurréctio Salvatóris nec ánimam in inferno, nec carnem diu moráta est in sepulcro : & tam velox incorruptæ carnis vivificátio fuit, ut major ibi esset sopóris similitúdo, quàm mortis : quóniam déitas, quæ ab utrâque suscepti hóminis substántiâ non recessit, quod potestáte divísit, potestáte conjunxit. Subsecúta sunt ítaque multa documenta, quibus prædicandæ per universum mundum fídei autóritas conderétur. Ideò enim & clausis ad discípulos óstiis introíbat, & flatu suo dabat Spíritum sanctum, & dato intellígentiæ lúmine sanctárum Scripturárum occulta pandébat, & rursus idem vulnus láteris, fixúras clavórum, & ómnia recentíssimæ Passiónis signa monstrábat : ut agnosceréturin eo proprietas divínæ humanæque natúræ indivídua permanére, & ita scirémus Verbum non hoc esse, quod carnem ; ut unum Dei Fílium, & Verbum confiterémur & carnem.

℟. Absorpta est mors in victóriâ. * Ubi est mors, victória tua ? Ubi est, mors stímulus tuus ? Allelúia. ℣. Ego dormívi & soporátus sum ; & exsurrexi, quia Dóminus suscépit me. * Ubi est. *I. Cor.* 15. *Ps.* 3.

LECTIO VI. *Cap.* 4.

NOn dissonat, dilectíssimi, ab hâc fide Magister Géntium Apóstolus Paulus, cùm dicit : Etsi cognóvimus secundùm carnem Christum, sed jam nunc non nóvimus. Resurréctio enim Dómini non finis carnis, sed commutátio fuit, nec virtútis augmento consumpta substántia est. Quálitas tránsiit, non natúra defécit : & factum est corpus impassíbile, quod pótuit crucifigi, factum est immortále, quod pótuit occídi ; fac-

tum est incorruptíbile, quod pótuit vulnerári. Et méritò dícitur caro Christi in eo statu, quo fúerat nota, nescíri: quia nihil in eâ passíbile, nihil remansit infirmum, ut & ipsa sit per esséntiam, & non sit ipsa per glóriam.

℟. Et si Christus crucifixus est ex infirmitáte; * Sed vivit ex virtúte Dei. Allelúia. ℣. Dóminus vóluit contérere eum in infirmitáte; * Sed. *II. Cor.* 13. *Isai.* 53.

LECTIO VII. *Cap.* 4 *&* 5.

QUid autem mirum, si hoc de córpore Christi profitétur, qui de ómnibus Christiánis spirituálibus dicit: Itaque nos ex hoc néminem nóvimus secundùm carnem? Ex hoc, inquit, inítium nobis factum est Resurrectiónis in Christo, ex quo in eo, qui pro ómnibus mórtuus est, totíus spei nostræ forma præcessit. Non hæsitámus diffidéntiâ, nec incertâ exspectatióne suspéndimur, sed accepto promissiónis exórdio, fidei óculis, quæ sunt futúra, jam cérnimus: & natúræ provectióne gaudentes, quod crédimus, jam tenémus. Non ergo nos rerum temporálium óccupent spécies: & mens intenta mansúris, ibi desidérium suum figat, ubi quod offertur, ætemum est.

℟. Pro ómnibus mórtuus est Christus; * Ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mórtuus est, & resurrexit. Allelúia. ℣. Tráditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificatiónem nostram; * Ut &. *II. Cor.* 5. *Rom.* 4.

LECTIO VIII.

Ex Sermóne primo ejusdem de Ascensióne. *Serm.* 61. *Edit. Parif. Cap.* 1.

MOrs Christi multùm discipulórum corda turbáverat, & de supplício crucis, de emissióne spíritûs, de exanimáti córporis sepultúrâ, gravátis mœstitúdine méntibus, quidam diffidéntiæ torpor obrépserat. Quam útique hæsitatiónem humánâ infirmitáte nutantem, nequáquam permisisset Spíritus veritátis prædicatórum suórum inesse pectóribus; nisi illa trépida sollicitúdo, & curiósa cunctátio, nostræ fidei fundamenta jecisset. Nostris ígitur perturbatiónibus, nostrisque perículis in Apóstolis consulebátur: nos in illis viris contra calúmnias impiórum, & contra terrénæ argumenta sapiéntiæ docebámur. Nos illórum instruxit adspectus, nos erudívit audítus, nos confirmá-

vit adtactus. Grátias agámus divínæ dispensatióni, & sanctórum Patrum necessáriæ tarditáti. Dubitátum est ab illis, ne dubitarétur à nobis.

℟. Adoráte Dóminum in átrio sancto ejus : commoveátur à fácie ejus univérsa terra ; * Dícite in Géntibus quia Dóminus regnávit à ligno. † Allelúia. ℣. Recordámini quáliter locútus est vobis dicens : Quia oportet Fílium hóminis tradi in manus hóminum peccatórum, & crucifígi, & die tértiâ resúrgere. * Dícite. ℣. Glória. † Allelúia. *Ps.* 95. *Sec. Ant. Ital. Luc.* 24.

IN III. NOCTURNO.

I. Canticum. *Isai.* 63.

Mortis victor, Christus; mundi Salvator & Redemptor; inimicorum suorum æquus vindex, & potens ultor.

QUis est iste qui venit de Edom, * tinctis véstibus de Bosra?

Iste formósus in stolâ suâ, * grádiens in multitúdine fortitúdinis suæ.

Ego, qui loquor justítiam, * & propugnátor sum ad salvandum.

Quare ergo rubrum est induméntum tuum, * & vestimenta tua sicut calcántium in torculári?

Tórcular calcávi solus, * & de Géntibus non est vir mecum :

Calcávi eos in furóre meo, * & conculcávi eos in irâ meâ :

Et adspersus est sanguis eórum super vestimenta mea, * & ómnia indumenta mea inquinávi.

Dies enim ultiónis in corde meo; * annus redemptiónis meæ venit.

Circumspexi, & non erat auxiliátor : * quæsívi, & non fuit qui adjuváret,

Et salvávit mihi bráchium meum, * & indignátio mea ipsa auxiliáta est mihi.

II. Canticum. *Osee*, 6.

Judæorum conversionis vaticinium.

VEníte, & revertámur ad Dóminum ; quia ipse cepit, & sanábit nos, * percútiet & curábit nos.

Vivificábit nos post duos dies ; in die tértia suscitábit nos, * & vivémus in conspectu ejus.

Sciémus, sequemurque : * ut cognoscámus Dóminum.

Quasi dilúculum præparátus est egressus ejus, * & véniet quasi imber nobis temporáneus, & serótinus terræ.

Quid fáciã tibi, Ephraim? quid fáciam tibi, Juda? * Misericórdia vestra quasi nubes matutína, & quasi ros manè pertránsiens.

Propter hoc dolávi in

prophétis, occídi eos in verbis oris mei; * & judícia tua quasi lux egredientur.

Quia misericórdiam vólui, & non sacrificium; * & sciéntiam Dei, plusquàm holocausta.

III. Canticum. *Sophon.* 3.

Christus resurgens malos minatur, vocat Gentes; Judæos futuræ conversionis promissione consolatur.

EXspecta me, dicit Dóminus, in die resurrectiónis meæ in futúrum: * quia judicium meum, ut cóngregem Gentes, & cólligam regna.

Et effundam super eos indignatiónem meam, * omnem iram furóris mei.

In igne enim zeli mei * devorábitur omnis terra.

Quia tunc reddam pópulis lábium electum, * ut ínvocent omnes in nómine Dómini, & sérviant ei húmero uno.

Ultrà flúmina Æthiópiæ, indè súpplices mei; * filii dispersórum meórum déferent munus mihi.

In die illâ non confundéris super cunctis adinventiónibus tuis, * quibus prævaricáta es in me.

Quia tunc áuferam de médio tuî magníloquos supérbiæ tuæ, * & non adjícies exaltári ámpliùs in monte sancto meo.

Et derelinquam in médio tuî pópulum páuperem & egénum: * & sperábunt in nómine Dómini.

Relíquiæ Israel non fácient iniquitátem, nec loquentur mendácium; * & non inveniétur in ore eórum lingua dolósa.

Quóniam ipsi pascentur, & accubábunt; * & non erit qui extérreat.

Ant. Dignus est Agnus qui occísus est, accípere virtútem & divinitátem, glóriam & benedictiónem. Allelúia. *Apoc.* 5.

℣. Reflóruit caro mea;

℟. Et ex voluntáte meâ confitébor Dómino. *Ps.* 27.

LECTIO IX.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Colossenses.

Cap. 2.

SI mórtui estis cum Christo ab elementis hujus mundi: quid adhuc tamquàm viventes in mundo decérnitis? Ne tetigéritis, neque gustavéritis, neque contrectavéritis: quæ sunt ómnia in intéritum ipso usu, secundùm præcepta & doctrínas hóminum: quæ sunt ratiónem quidem habéntia sapiéntiæ, in superstitióne, & humilitáte, & non ad parcendum córpori, non in honóre áliquo ad saturitátem carnis.

℟. Christus resurgens ex mórtuis, jam non móritur; mors illi ultrà non dominá-

bitur : * Quod enim mórtuus est peccáto, mórtuus est semel ; quod autem vivit, vivit Deo. Allelúia. ℣. Vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruátur corpus peccáti, & ultrà non serviámus peccáto ; * Quod enim. *Rom. 6.*

LECTIO X. *Cap. 3.*

IGitur si consurrexistis cum Christo, quæ sursùm sunt quærite, ubi Christus est in dé xterâ Dei sedens : quæ sursùm sunt sápite, non quæ super terram. Mórtui enim estis, & vita vestra est abscóndita cum Christo in Deo. Cùm Christus appartíerit, vita vestra ; tunc & vos apparébitis cum ipso in glóriâ. Mortificáte ergo membra vestra, quæ sunt super terram ; fornicatiónem, immundítiam, libídinem, concupiscéntiam malam, & avarítiam, quæ est simulacrórum sérvitus : propter quæ venit ira Dei super filios incredulitátis : in quibus & vos ambulastis aliquando, cùm viverétis in illis.

℟. Christus, peccáta nostra ipse pértulit in córpore suo super lignum ; * Ut peccátis mórtui, justítiæ vivámus. Allelúia. ℣. Disciplína pacis nostræ super eum, & livóre ejus sanáti sumus ; * Ut peccátis. *I. Petr. 2. Isai. 53.*

LECTIO XI.

NUnc autem depónite & vos ómnia ; iram, indignatiónem, malítiam, blasphémiam, turpem sermónem de ore vestro. Nolíte mentíri ínvicem, exspoliantes vos véterem hóminem cum áctibus suis, & induentes novum, eum qui renovátur in agnitiónem, secundùm imáginem ejus qui creávit illum. Ubi non est Gentílis, & Judæus ; circumcísio, & præpútium ; Bárbarus & Scytha, servus & liber, sed ómnia, & in ómnibus Christus. Indúite vos ergo sicut electi Dei, sancti, & dilecti, víscera misericórdiæ, benignitátem, humilitátem, modéstiam, patiéntiam : supportantes ínvicem, & donantes vobismetipsis, si quis adversùs áliquem habet querélam : sicut & Dóminus donávit vobis, ita & vos.

℟. Primus homo de terrâ, terrénus ; secundus homo de cœlo, cœlestis. * Igitur, sicut portávimus imáginem terréni, portémus & imáginem cœlestis. Allelúia. ℣. Qualis terrénus, tales & terréni, & qualis cœlestis, tales & cœlestes. * Igitur. *I. Cor. 15.*

LECTIO XII.

SUper ómnia autem hæc, caritátem habéte, quod est vínculum perfectiónis.

Et pax Christi exsultet in córdibus vestris, in quâ & vocáti estis in uno córpore : & grati estóte. Verbum Christi hábitet in vobis abundanter, in omni sapiéntiâ, docentes ; & commonentes vosmetipsos, in psalmis, hymnis, & cánticis spirituálibus, in grátiâ cantantes in córdibus vestris Deo. Omne quodcumque fácitis in verbo aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Jesu Christi, grátias agentes Deo & Patri per ipsum.

℟. Consepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem, * Ut quómodo Christus surrexit à mórtuis per glóriam Patris, ita & nos in novitáte vitæ ambulémus. † Allelúia. ℣. Quicúmque baptizáti sumus in Christo Jesu, in morte ipsíus baptizáti sumus ; * Ut quómodo. ℣. Glória. † Allelúia. *Rom.* 6.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secúndùm Marcum. *Cap.* 16.

CUm transísset sábbatum, María Magdaléne, & María Jacóbi, & Salóme, emérunt arómata, ut veniéntes úngerent Jesum. Et valde mane, unâ sabbatórum, véniunt ad monumentum, orto jam sole. Et dicébant ad invicem : Quis revolvet nobis lápidem ab óstio monumenti ? Et respicientes vidérunt revolútum lápidem. Erat quippe magnus valde. Et introeuntes in monumentum, vidérunt júvenem sedentem in dextris, coopertum stolâ cándidâ ; & obstupuérunt. Qui dicit illis : Nolíte expavéscere ; Jesum quæritis Nazarénum crucifixum, surrexit, non est hìc, ecce locus ubi posuérunt eum. Sed ite, dícite discípulis ejus, & Petro, quia præcédit vos in Galilæam ; ibi eum vidébitis, sicut dixit vobis.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

DEus qui hanc sacratíssimam noctem glóriâ Domínicæ Resurrectiónis illustras, † consérva in novâ famíliæ tuæ progénie sanctificatiónis spíritum quem dedisti ; * ut córpore & mente renováti, puram tibi exhíbeant servitútem ; Per eumdem Dóminum.

AD LAUDES.

ANTIPHONÆ.

I. UNâ sábbati valde dilúculo mulíeres venérunt ad monumentum, portantes quæ paráverant, arómata. Allelúia. *Luc.* 24.

II. Introeuntes in monumentum, vidérunt júvenẽ sedentem in dextris, & obstupuérunt. Allelúia. *Marc.* 16.

III. Respondens autem Angelus, dixit muliéribus: Nolíte timére; scio enim quòd Jesum quæritis. Non est hìc, surrexit. Allelúia. *Matth.* 28.

IV. Vidéte locum ubi pósitus erat Dóminus. Et citò euntes dícite discípulis ejus quia surrexit; & ecce præcédit vos in Galilæam. Allelúia. *Matth.* 28.

V. Exiérunt citò de monumento, cum timóre & gáudio magno, currentes nuntiáre discípulis. Allelúia. *Matth.* 28.

LECTIO. *Apoc.* 1.

EGo sum primus & novíssimus; & vivus, & fui mórtuus; † & ecce sum vivens in sécula seculórũ, * & hábeo claves mortis, & inferni.

℟. *br.* Vivit Dóminus, & benedictus Deus meus. * Allelúia, allelúia. ℟. Vivit. ℣. Et exaltetur Deus salútis meæ. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Vivit. *Ps.* 17.

HYMNUS. *N. T.*

AUróra lucis dum novæ
Spargit polum fulgóribus,
Victóris Agni nóbiles
Orbis triumphos pérsonet.

Ridébat hunc turpi trabe
Vesána pendentem cohors:
Descendat, inquit, & Deum
Illi Patrem fatébimur.

At tu paternis óbsequens
Ad usque mortem légibus,
Orbem Sacerdos víctima
Toto piábas sánguine.

Non ille descendit cruce,
Plus fecit: ecce mórtuus
Se reddit ipse lúmini:
Deo satum jam crédite.

Da, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.

¶ Sit laus Patri; laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad astra secum dux vocat:
Par sit tibi laus, Spíritus. Amen.

¶ *Hæc Doxologia ad Hymnos diurnos dicitur à die Paschæ, usque ad Ascensionem.*

℣. Hæc est dies quam fecit Dóminus; ℟. Exsultémus & lætémur in eâ. *Ps.* 117.

Hic ℣. *dicitur ad omnes Horas usque ad Dominicam in Albis præterquam ad Primam & Completorium.*

Ad Benedictus. *Ant.* Jesus occurrit muliéribus dicens: Avéte: illæ autem accessérunt, & tenuérunt pedes ejus, & adoravérunt eum. Allelúia. *Matth.* 28.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

DEus, qui hodiernâ die per Unigénitum tuum æternitátis nobis áditum devictâ morte reserasti; † vota nostra quæ præveniendo

miendo adspíras, * étiam adjuvando prosequere; Per eumdem.

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Constitutiónibus quæ dicuntur Apostólicæ. *Lib.* 5. *Cap.* 19. *II. vel III. Sec.*

RESurgente Dómino, offerte sacrificium vestrum, de quo vobis constítuit dicens: Hoc fácite in meam commemoratiónem. Pósteà jejúnium dimíttite, lætantes & diem festum agentes; quóniam pignus resurrectiónis vestræ Jesus Christus à mórtuis excitátus est; atque hoc vobis sit legítimum sempiternum usque ad consummatiónē séculi, quoad vénerit Dóminus. Nam Judæis adhuc Dóminus intériit, Christiánis verò resurrexit; illis quidem propter infidelitátem; his autem propter certíssimam hanc persuasiónem quòd speráre in eum sit vita immortális & æterna.

AD TERTIAM.

LECTIO. *II. Cor.* 5.

CAritas Christi urget nos: æstimantes hoc, quóniam si unus pro ómnibus mórtuus est, ergo omnes mórtui sunt: & pro ómnibus mórtuus est Christus: † ut & qui vivunt, jam non sibi vivant: * sed ei, qui pro ipsis mórtuus est, & resurrexit.

℣. Hæc est dies, *ut suprà.*

AD SEXTAM.

LECTIO. *I. Cor.* 15.

CHristus resurrexit à mórtuis primítiæ dormiéntium; † quóniam quidem per hóminem mors, & per hóminem resurréctio mortuórum: * & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.

℣. Hæc est dies.

AD NONAM.

LECTIO. *Rom.* 8.

SI Spíritus ejus qui suscitávit Jesum à mórtuis, hábitat in vobis, † qui suscitávit Jesum Christum à mórtuis, vivificábit & mortália córpora vestra, * propter inhabitantem Spíritum ejus in vobis.

℣. Hæc est dies.

AD II. VESPERAS.

ANTIPHONÆ.

I. CHristus Jesus tráditus est propter delícta nostra, & resurrexit propter justificatiónem nostram. Allelúia. *Rom.* 4.

II. In hoc Christus mórtuus est & resurrexit, ut & mortuórum & vivórum dominétur. Allelúia. *Rom.* 14.

III. Destruxit quidem mortem, illuminávit au-

ejus sedére super sedem ejus; próvidens locútus est de resurrectióne Christi, quia neque derelíctus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptiónem. Hunc Jesum resuscitávit Deus, cujus omnes nos testes sumus. Déxterâ ígitur Dei exaltátus, & promissióne Spíritûs sancti acceptâ à Patre, effúdit hunc quem vos vidétis, & audítis. Non enim David ascendit in cœlum: dixit autem ipse: Dixit Dóminus Dómino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimícos tuos scabellum pedum tuórum.

℟. Príncipes Jerúsalem Jesum ignorantes, & voces Prophetárum, judicantes implevérunt; & nullam causam mortis invenientes in eo, petiérunt à Piláto ut interficerent eum. * Deus verò suscitávit eum à mórtuis tértiâ die. Allelúia. ℣. De angústiâ & de judício sublátus est; abscissus est de terrâ vivéntium: * Deus. *Act.* 13. *Isai.* 53.

LECTIO IV.

CErtíssimè sciat ergo omnis domus Israel, quia & Dóminum eum, & Christum fecit Deus, hunc Jesum, quem vos crucifixístis. His autem audítis, compuncti sunt corde, & dixérunt ad Petrum, & ad réliquos Apóstolos: Quid faciémus, viri fratres? Petrus verò ad illos: Pœniténtiam, inquit, ágite, & baptizétur unusquísque vestrûm in nómine Jesu Christi, in remissiónem peccatórum vestrórum: & accipiétis donum Spíritûs sancti. Vobis enim est repromíssio, & fíliis vestris, & ómnibus qui longè sunt, quoscumque advocáverit Dóminus Deus noster. Aliis étiam verbis plúrimis testificátus est; & exhortabátur eos, dicens: Salvámini à generatióne istâ pravâ. Qui ergo recepérunt sermónem ejus, baptizáti sunt; & appósitæ sunt in die illâ ánimæ círciter tria míllia.

℟. Quem vos interemistis suspendentes in ligno, * Hunc Príncipem & Salvatórem Deus exaltávit déxterâ suâ, ad dandam pœniténtiam Israéli, & remissiónem peccatórum. † Allelúia. ℣. In sciéntiâ suâ justificábit ipse justus servus meus multos. * Hunc. ℣. Glória. † Allelúia. *Act.* 5. *Isai.* 53.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO V.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi de resurrectióne córporum. *Serm.* 242. *Edit. Bened. n.* 1.

DIébus his sanctis Resurrectióni Dómini dedicátis, quantùm donante ipso póssumus, de carnis resurrectióne tractémus,

Hæc enim fides est nostra, hoc donum in Dómini nostri Jesu Christi nobis carne promissum est, & in ipso præcessit exemplum. Vóluit enim nobis quod promísit in fine, non solùm prænuntiáre, sed étiam demonstráre. Illi quidem qui tunc fuérunt cum illo, vidérunt; & cùm expavéscerent, & spíritum se vidére créderent, soliditátem córporis tenuérunt.

℟. Visus est Jesus per dies multos his qui ascénderant cum eo de Galilæâ in Jerúsalem: * Qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem. Allelúia. ℣. Visus est Cephæ, & post hoc úndecim. Deinde visus est plusquàm quingéntis frátribus simul. * Qui. *Act.* 13. *I. Cor.* 15.

LECTIO VI.

LOcútus est non solùm verbis ad aures eórum, sed étiam spécie ad óculos eórum: parumque erat se præbére cernendum, nisi étiam offerret pertractandum atque palpandum. Ait enim: Quid turbáti estis, & cogitatiónes adscendunt in cor vestrum? Vidéte manus meas & pedes meos: palpáte & vidéte, quia spíritus ossa & carnem non habet, sicut me vidétis habére.

℟. O stulti & tardi corde ad credendum in ómnibus quæ locúti sunt Prophétæ! * Nonne hæc opórtuit pati Christum, & ita intráre in glóriam suam? Allelúia. ℣. Dóminus vóluit contérere eum in infirmitáte. * Nonne. *Luc.* 24. *Isai.* 53.

LECTIO VII.

COntra istam evidéntiam dísputant hómines. Quid enim áliud fácerent hómines, qui ea quæ sunt hóminum sápiunt, quàm disputárent de Deó contra Deum? Ille enim Deus est; illi hómines sunt: sed Deus novit cogitatiónes hóminum, quóniam vanæ sunt. In hómine carnáli tota régula intelligendi est consuetúdo cernendi. Quod solent vidére credunt; quod non solent non credunt.

℟. Exsurgat Deus, & dissipentur inimíci ejus; & * Fúgiant qui odérunt eum à fácie ejus, sicut déficit fumus defíciant. Allelúia. ℣. Extérriti sunt custódes, & facti sunt velut mórtui. * Fúgiant. *Ps.* 67. *Matth.* 28.

LECTIO VIII.

PRæter consuetúdinem facit Deus mirácula, quia Deus est. Majóra quidem mirácula sunt, tot quotídie hómines nasci qui non erant, quàm paucos resurrexisse qui erant: & tamen ista mirácula non

consideratióne comprehensa sunt, sed assiduitáte viluérunt. Resurrexit Christus, absolúta res est. Corpus erat, caro erat, pependit in cruce, emísit ánimam, pósita est caro in sepulcro. Exhíbuit illam vivam qui vivébat in illâ. Quare mirámur? Quare non crédimus? Deus est qui fecit: consídera autórem, & tolle dubitatiónem.

℟. Absorpta est mors in victóriâ. * Ubi est mors victória tua? ubi est mors stímulus tuus? † Allelúia. ℣. Nunc cognóvi quóniam salvum fecit DóminusChristum suum? * Ubi. ℣. Glória. † Allelúia. *I. Cor.* 15. *Ps.* 19.

IN III. NOCTURNO.

Lectio IX.

Ex Epístolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 15.

TRádidi vobis ínprimis quod & accépi: quóniam Christus mórtuus est pro peccátis nostris secundùm Scriptúras, & quia sepultus est, & quia resurrexit tértiâ die secundùm Scriptúras: & quia visus est Cephæ, & post hoc úndecim: deinde visus est plusquam quingentis frátribus simul: ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormiérunt: deinde visus est Jacóbo, deinde Apóstolis ómnibus.

℟. Christum Jesum resuscitávit Deus, * Cujus omnes nos testes sumus. Allelúia. ℣. Præbuit seipsum vivum post passiónem suam in multis argumentis per dies quadraginta appárens; * Cujus. *Act.* 2 & 1.

Lectio X.

NOvíssimè autem ómnium tamquàm abortívo, visus est & mihi. Ego enim sum mínimus Apostolórum, qui non sum dignus vocári Apóstolus, quóniam persecútus sum Ecclésiam Dei. Grátiâ autem Dei sum id quod sum, & grátia ejus in me vácua non fuit, sed abundántiùs illis ómnibus laborávi: non ego autem, sed grátia Dei mecum: sive enim ego, sive illi: sic prædicámus, & sic credidístis.

℟. Die médiâ vidi de cœlo circumfulsisse me lumen. * Dóminus autem dixit: Ad hoc appárui tibi, ut constítuam te ministrum, & testem eórũ quæ vidísti. Allelúia. ℣. Nonne Christum Jesum Dóminum nostrum vidi? * Dóminus. *Act.* 26. *I. Cor.* 9.

Lectio XI.

SI autem Christus prædicátur quòd resurrexit à mórtuis, quómodo quidam dicunt in vobis, quóniam resurréctio mortuórum non est? Si autem resurréctio mortuórum non

est; neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inánis est ergo prædicátio nostra, inánis est & fides vestra.

℟. Vivificábit nos Dóminus post duos dies, in die tértiâ suscitábit nos: * Et vivémus in conspectu ejus. Allelúia. ℣. Habentes spíritum fidei, crédimus quóniam qui suscitávit Jesum, & nos cum Jesu suscitábit; * Et vivémus. *Osee. 6. II. Cor.* 4.

LECTIO XII.

INvenímur autem & falsi testes Dei; quóniam testimónium díximus adversùs Deum, quòd suscitáverit Christum, quem non suscitávit, si mórtui non resurgunt. Nam si mórtui non resurgunt, neque Christus resurrexit. Quòd si Christus non resurrexit, vana est fides vestra; adhuc enim estis in peccátis vestris. Ergo & qui dormiérunt in Christo, periérunt. Si in hâc vitâ tantùm in Christo sperantes sumus, miserabilióres sumus ómnibus homínibus.

℟. Christus resurrexit à mórtuis primítiæ dormiéntium. * Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. † Allelúia. ℣. Per hóminem mors, & per hóminem resurréctio mortuórum; * Et. ℣. Glória. † Allelúia. *I. Cor.* 15.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam. *Cap.* 24.

DUo ex discípulis Jesu ibant ipsâ die in castellum, quod erat in spátio stadiórum sexaginta ab Jerúsalem, nómine Emmaüs. Et ipsi loquebantur ad ínvicem de his ómnibus quæ accíderant. Et factum est, dum fabularentur, & secum quærerent: & ipse Jesus appropinquans ibat cum illis: óculi autem illórum tenebantur ne eum agnóscerent. Et ait ad illos: Qui sunt hi sermónes, quos confertis ad ínvicem ambulantes, & estis tristes? Et respondens unus, cui nomen Cleóphas, dixit ei: Tu solus peregrínus es in Jerúsalem, & non cognovisti quæ facta sunt in illâ his diébus? Quibus ille dixit: Quæ? Et dixérunt: De Jesu Nazaréno, qui fuit vir prophéta, potens in ópere & sermóne, coram Deo & omni pópulo: & quómodo eum tradidérunt summi Sacerdótes & príncipes nostri in damnatiónem mortis, & crucifixérunt eum. Nos autem sperabámus quia ipse esset redemptúrus Israel, & nunc

super hæc ómnia, tértia dies est hódie quòd hæc facta sunt. Sed & mulíeres quædam ex nostris terruérunt nos, quæ ante lucem fuérunt ad monumentum & non invento córpore ejus, venérunt, dicentes se étiã visiónem Angelórum vidísse, qui dicunt eum vívere. Et abiérunt quidam ex nostris ad monumentum: & ita invenérunt sicut mulíeres dixérunt, ipsum verò non invenérunt. Et ipse dixit ad eos: O stulti, & tardi corde ad credendum in ómnibus quæ locúti sunt Prophétæ! Nonne hæc opórtuit pati Christum, & ita intráre in glóriam suam? Et incípiens à Móyse, & ómnibus Prophétis, interpretabátur illis in ómnibus Scriptúris, quæ de ipso erant. Et appropinquavérunt castello quò ibant: & ipse se finxit lóngiùs ire. Et coegérunt illum dicentes: Mane nobiscum, quóniam advesperascit, & inclináta est jam dies. Et intrávit cum illis. Et factum est dum recúmberet cum eis, accépit panem, & benedixit ac fregit, & porrigébat illis. Et aperti sunt óculi eórum, & cognovérunt eum: & ipse evánuit ex óculis eórum. Et dixérunt ad ínvicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loquerétur in viâ, & aperíret nobis Scriptúras? Et surgentes eádem horâ, regressi sunt in Jerúsalem; & invenérunt congregátos úndecim, & eos qui cum illis erant, dicentes: Quòd surrexit Dóminus verè, & appáruit Simóni. Et ipsi narrábant quæ gesta erant in viâ: & quómodo cognovérunt eum in fractióne panis.

Ad Benedíctus. *Ant.* Incípiens Jesus à Móyse & ómnibus Prophétis, interpretabátur illis in ómnibus Scriptúris, quæ de ipso erant. Allelúia. *Luc.* 24.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

DEus, qui solemnitáte Paschali, mundo remédia contulisti, † pópulum tuum, quæsumus, cœlesti dono proséquere: * ut & perfectam libertátem cónsequi mereátur, & ad vitam profíciat sempitérnam; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Arelatensi sexto. *An.* 813. *Can.* 1.

DEscendit Christus ad ínferos, ut sanctos qui ibídem tenebantur erúeret, devictóque mortis império resurrexit. Cujus morte & sánguine mundáti, peccatórum remissiónem consecúti sumus, resuscitandi ab eo in die novíssimo, in eâ quâ nunc vívimus carne, & in eâ

quâ surrexit idem Dóminus, formâ; perceptúri ab ipso álii pro justítiæ méritis vitam ætérnam, álii pro peccátis supplícii ætérni senténtiam.

Ad Magníficat. *Ant.* Regressi sunt in Jerúsalem, & invenérunt congregátos úndecim, & eos qui cum illis erant; & ipsi narrábant quómodo cognovérunt Jesum in fractióne panis. Allelúia. *Luc.* 24.

FERIA TERTIA
INTRA
OCTAVAM PASCHÆ.
Solemnitas II. Classis.

IN I. NOCTURNO.

LECTIO I.

Ex Actibus Apostolórum. *Cap.* 2.

ERant autem perseverantes in doctrínâ Apostolórum, & communicatióne fractiónis panis, & oratiónibus. Fiébat autem omni ánimæ timor: multa quoque prodígia & signa per Apóstolos in Jerúsalem fiébant, & metus erat magnus in univérsis. Omnes étiam, qui credébant, erant páriter, & habébant ómnia commúnia. Possessiónes & substántias vendébant, & dividébant illa ómnibus, prout cuíque opus erat. Quotídiè perdurantes unanímiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumébant cibum cum exsultatióne, & simplicitáte cordis: collaudantes Deum, & habentes grátiam ad omnem plebem. Dóminus autem augébat qui salvi fierent quotídiè in idipsum.

℟. Quàm pulchra tabernácula tua, Jacob, & tentória tua Israel! * Ut valles nemorósæ, ut horti juxta flúvios írrigui, ut tabernácula quæ fixit Dóminus. Allelúia. ℣. Ecclésiæ confirmabantur fide, & abundábant número quotídiè; * Ut valles. *Num.* 24. *Act.* 16.

LECTIO II. *Cap.* 3.

PEtrus autem & Joannes ascendébant in templum ad horam oratiónis nonam. Et quidam vir qui erat claudus ex útero matris suæ, bajulabátur: quem ponébant quotídiè ad portam templi, quæ dícitur Speciósa, ut péteret eleemósynam ab introeúntibus in templum. Is cùm vidísset Petrum & Joannem incipientes introíre in templum, rogábat ut eleemósynam accíperet.

℟. Convenérunt in civitáte istâ advérsùs sanctum púerum tuum Jesum, quem unxisti: *Et nunc, Dómine, da servis tuis cum fidúciâ loqui, in eo quòd manum

tuam extendas ad sanitátes & prodígia, per nomen sancti Fílii tui Jesu. Allelúia. ℣. Adstitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum adversùs Dóminum, & adversùs Christum ejus. * Et nunc. *Act.* 4. *Ps.* 2.

LECTIO III.

INtuens autem in eum Petrus cum Joanne, dixit: Réspice in nos: at ille intendébat in eos, sperans se áliquid acceptúrum ab eis. Petrus autem dixit: Argentum & aurum non est mihi; quod autem hábeo hoc tibi do: In nómine Jesu Christi Nazaréni surge & ámbula. Et apprehensâ manu ejus déxterâ allevávit eum, & prótinus consolidátæ sunt bases ejus & plantæ. Et exsíliens stetit, & ambulábat: & intrávit cum illis in templum ámbulans & exsíliens, & laudans Deum. Et vidit omnis pópulus eum ambulantem, & laudantem Deum. Cognoscébant autem illum, quòd ipse erat qui ad eleemósynam sedébat ad Speciósam portam templi: & impléti sunt stupóre & éxstasi in eo quod contígerat illi.

℟. Jesum Nazarénum, virum approbátum à Deo virtútibus & prodígiis, per manus iniquórum interemístis: * Quem Deus suscitávit. Allelúia. ℣. Ipse est Deus vivens, & ætérnus in sécula; ipse Liberátor atque Salvátor, fáciens signa & mirabília. * Quem. *Act.* 2. *Dan.* 6.

LECTIO IV.

CUm tenéret autem Petrum, & Joannem, cucurrit omnis pópulus ad eos, ad pórticum quæ appellátur Salomónis, stupentes. Videns autem Petrus, respondit ad pópulum: Viri Israelítæ, quid mirámini in hoc, aut nos quid intuémini quasi nostrâ virtúte aut potestáte fecérimus hunc ambuláre? Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob, Deus Patrum nostrórum glorificávit Fílium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis, & negastis ante fáciem Piláti, judicante illo dimitti. Vos autem Sanctum & Justum negastis, & petistis virum homicídam donári vobis: Autórem verò vitæ interfecistis, quem Deus suscitávit à mórtuis, cujus nos testes sumus; & in fide nóminis ejus, hunc quem vos vidistis & nostis, confirmávit nomen ejus: & fides, quæ per eum est, dedit íntegram sanitátem istam in conspectu ómnium vestrûm.

℟. Ecce intélliget servus meus, * Exaltábitur & ele-

vábitur & sublímis erit valdè. † Allelúia. ℣. Certíssimè sciat omnis domus Israel, quia & Dóminum eum, & Christum fecit Deus, hunc Jesum, quem vos crucifixístis. * Exaltábitur. ℣. Glória. † Allelúia. *Is.* 52. *Act.* 2.

IN II. NOCTURNO.

Lectio V.

Ex Libro sancti Athanásii Epíscopi de Incarnatióne Verbi Dei. *Edit. Bened. n.* 27 *&* 29.

Mortem dissollútâ esse & cruce devíctam, non ténue argumentum, sed certíssimum indícium est, quòd ab ómnibus Christi discípulis illa contemnátur. Quis enim víderit hómines natúrâ imbecílles ad mortem fidenter convoláre; nec tormenta timére? Si quis spectátor fúerit virórum, mulíerum, tenerorumque puerórum, qui suâ in Christum pietáte impúlsi, ad mortem concurrunt & próperant; quis ita stólidus, vel incrédulus, aut mente obcœcátus fúerit, ut non intélligat & cógitet Christum, cui testes esse merentur hómines, síngulis victóriam advérsus mortem tribúere & concédere, illamque in ómnibus qui ejus fidem habent, & Crucis signum gerunt, infirmáre? ℟. Ubi est, mors, victória tua? ubi est, mors, stímulus tuus? stímulus mortis peccátum est; * Deo autem grátias: qui dedit nobis victóriam per Dóminum nostrum Jesum Christum. Allelúia. ℣. Obliviónì tráditæ sunt angústiæ prióres, & abscónditæ ab óculis; * Deo. *I. Cor.* 15. *Isai.* 65.

Lectio VI. *n.* 30.

Morte porrò ab illo interremptâ quid restábat nisi ut corpus resúrgeret, & trophæum advérsus mortem fieret? Quómodo enim mors destrúcta esse viderétur, nisi Domínicum corpus resurrexísset? Si cui autem hæc ad ejus resurrectiónem probandam satis non fúerint, sáltem ex his quæ óculis óbvia sunt fidem dictis hábeat. Nam si mórtuus nihil prorsus ágere potest, sed ejus memória usque ad sepúlcrum dumtaxat viget, ac deinceps désinit: si verò soli viventes agunt, solíque apud hómines áliquid possunt efficere; vídeat certè qui velit, & ex his quæ víderit veritátem se ipso júdice fateátur.

℟. Exspecta me, dicit Dóminus, in die resurrectiónis meæ in futúrum; * Quia tunc reddam pópulis lábium electum, ut ínvocent omnes in nómine

Dómini, & sérviant ei húmero uno. Allelúia. ℣. Ego si exaltátus fúero à terrâ, ómnia traham ad meipsum. * Quia. *Sophon.* 3. *Joan.* 12.

LECTIO VII.

CUm enim tot & tanta Salvátor in homínibus efficiat, cùm tot úndique Græcis & Bárbaris occultè quotídiè persuádeat ut suâ fidem amplectantur, & suæ doctrínæ omnes obédiant; num adhuc dubitábit áliquis utrùm à Salvatóre facta sit resurréctio & vivat Christus, immò verò ipse sit vita? An ergo mórtui est mentes hóminum ita compúngere, ut pátriis légibus repudiátis, Christi doctrínam sequantur? aut si nihil agit, nam id mórtui próprium est, quómodo ipse agentes & viventes ab agendo coercet, ita ut adulter jam non adúlteret, homicída non interfíciat, injustus néminem fraudet, & ex ímpio pius quis evádat?

℟. Scient in Géntibus semen eórum: * Omnes qui víderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dóminus. Allelúia. ℣. Non fácient iniquitátem, nec loquentur mendácium, & non inveniétur in ore eórum lingua dolósa. * Omnes. *Isai.* 61. *Sophon.* 3.

LECTIO VIII. *n.* 30 & 31.

QUî fieri potest, si non resurrexit, sed mórtuus est, ut dæmones, quos Deos falsè appellant & venerantur infidéles, ipse expellat & profliget? Si quidem signo crucis omnis ars mágica déficit, incantamenta ómnia evanescunt, idóla deseruntur & relinquuntur, sedaturque insána & turpis voluptas, ac quílibet jam à terris in cœlum súspicit; quis quæso, mórtuus dicendus est? Christusne qui res tantas éfficit? Atqui non próprium est mórtui ágere. An non pótiùs is qui nihil prorsùs agit, sed velut inánimus jacet, quod jam dæmónibus & idólis útpote mórtuis cónvenit. At Fílius Dei vivus & éfficax quotídie agit & ómnium salútem éfficit: contrà verò mortem magìs in dies infirmári idólaque & dæmones magìs ac magìs mórtuos fieri ita clarum est, ut nemo jam ámpliùs de Christi córporis resurrectióne dubitáre possit.

℟. Signa eos qui credíderint, hæc sequentur: * In nómine meo dæmónia ejícient, serpentes tollent, & si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit. † Allelúia. ℣. Qui credit in me, ópera quæ ego fácio, & ipse fáciet, & majóra horum fáciet.

* In nómine. ℣. Glória. † Allelúia. *Marc.* 16. *Joan.* 14.

IN III. NOCTURNO.

Lectio IX.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Cap. 5.

SIcut per inobediéntiam unìus hóminis, peccatóres constitúti sunt multi: ita & per unìus obeditiónem justi constituentur multi. Lex autem subintrávit ut abundáret delictum. Ubi autem abundávit delictum, superabundávit grátia. Ut sicut regnávit peccátum in mortem: ita & grátia regnet per justítiam in vitam æternam, per Jesum Christum Dóminum nostrum.

℟. Sicut per unìus delictum in omnes hómines in condemnatiónem: * Sic & per unìus justítiam in omnes hómines in justificatiónem vitæ. Allelúia. ℣. Sicut per unum hóminem peccátum in hunc mundum intrávit, & per peccátum mors; & ita in omnes hómines mors pertránsiit, in quo omnes peccavérunt; * Sic. *Rom.* 5.

Lectio X. *Cap.* 6.

QUid ergo dicémus? Permanébimus in peccáto ut grátia abundet? Absit. Qui enim mórtui sumus peccáto, quómodo adhuc vivémus in illo? An ignorátis quia quicumque baptizáti sumus in Christo Jesu, in morte ipsìus baptizáti sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quómodo Christus surrexit à mórtuis per glóriam Patris, ita & nos in novitáte vitæ ambulémus.

℟. Consepulti estis Christo in baptismo: in quo & resurrexistis * Per fidē operatiónis Dei, qui suscitávit illum à mórtuis. Allelúia. ℣. Et vos, cum mórtui essétis in delictis, convivificávit Deus cum illo, donans vobis ómnia delicta; * Per fidem. *Coloss.* 2.

Lectio XI.

SI enim complantáti facti sumus similitúdini mortis ejus: simul & resurrectiónis érimus. Hoc sciéntes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruátur corpus peccáti, & ultrà non serviámus peccáto. Qui enim mórtuus est, justificátus est à peccáto.

℟. Stipéndia peccáti, mors; * Grátia autem Dei, vita æterna, in Christo Jesu Dómino nostro. Allelúia. ℣. Invídiâ diáboli mors introívit in orbem terrárum; * Grátia. *Rom.* 6. *Sap.* 2.

Lectio XII.

SI autem mórtui sumus cum Christo: crédimus quia simul étiam vivémus

cum Christo. Scientes quòd Christus resurgens ex mórtuis jam non móritur, mors illi ultrà non dominábitur. Quod enim mórtuus est peccáto, mórtuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo.

℟. Existimáte vos mórtuos quidem esse peccáto, viventes autem Deo, in Christo Jesu Dómino nostro. * Non ergo regnet peccátum in vestro mortáli córpore, ut obediátis concupiscéntiis ejus. † Allelúia. ℣. Mortificáti estis legi per corpus Christi; ut sitis altérius qui ex mórtuis resurrexit, ut fructificémus Deo. * Non. ℣. Glória. † Allelúia. *Rom. 6 & 7.*

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

Cap. 24.

STetit Jesus in médio discipulórum suórum, & dicit eis: Pax vobis: Ego sum, nolíte timére. Conturbáti verò & contérriti existimábant se spíritum vidére. Et dixit eis: Quid turbáti estis, & cogitatiónes ascendunt in corda vestra? Vidéte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum: palpáte, & vidéte, quia spíritus carnem & ossa non habet, sicut me vidétis habére. Et cùm hoc dixisset, osténdit eis manus & pedes. Adhuc autem illis non credéntibus, & mirántibus præ gáudio, dixit: Habétis hic áliquid, quod manducétur? At illi obtulérunt ei partem piscis assi, & favum mellis. Et cùm manducasset coram eis, sumens relíquias dedit eis. Et dixit ad eos: Hæc sunt verba, quæ locútus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum, quóniam necesse est impléri ómnia, quæ scripta sunt in lege Móysi, & Prophétis, & Psalmis de me. Tunc apéruit eis sensum, ut intellígerent Scriptúras. Et dixit eis: Quóniam sic scriptum est, & sic oportébat Christum pati, & resúrgere à mórtuis tértiâ die, & prædicári in nómine ejus pœniténtiam & remissiónẽ peccatórum in omnes gentes incipiéntibus ab Jerosólymâ.

Ad Benedictus. *Ant.* Obtulérunt discípuli Dómino partem piscis assi, & favum mellis; & cùm manducasset coram eis, sumens relíquias, dedit eis. Allelúia. *Luc. 24.*

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

DEus, qui Ecclésiam tuam novo semper fœtu multíplicas: † concéde fámulis tuis, * ut sacramentũ vivendo téneant, quod fide percepérunt ; Per Dóminum nostrum.

CANON.

Ex Concílio Ephesíno. *An.* 431. *anath.* 12. *S. Cyrilli.*

SI quis non confitétur Dei Verbum secundùm carnem passum, secundùm carnem crucifixum, mortemque secundùm carnem gustasse; & Primogénitum tandem ex mórtuis factum esse, quátenùs vidélicet vita est, & vivíficum ut Deus: anáthema sit.

Ad Magníficat. *Ant.* Sic scriptum est, & sic oportébat Christum pati, & resúrgere à mórtuis tértiâ die, & prædicári in nómine ejus pœniténtiam & remissiónem peccatórum in omnes gentes. Allelúia. *Luc.* 24.

IN DIEBUS

INTRA OCTAVAM.

AD OFFICIUM NOCT.

Ant. Ad Veníte, *& Hymnus, in die, pag.* 327.

IN I. NOCTURNO.

Psalmi dicuntur sub unieâ Antiphonâ, ut in Psalterio. Lectiones cum Responsoriis suis habentur infrà pro unâquâque die.

IN II. NOCTURNO.

Psalmi cum Allelúia, *&c. ut in Psalterio.*

LECTIO. *Ephes.* 2.

DEus, qui dives est in misericórdiâ, propter nímiam caritátem suam, quâ diléxit nos, & cùm essémus mórtui peccátis, convivificávit nos in Christo, cujus grátiâ estis salváti.

℣. Convertisti planctum meum, in gáudium mihi;
℟. Conscidisti saccum meũ, & circumdedisti me lætítiâ. *Ps.* 29.

Collecta singulis diebus propria.

Ad reliquas Horas, omnia ut in Die præter Psalmos Vesperales qui dicuntur de Feriâ. Antiphona ad Benedictus, *&* Magníficat, *singulis diebus propria.*

FERIA QUARTA

INTRA

OCTAVAM PASCHÆ.

LECTIO I.

Ex Actibus Apostolórum. *Cap.* 3.

ET nunc, fratres, scio quia per ignorántiam fecistis, sicut & Príncipes vestri. Deus autem quæ prænuntiávit per os ómnium Prophetárum, pati Christum suum, sic implévit. Pœnitémini ígitur, & convertímini, ut deleantur peccáta vestra: ut cùm vénerint témpora refrigé-

rii à conſpectu Dómini, & míſerit eum qui prædicátus eſt vobis, Jeſum Chriſtum, quem oportet quidem cœlum ſuſcípere uſque in témpora reſtitutiónis ómnium quæ locútus eſt Deus per os ſanctórum ſuórum à ſéculo Prophetárum. Móyſes quidem dixit: Quóniam Prophétam ſuſcitábit vobis Dóminus Deus veſter de frátribus veſtris, tamquàm me, ipſum audiétis, juxta ómnia quæcumque locútus fúerit vobis. Erit autem: Omnis ánima, quæ non audíerit Prophétam illum, exterminábitur de plebe. Et omnes Prophétæ à Sámuel, & deinceps, qui locúti ſunt, nuntiavérunt dies iſtos. Vos eſtis filii Prophetárum, & teſtamenti, quod diſpóſuit Deus ad Patres noſtros, dicens ad Abraham: Et in ſémine tuo benedicentur omnes famíliæ terræ. Vobis primum Deus ſúſcitans Fílium ſuum, miſit eum benedicentem vobis: ut convertat ſe unuſquiſque à nequítiâ ſuâ.

℟. Virtúte magnâ reddébant Apóſtoli teſtimónium reſurrectiónis Jeſu Chriſti Dómini noſtri; * Et grátia magna erat in ómnibus illis. Allelúia. ℣. Loquebantur verbum Dei cum fidúciâ; * Et grátia. *Act.* 4.

Lectio II. *Cap.* 4.

LOquéntibus autem illis ad pópulum, ſupervenérunt Sacerdótes, & Magiſtrátus templi, & Sadducæi, dolentes quòd docérent pópulum, & annuntiárent in Jeſu reſurrectiónem ex mórtuis: & injecérunt in eos manus, & poſuérunt eos in cuſtódiam in cráſtinum: erat enim jam véſpera. Multi autem eórum qui audíerant verbum, credidérunt: & factus eſt númerus virórum quinque míllia.

℟. Ecce ego mitto vos ſicut oves in médio lupórum. * Eſtóte ergo prudentes ſicut ſerpentes, & símplices ſicut columbæ. Allelúia. ℣. Injícient vobis manus ſuas, & perſequentur tradentes in Synagógas & cuſtódias, propter nomen meum. * Eſtóte. *Matth.* 10. *Luc.* 21.

Lectio III.

Ex Epíſtolâ ſancti Ignátii Epiſcopi & Mártyris ad Smyrnæos. *Edit. Cotel. ex Græco. n.* 2, 3 & 4.

VEré paſſus eſt Chriſtus, & verè ſeipſum reſuſcitávit. Ego enim & poſt reſurrectiónem eum in carne novi, & credo eſſe. Et quando ad eos qui cum Petro erant, venit, inquit ipſis: Apprehéndite, palpáte me, & vidéte, quòd non

sum dæmónium incorporále. Et confestim tetigérunt ipsum, atque credidérunt, convícti carne ipsíus & spíritu. Propter hoc étiam mortem contempsérunt; supra mortem verò inventi sunt. Post resurrectiónem autem cum illis comédit & bibit, ut carnális, quàmvis spirituáliter unítus Patri. Si opinióne solâ hæc à Dómino nostro sunt peracta; & ego opinióne solùm vinctus sum. Quid verò & meipsum morti dedititium trádidi, ad ignem, ad gládium, ad béstias? Verùm qui prope gládium, prope Deum est: qui cum béstiis, cum Deo est. Tantùm in nómine Jesu Christi, ut simul cum illo pátiar, ómnia sustíneo; ipso roborante me, qui perfectus homo factus est.

℟. Scio quòd Redemptor meus vivit, quem visúrus sum ego ipse, & non álius. * Repósita est hæc spes mea in sinu meo. † Allelúia. ℣. In novíssimo die de terrâ surrectúrus sum, & in carne meâ vidébo Deum meum. * Repósita. ℣. Glória. † Allelúia. *Job.* 19.

Ad Benedictus. *Ant.* Dicit discípulis suis Jesus: Veníte, prandéte. Et nemo audébat discumbéntium interrogáre eum; tu quis es; scientes quia Dóminus est. Allelúia. *Joan.* 21.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

DEus, qui nos Resurrectiónis Domínicæ ánnuâ solemnitáte lætíficas; † concéde propítius, * ut per temporália festa quæ ágimus, perveníre ad gáudia ætérna mereámur; Per eumdem Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Matisconensi secundo. *An.* 583. *Can.* 2.

PAscha nostrum in quo summus Sacerdos & Póntifex pro nostris delictis nullam habens obnoxietátem peccáti, immolátus est, debémus omnes festivíssimè cólere, & sédulæ observatiónis sinceritáte in ómnibus venerári; ut illis sanctíssimis diébus omnes simul coadunáti, hymnis Paschálibus indulgentes, perseveratiónis nostræ præséntiam quotidiánis sacrifíciis ostendámus, laudantes Creatórem ac Regeneratórem nostrum véspere, mane, & merídie.

Ad Magníficat. *Ant.* Accipit Jesus panem, & dat discípulis suis, & piscem simíliter. Hoc jam tértiò manifestátus eis est Jesus, postquàm resurrexit à mórtuis. Allelúia. *Joan.* 21.

FERIA QUINTA INTRA OCTAVAM PASCHÆ.

Lectio I.

Ex Actibus Apostolórum. *Cap.* 4.

STatuentes Petrum & Joannem in médio, interrogábant: In quâ virtúte aut in quo nómine fecistis hoc vos? Tunc replétus Spíritu sancto Petrus, dixit ad eos: Príncipes pópuli, & senióres audíte: Si nos hódie dijudicámur in benefacto hóminis infirmi, in quo iste salvus factus est, notum sit ómnibus vobis, & omni plebi Israel, quia in nómine Dómini nostri Jesu Christi Nazaréni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitávit à mórtuis, in hoc iste adstat coram vobis sanus. Hic est lapis, qui reprobátus est à vobis ædificántibus, qui factus est in caput ánguli: & non est in álio áliquo salus. Nec enim áliud nomen est sub cœlo datum homínibus, in quo opórteat nos salvos fieri.

℟. Virtúte magnâ reddébant Apóstoli testimónium resurrectiónis Jesu Christi Dómini nostri; * Et grátia magna erat in ómnibus illis. Allelúia. ℣. Loquebantur verbũ Dei cum fidúciâ; * Et grátia. *Act.* 4.

Lectio II.

VIdentes autem Petri constántiam & Joannis, comperto quòd hómines essent sine lítteris, & idiótæ, admirabantur, & cognoscébant eos, quóniam cum Jesu fúerant: hóminem quoque videntes stantem cum eis, qui curátus fúerat, nihil póterant contradícere. Jussérunt autem eos foràs extra concílium secédere: & conferébant ad ínvicem dicentes: Quid faciémus homínibus istis? Quóniam quidem notum signum factum est per eos, ómnibus habitántibus Jerúsalem: manifestum est, & non póssumus negáre. Sed ne ampliùs divulgétur in pópulum, comminémur eis, ne ultrà loquantur in nómine hoc ulli hóminum.

℟. Denuntiavérunt ne omnínò loquerentur, neque docérent in nómine Jesu: Petrus verò & Joannes dixérunt ad eos: * Non póssumus quæ vídimus & audívimus non loqui. Allelúia. ℣. Sacramentum Regis abscóndere bonum est, ópera autem Dei reveláre & confitéri honoríficum est. * Non. *Act.* 4. *Tob.* 12.

Lectio III.

Ex Diálogo sancti Justíni Mártyris cum Tryphóne Judæo. *Edit. Bened. n.* 85.

CHristus noster Dóminus est virtútum: qui

ex mórtuis resurrexit quemádmodum & Psalmus & cæteræ Scriptúræ demonstrábant, eumque Dóminum virtútum prædicábant: id quod vobis étiam nunc fácile est ex his, quæ in ómnium óculis geruntur, perspícere, si velítis. Nam per nomen ipsíus illius Filii Dei, & omnis creatúræ Primogéniti, qui ex Vírgine natus est, & sub Póntio Piláto à pópulo vestro crucifixus est, & mórtuus est, ac resurrexit ex mórtuis, & ascendit in cœlum, dæmónium quódlibet adjurátum víncitur & subjícitur. Si veró per nomen quódlibet eórum, qui apud vos fuérunt, Regum, aut justórum, aut Prophetárum, aut Patriarchárum à vobis adjurétur, nullum subjícitur dæmónium.

℟. Signa eos qui credíderint hæc sequentur: * In nómine meo dæmónia ejícient, serpentes tollent, & si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit. † Allelúia. ℣. Qui credit in me, ópera quæ ego fácio, & ipse fáciet, & majóra horum fáciet. * In nómine. ℣. Glória. † Allelúia. *Marc.* 16. *Joan.* 14.

Ad Benedictus. *Ant.* Surgens Jesus mane, primâ sábbati, appáruit primò Maríæ Magdalénæ. Allelúia. *Marc.* 16.

Collecta. *Sacr. Greg.*

Deus, qui diversitátem Géntium in confessióne tui nóminis adunásti; † da, ut renátis fonte baptísmatis una sit fides méntium,* & píetas actiónum; Per Dóminum nostrum.

Canon.

Ex Concílio Tridentíno. *An.* 1551. *Sess.* 13. *Cap.* 7.

Si non decet ad sacras ullas functiónes quémpiam accédere, nisi sanctè; certè quò magis sánctitas & divínitas cœlestis Eucharístiæ sacramenti viro Christiáno comperta est, diligéntiùs cavére ille debet, ne absque magnâ reveréntiâ & sanctitáte ad id percipiendum accédat. Quare communicáre volenti revocandum est in memóriam Apóstoli præceptum: Probet seipsum homo. Ecclesiástica autem consuetúdo declárat eam probatiónem necessáriam esse, ut nullus sibi cónscius mortális peccáti, quantumvis sibi contrítus videátur, absque præmissâ sacramentáli Confessióne ad sacram Eucharístiam accédere débeat.

Ad Magníficat. *Ant.* Venit María Magdaléne annúntians discípulis: Quia vidi Dóminum. Allelúia. *Joan.* 20.

FERIA SEXTA INTRA OCTAVAM PASCHÆ.

LECTIO I.

Ex Actibus Apostolórum. *Cap.* 4.

ET vocantes eos Príncipes pópuli & senióres, denuntiavérunt ne omníno loquerentur, neque docérent in nómine Jesu. Petrus verò & Joannes respondentes dixérunt ad eos: Si justum est in conspectu Dei vos pótiùs audíre quàm Deum, judicáte: non enim póssumus quæ vídimus & audívimus non loqui. At illi comminantes dimisérunt eos: non invenientes quómodo punírent eos, propter pópulum, quia omnes clarificábant id quod factum fúerat in eo quod acciderat. Annórum enim erat ámpliùs quadraginta homo, in quo factum fúerat signum istud sanitátis.

℟. Jesum à Názareth suscitávit Deus tértiâ die, * Et præcépit nobis testificári, quia ipse est qui constitútus est à Deo judex vivórum, & mortuórum. Allelúia. ℣. Omne judícium dedit Pater Fílio ut omnes honoríficent Fílium sicut honoríficant Patrem. * Et præcépit. *Act.* 10. *Joan.* 5.

LECTIO II.

DImissi autem venérunt ad suos: & annuntiavérunt eis, quanta ad eos príncipes Sacerdótum & senióres dixissent. Qui cùm audissent, unanímiter levavérunt vocem ad Deum, & dixérunt: Dómine, tu es qui fecisti cœlum & terram, mare & ómnia quæ in eis sunt: qui Spíritu sancto per os patris nostri David, púeri tui, dixisti: Quare fremuérunt Gentes, & pópuli meditáti sunt inánia: adstitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum, adversùs Dóminum, & adversùs Christum ejus? Convenérunt enim verè in civitáte istâ adversùs sanctũ púerum tuum Jesum, quem unxisti, Heródes, & Póntius Pilátus, cum Géntibus, & pópulis Israel, fácere quæ manus tua, & consílium tuum decrevérunt fieri. Et nunc, Dómine, réspice in minas eórum, & da servis tuis cum omni fidúciâ loqui verbum tuum, in eo quòd manum tuam extendas ad sanitátes, & signa & prodígia fieri per nomen sancti Fílii tui Jesu. Et cùm orassent, motus est locus, in quo erant congregáti; & repléti sunt omnes Spíritu sancto, & loquebantur verbum Dei cũ fidúciâ.

℟. Quare fremuérunt Gentes, & pópuli meditáti

sunt inánia? * Qui hábitat in cœlis irridébit eos, & Dóminus subsannábit eos. Allelúia. ℣. Adstitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum, adversùs Dóminum, & adversùs Christum ejus. * Qui hábitat. *Ps.* 2.

LECTIO III.

Ex Libro sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris de Idolórum vanitáte. *Edit. Baluz. Med. III. Sec.*

CRucifixus Christus prævento carníficis officio spíritum sponte dimísit: & die tértio rursus à mórtuis sponte surrexit. Appáruit discípulis suis talis qualis ante fúerat, agnoscendum se vidéntibus præbuit; ad dies quadraginta remorátus est, ut de eo ad præcepta vitália ínstrui possent, & díscerent quæ docérent. Per orbem verò discípuli Magistro & Deo monente diffúsi præcepta in salútem darent, ab erróre tenebrárum ad viam lucis addúcerent, cæcos & ignáros ad agnitiónem veritátis oculárent. Ac ne esset probátio minùs sólida, & de Christo delicáta conféssio, per tormenta, per cruces, per multa pœnárum génera tentantur. Dolor, qui veritátis testis est, admovétur ut Christus Dei Fílius, qui homínibus ad vitam datus créditur, non tantùm præcónio vocis, sed & passiónis testimónio prædicarétur. Hunc ígitur comitámur, hunc séquimur, hunc habémus itíneris ducem, lucis príncipem, salútis autórem, cœlum páriter & Patrem quæréntibus & credéntibus pollicentem. Quod est Christus érimus Christiáni, si Christum fuérimus imitáti.

℟. Per Christum fidéles estis in Deo qui suscitávit eum à mórtuis, & dedit ei glóriam; * Ut fides vestra & spes esset in Deo. † Allelúia. ℣. Antíquus diérum dedit ei potestátem, & honórem, & regnum; * Ut fides. ℣. Glória. † Allelúia. *I. Petr.* 1. *Dan.* 7.

Ad Benedictus. *Ant.* Euntes docéte omnes Gentes, baptizantes eos in nómine Patris, & Fílii, & Spíritûs sancti. Allelúia. *Matth.* 28.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

OMnípotens sempitérne Deus, qui Paschále sacramentum in reconciliatiónis humánæ fœdere contulisti † da méntibus nostris, ut quod professióne celebrámus; * imitémur effectu; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Toletáno undécimo. *An.* 675. *Can.* 4.

DIscordántium fratrum oblatiónes, juxta antíqui Cánonis definitiónes,

nullo modo recipiendas esse censémus; ántequàm eos reconciliátio vera innectat. Nullus eórum accédere ad altáre Dómini áudeat, vel grátiam Communiónis sanctæ percípiat: sed gemináto témpore, per pœniténtiam compensábunt, quod discórdiæ serviérunt.

Ad Magníficat. *Ant.* Qui credíderit & baptizátus fúerit, salvus erit. Allelúia. *Marc.* 16.

SABBATO *IN ALBIS.*

LECTIO I.

Ex Actibus Apostolórum. *Cap.* 5.

VIr autem quidam nómine Ananías, cum Saphírâ uxóre suâ, véndidit agrum, & fraudávit de prétio agri, cónsciâ uxóre suâ: & ásferens partem quamdam, ad pedes Apostolórum pósuit. Dixit autem Petrus: Ananía, cur tentávit sátanas cor tuum, mentíri te Spirítui sancto, & fraudáre de prétio agri? nonne manens tibi manébat, & venúmdatum in tuâ erat potestáte? Quare posuísti in corde tuo hanc rem? Non es mentítus homínibus, sed Deo. Audiens autem Ananías hæc verba, cécidit & exspirávit. Et factus est timor magnus super omnes qui audiérunt. Surgentes autem júvenes amovérunt eum, & efferentes sepeliérunt.

℟. Ecce, qui elongant se à te, Dómine, períbunt, * Mihi autem adhærére Deo bonum est, pónere in Dómino Deo spem meam. Allelúia. ℣. Vidébunt justi, & timébunt, & dicent: Ecce homo, qui non pósuit Deum adjutórem suũ; sed sperávit in multitúdine divitiárum suárum; * Mihi. *Ps.* 72. & 51.

LECTIO II.

FActum est autem quasi horárum trium spátium, & uxor ipsíus néscîens quod factum fúerat, introívit. Dixit autem ei Petrus: Dic mihi, múlier, si tanti agrum vendidístis? At illa dixit: Etiam tanti. Petrus autem ad eam: Quid útique cónvenit vobis tentáre Spíritum Dómini? Ecce pedes eórum qui sepeliérunt virum tuum ad óstiũ, & éfferent te. Conféstim cécidit ante pedes ejus, & exspirávit. Intrantes autem júvenes, invenérunt illam mórtuam, & extulérunt, & sepeliérunt ad virum suum. Et factus est timor magnus in universâ Ecclésiâ, & in omnes qui audiérunt hæc.

℟. Non est símilis tui, Dómine: magnus es tu, & magnum nomen tuum in

fortitúdine. * Quis non timébit te, ô Rex Géntium? Allelúia. ℣. Judícia tua manifesta sunt. * Quis. *Jerem.* 10. *Apoc.* 15.

LECTIO III.

Ex Libro sancti Augustíni Epíscopi, de Grátiâ Novi Testamenti. *Epist.* 140. *ad Honoratum. n.* 25. *Edit. Bened.*

RĘsurrectiónem suam nóluit Christus aliénis demonstráre, sed suis: aliénis dico, non natúrâ, sed vítio, quod semper est contra natúram. Mórtuus est ergo in conspectu hóminum, resurrexit autem in conspectu filiórum hóminum: quia mors ad hóminem pertinébat, resurrectio ad Fílium hóminis. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes vivificabuntur; ut ígitur exemplo suæ carnis exhortarétur fidéles suos temporálem pro æternâ felicitátem contémnere, usque ad mortem pértulit persequentes atque sævientes, & quasi victo & oppresso superbè illudentes. Quòd autem carnem suam resuscitávit, & discipulórum conspéctibus & contáctibus réddidit, eisque vidéntibus ascendit in cœlum, ipsos ædificávit, & quid exspectáre, quid prædicáre debérent, evidentíssimâ veritáte demonstráret, illos autem à quibus tanta mala usque ad mortem pertúlerat, quasi de illo superáto & extincto gloriantes, in eâ opinióne derelíquit; ut quisquis eórum salúte æternâ salvus fieri vellet, hoc de illíus mórtui resurrectióne créderet, quod ii qui vidérunt, signis conteståntibus prædicavérunt, & pro eâ prædicatióne simília pérpeti non dubitavérunt.

℟. Undecim discípuli abiérunt in Galilæam in montem, ubi constitúerat illis Jesus: * Et videntes eum adoravérunt. † Allelúia. ℣. Visus est Cephæ, & post hoc úndecim; deinde plusquàm quingentis frátribus simul: * Et videntes. ℣. Glória. † Allelúia. *Matth.* 28. *I. Cor.* 15.

Ad Benedictus. *Ant.* Nondum sciébant Scriptúram, quia oportébat Jesum à mórtuis resúrgere. Allelúia. *Joan.* 20.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

DEus, qui credentes in te, fonte Baptísmatis innovasti: † hanc renátis in Christo concéde custódiam; * ut nullo erróris incursu grátiam tuæ benedictiónis amittant. Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 13. *Cap.* 8.

PAterno affectu ádmonet sancta Synodus, hortátur, rogat, & óbsecrat

per víſcera miſericórdiæ Dei noſtri, ut omnes & ſínguli, qui Chriſtiáno nómine cenſentur, mémores tam exímii amóris Jeſu Chriſti Dómini noſtri, qui dilectam ánimam ſuam in noſtræ ſalútis prétium, & carnem ſuam nobis dedit ad manducandum, hæc ſacra myſtéria córporis & sánguinis ejus eâ fidei conſtántiâ & firmitáte, eâ ánimi devotióne, eâ pietáte & cultu crèdant & venerentur, ut panem illum ſuperſubſtantiálem frequenter ſuſcípere poſſint; & is verè eis ſit ánimæ vita, & perpétua sánitas mentis: cujus vigóre confortáti, ex hujus míſeræ peregrinatiónis itínere ad cœleſtem Angelórum pátriam perveníre váleant, eumdem panem Angelórum, quem modo ſub ſacris velamínibus edunt, abſque ullo velámine manducatúri.

AD VESPERAS.

Antiphonæ.

I. Confortábo domum Juda, & domum Joſeph ſalvábo: ego enim Dóminus Deus eórum, & congregábo illos, quia redémi eos. Allelúia. *Zach.* 10.

II. Ad pópulos exaltábo ſignum meum, & áfferent fílios tuos in ulnis, & fílias tuas ſuper húmeros portábunt. Allelúia. *Iſai.* 49.

III. Miſerátor eórum reget eos, & ad fontes aquárum potábit eos. Allelúia. *Iſai.* 49.

IV. Ambulábunt mecum in albis, quia digni ſunt. Allelúia. *Apoc.* 3.

Lectio. *Iſai.* 60.

Non óccidet ultrà ſol tuus, & luna tua non minuétur, † quia erit tibi Dóminus in lucem ſempiternam, & complebuntur dies luctûs tui; * pópulus autem tuus omnes juſti, in perpétuum hæreditábunt terram.

℟. *br.* Confitémini Dómino, quóniam bonus: * Allelúia, allelúia. ℟. Confitémini. ℣. Quóniam in séculum miſericórdia ejus. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Confitémini: *Pſ.* 106.

Hymnus. *N. T.*

Solútus Ægypti jugo
Merſiſque tutus hóſtibus,
Ubíque terrárum, novus
Exſultat Iſrael Dei.
Fuſo Redemptor sánguine
Piávit orbis crímina;
Sciſsóque ſanctuárium
Patére dat velámine.
Granum ſolo recónditum
Iners manére non poteſt;
Vix mórtuum jam gérminat:
Hinc quanta púllulat ſeges!
Non deſtruuntur fúnere,
Sed ſeminantur córpora:

Fecit

Fecit resurgendi viam
Surgens ab ínferis Deus.

Affixa cum Christo cruci
Christo caro commórtua,
Et ipsa surget spléndidis
Christi decóra dótibus.

Da, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.

Quem suscitátum crédimus,
Jesu, tibi sit glória;
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

℣. Dómine, in lúmine vultûs tui ambulábunt, ℟. Et in nómine tuo exsultábunt totâ die. *Ps.* 88.

Ad Magníficat. *Ant.* Numquid non tu, Dómine, percussísti superbum, vulnerasti dracónem? Et nunc qui redempti sunt à Dómino revertentur laudantes; & lætítia sempiterna super cápita eórum; Allelúia. *Isai.* 51.

Collecta infrà ad Laudes, pag. 368.

DOMINICA

IN ALBIS DEPOSITIS.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Autórem vitæ, quem Deus suscitávit à mórtuis; * Veníte, adorémus. Allelúia. *Act.* 3.

Hymnus, Adeste. *ut in die Paschæ, suprà pag.* 327.

Psalmi Nocturnorum cum unicâ Antiphonâ, & ℣. ut in Psalterio.

IN I. NOCTURNO.

LECTIO I.

Ex Actibus Apostolórum. *Cap.* 5.

PEr manus autem Apostolórum fiébant signa & prodígia multa in plebe. Et erant unanímiter omnes in pórticu Salomónis. Cæterórum autem nemo audébat se conjúngere illis: sed magnificábat eos pópulus. Magis autem augebátur credéntium in Dómino multitúdo virórum, ac mulíerum, ita ut in platéas ejícerent infirmos, & pónerent in léctulis ac grabátis, ut, veniente Petro, saltem umbra illíus obumbráret quemquam illórum, & liberarentur ab infirmitátibus suis.

℟. Neque herba, neque malagma sanávit eos: sed tuus, Dómine, sermo qui sanat ómnia: * Misericórdia enim tua advéniens sanábat illos. Allelúia. ℣. Concurrébat multitúdo vicinárum civitátum afferentes ægros; qui curabantur omnes: * Misericórdia. *Sap.* 16. *Act.* 5.

LECTIO II. *Cap.* 8.

FActa est autem in illâ die persecútio magna in Ecclésiâ, quæ erat Jerosólymis, & omnes dispersi sunt per regiónes Judææ & Samaríæ, præter Apóstolos. Saulus autem devastábat Ecclésiam, per domos intrans, & trahens viros ac mulíeres, tradébat in custódiam. Igitur qui dispersi erant pertransíbant, evangelizantes verbũ Dei. Philippus autem descendens in civitátem Samaríæ, prædicábat illis Christum. Intendébant autem turbæ his quæ à Philippo dicebantur, unanímiter audientes, & videntes signa quæ faciébat. Multi enim eórum, qui habébant spíritus immundos, clamantes voce magnâ exíbant: multi autem paralytici & claudi curáti sunt.

℟. Quàm pulchra tabernácula tua, Jacob, & tentória tua, Israel! * Ut valles nemorósæ, ut horti juxta flúvios irrígui. Allelúia. ℣. Ecclésiæ confirmabantur fide, & abundábant número quotídie, * Ut. *Num.* 24. *Act.* 16.

LECTIO III.

FActum est ergo gáudium magnum in illâ civitáte. Vir autem quidam nómine Simon, qui ante fúerat in civitáte magus, sedúcens gentem Samaríæ, dicens se esse áliquem magnum: cui auscultábant omnes à mínimo usque ad máximum, dicentes: Hic est virtus Dei, quæ vocátur magna. Adtendébant autem eum, propter quòd multo témpore mágiis suis dementasset eos. Cùm verò credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nómine Jesu Christi baptizabantur viri ac mulíeres. Tunc Simon & ipse crédidit: & cùm baptizátus esset, adhærébat Philippo. Videns étiam signa, & virtútes máximas fieri, stupens admirabátur.

℟. Salus ab eis qui audiérunt, in nos confirmáta est, * Contestante Deo signis & portentis, & váriis virtútibus, & Spíritûs sancti distributiónibus. Allelúia. ℣. Crevérunt, & quasi germinantes multiplicáti sunt; ac roboráti nimis, implevérunt terram, *Contestante. *Hebr.* 2. *Exod.* 1.

LECTIO IV.

CUm autem audissent Apóstoli, qui erant Jerosólymis, quòd recepisset Samaría verbum Dei, misérunt ad eos Petrum & Joannem. Qui cùm venissent, oravérunt pro ipsis ut acciperent Spíritum sanctum; nondum enim in quemquam illórum vénerat, sed baptizáti tantùm erant in nómine Dómini

Jesu. Tunc imponébant manus super illos, & accipiébant Spíritum sanctum.

℟. Credentes signáti estis Spíritu promissiónis sancto, qui est pignus hæreditátis nostræ, * In redemptiónem acquisitiónis. † Allelúia. ℣. Unxit nos Deus, qui & signávit nos, & dedit pignus Spíritûs in córdibus nostris. * In. ℣. Glória. † Allelúia. *Ephes.* 1. *II. Cor.* 1.

IN II. NOCTURNO.

Lectio V.

Ex Epístolâ sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris ad Donátum. *Edit. Baluz.*

EGo cùm in ténebris atque in nocte cæcâ jacérem, cùmque in salo jactantis séculi nutabundus ac dúbius vestígiis aberrántibus fluctuárem, vitæ meæ néscius, veritátis ac lucis aliénus, difficile prorsus ac durum pro illis tunc móribus opinábar quod in salútem mihi divína indulgéntia pollicebátur, ut quis renasci dénuò posset, ut quæ in novam vitam lavácro aquæ salutáris animátus quod priùs fúerat expóneret, & córporis licèt manente compáge, hóminem ánimo ac mente mutáret. Quî possíbilis, aiébam, est tanta convérsio, ut repentè ac perníciter exuátur, quod vel genuínum situ matériæ naturális obdúruit, vel usurpátum diu sénio vetustátis inolévit? Altâ hæc & profundâ pénitùs radíce sedérunt. Tenácibus semper illécebris necesse est, ut solébat, vinoléntia invítet, inflet supérbia, iracúndia inflammet, rapácitas inquiétet, crudélitas stímulet, ambítio delectet, libído præcípitet.

℟. Vos genus electum, gens sancta, pópulus acquisitiónis, * Ut virtútes annuntiétis ejus, qui de ténebris vos vocávit in admirábile lumen suum. Allelúia. ℣. Dóminus elégit vos, & redémit de domo servitútis, * Ut. *I. Petr.* 2. *Deut.* 7.

Lectio VI.

HÆc égomet sæpè mecum. Nam ut ipse quàm plúrimis vitæ prióris erróribus implícitus tenébar, qui éxui me posse non créderem, sic vítiis adhæréntibus, obsecundans erã; & desperatióne meliórum malis meis véluti jam própriis ac vernáculis obfavébam. Sed postquam undæ genitális auxílio, superióris ævi labe detersâ, in expiátum pectus serénum ac purum désuper se lumen infúdit; postquam cœlitus Spíritu hausto, in novum me hóminem natívitas secunda reparávit, mirum in modum prótinùs confir-

máre se dúbia, patére clausa, lucére tenebrósa, facultátem dare quod priùs difficile videbátur, geri posse quod impossíbile putabátur, ut esset agnóscere terrénum fuisse quod priùs carnáliter natum delictis obnóxium víveret, Dei esse cœpisse quod jam Spíritus sanctus animáret.

℟. Consepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem : * Ut quómodo Christus surrexit à mórtuis per glóriam Patris, ita & nos in novitáte vitæ ambulémus. Allelúia. ℣. Quicumque baptizáti sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizáti sumus : * Ut quómodo. *Rom. 6.*

LECTIO VII.

SCis ipse, nec prædico. In próprias laudes odiósa jactátio est. Quamvis non jactátum possit esse, sed gratum, quidquid non virtúti hóminis adscríbitur, sed de Dei múnere prædicátur; ut jam non peccáre esse cœperit fidei, quod ante peccátum est fúerit erróris humáni. Dei est, inquam, Dei est omne quod póssumus. Inde vívimus, inde pollémus, inde sumpto & concepto vigóre hìc adhuc pósiti futurórum indícia prænóscimus. Sit tantùm timor innocéntiæ custos, ut qui in mentes nostras indulgéntiæ cœlestis allapsu clementer Dóminus influxit; in ánimi oblectantis hospítio justâ obtemperatióne teneátur, nec accepta secúritas indiligéntiam páriat, & vetus dénuò hostis obrépat.

℟. Deus, qui dives est in misericórdiâ, propter nimiam caritátem suam, quâ dilexit nos, * Et cum essémus mórtui peccátis, convivificávit nos, & conresuscitávit in Christo Jesu. Allelúia. ℣. Ipse prior dilexit nos. * Et cùm. *Ephes. 2. I. Joan. 4.*

LECTIO VIII.

CÆterùm, si tu innocéntiæ, si justítiæ viam téneas, si illapsâ infirmitáte vestígii tui incédas, si in Deum víribus totis ac toto corde suspensus hoc sis tantùm quod esse cœpisti, tantùm tibi ad licéntiam datur, quantùm grátiæ spiritális augétur; non enim qui beneficiórum terréstrium mos est, in capessendo múnere cœlesti mensúra ulla vel modus est. Prófluens lárgiter spíritus nullis finibus prémitur, nec coercéntibus claustris intra certa metárum spátia frænátur. Manat júgiter, exúberat affluenter. Nostrum tantùm sítiat pectus & páteat. Quantùm illuc fídei capácis afférimus, tantùm grátiæ inundantis haurímus.

℞. Christus resurgens ex mórtuis, jam non móritur; mors illi ultrà non dominábitur: * Quòd enim mórtuus est peccáto, mórtuus est semel; quòd autem vivit, vivit Deo. †Allelúia. ℣. Vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruátur corpus peccáti, & ultrà non serviámus peccáto: * Quòd. ℣. Glória. † Allelúia. *Rom. 6.*

IN III. NOCTURNO.

Cantica, Ant. & ℣. ut in die Pascha, pag. 332.

LECTIO IX.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Colossenses. *Cap. 3 & 4.*

MUlíeres súbditæ estóte viris, sicut oportet, in Dómino. Viri dilígite uxóres vestras, & nolíte amári esse ad illas. Filii obedíte paréntibus per ómnia: hoc enim plácitum est in Dómino. Patres, nolíte ad indignatiónem provocáre filios vestros, ut non pusillo ánimo fiant. Servi obedíte per ómnia dóminis carnálibus, non ad óculum serviéntes, quasi homínibus placentes, sed in simplicitáte cordis, timentes Deum. Quodcumque fácitis, ex ánimo operámini, sicut Dómino, & non homínibus: sciéntes quòd à Dómino accipiétis retributiónem hæreditátis. Dómino Christo servíte. Qui enim injúriam facit, recípiet id quod iníquè gessit: & non est personárum accéptio apud Deum. Dómini, quod justum est & æquum, servis præstáte: sciéntes quòd & vos Dóminum habétis in cœlo.

℞. Deponentes omnem malítiam, sicut modò géniti infantes, rationábile, sine dolo lac concupíscite; * Ut in eo crescátis in salútem. Allelúia. ℣. Gustáte, & vidéte quóniam suávis est Dóminus. * Ut. *I. Petr. 2. Ps. 33.*

LECTIO X. *Cap. 4.*

ORatióni instáte, vigilantes in eâ, in gratiárum actióne: orantes simul & pro nobis, ut Deus apériat nobis óstium sermónis ad loquendum mystérium Christi (propter quod étiam vinctus sum) ut manifestem illud ita ut oportet me loqui. In sapiéntiâ ambuláte ad eos qui foris sunt, tempus redimentes. Sermo vester semper in grátiâ sale sit condítus, ut sciátis quómodo opórteat vos unicuíque respondére.

℞. Ipse est caput córporis Ecclésiæ qui est princípium, primogénitus ex mórtuis, * In quo & resurrexistis per fidem operatiónis Dei, qui suscitávit illum à mórtuis. Allelúia. ℣. In ipso inhábitat omnis plenitúdo divinitátis corpo-

rálitet, & estis in illo repléti, consepulti ei in baptísmo. * In quo. *Coloss.* 1 & 2.

LECTIO XI.

QUæ circa me sunt, ómnia vobis nota fáciet Tychicus caríssimus frater, & fidélis minister, & conservus in Dómino: quem misi ad vos ad hoc ipsum, ut cognoscat quæ circa vos sunt, & consolétur corda vestra, cum Onésimo caríssimo, & fidéli fratre, qui ex vobis est. Omnia, quæ hìc aguntur, nota fácient vobis. Salútat vos Aristarchus concaptívus meus, & Marcus consobrínus Bárnabæ, de quo accepistis mandáta: si vénerit ad vos, excípite illum: & Jesus, qui dícitur justus: qui sunt ex circumcisióne: hi soli sunt adjutóres mei in regno Dei: qui mihi fuérunt solátio.

℟. Conversi estis ad Deum, servíre Deo vivo & vero, & exspectáre Fílium ejus de cœlis, quem suscitávit ex mórtuis, * Qui erípuit nos ab irâ ventúrâ. Allelúia. ℣. Et nunc, filíoli, manéte in eo, ut cùm apparúerit, habeámus fidúciam, & non confundámur in adventu ejus. * Qui. *I. Thess.* 1. *I. Joan.* 2.

LECTIO XII.

SAlútat vos Epaphras, qui ex vobis est, servus Christi Jesu, semper sollícitus pro vobis in oratiónibus, ut stetis perfecti, & pleni in omni voluntáte Dei. Testimónium enim illi perhíbeo, quòd habet multum labórem pro vobis, & pro iis qui sunt Laodíciæ, & qui Hierápoli. Salútat vos Lucas médicus caríssimus, & Demas. Salutáte fratres, qui sunt Laodíciæ & Nympham, & quæ in domo ejus est, Ecclésiam. Et cùm lecta fúerit apud vos Epístola hæc, fácite ut & in Laodicénsium Ecclésiâ legátur: & eam, quæ Laodicénsium est, vos legátis. Et dícite Archippo: Vide ministérium quod accepisti in Dómino, ut illud ímpleas. Salutátio, meâ manu Pauli. Mémores estóte vinculórum meórum. Grátia vobiscum. Amen.

℟. Mórtui estis, & vita vestra est abscóndita cum Christo in Deo; * Cùm Christus apparúerit vita vestra, tunc & vos apparébitis cum ipso in glóriâ. † Allelúia. ℣. Existimáte vos mórtuos quidem esse peccáto, viventes autem Deo, in Christo Jesu Dómino nostro. * Cùm. ℣. Glória. † Allelúia. *Coloss.* 3. *Rom.* 6.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joannem.

Cap. 20.

CUm sero esset die illo, unâ sabbatórum, & fores essent clausæ, ubi

erant discípuli congregáti propter metum Judæórum; venit Jesus, & stetit in médio, & dixit eis: Pax vobis. Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus, & latus. Gavísi sunt ergo discípuli, viso Dómino. Dixit ergo eis íterum: Pax vobis. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cùm dixisset, insufflávit, & dixit eis: Accípite Spíritum sanctum; quorum remiséritis peccáta, remittuntur eis; & quorum retinuéritis, retenta sunt. Thomas autem unus ex duódecim, qui dícitur Didymus, non erat cum eis quando venit Jesus. Dixérunt ergo ei álii discípuli: Vídimus Dóminum. Ille autem dixit eis: Nisi vídero in mánibus ejus fixúram clavórum, & mittam dígitum meum in locum clavórum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam. Et post dies octo, íterum erant discípuli ejus intus, & Thomas cum eis. Venit Jesus jánuis clausis, & stetit in médio, & dixit: Pax vobis. Deinde dicit Thomæ: Infer dígitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli esse incrédulus, sed fidélis. Respondit Thomas, & dixit ei: Dóminus meus, & Deus meus. Dixit ei Jesus: Quia vidisti me, Thoma, credidisti: beáti qui non vidérunt, & credidérunt. Multa quidem & ália signa fecit Jesus in conspectu discipulórum suórum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, ut credátis, quia Jesus est Christus Fílius Dei, & ut credentes, vitam habeátis in nómine ejus.

AD LAUDES.

Antiphonæ.

I. Cum mórtui essétis in delictis, convivificávit vos cum Christo Deus, donans vobis ómnia delicta. Allelúia. *Coloss.* 2.

II. Mortificáti estis legi per corpus Christi, ut sitis altérius, qui ex mórtuis resurrexit, ut fructificémus Deo. Allelúia. *Rom.* 7.

III. Vos nunc salvos facit baptisma, per resurrectiónem Jesu Christi, qui est in déxterâ Dei, deglútiens mortem. Allelúia. *I. Petr.* 3.

IV. Ablúti estis, sanctificáti estis, justificáti estis, in nómine Dómini nostri Jesu Christi, & in Spíritu Dei nostri. Allelúia. *I. Cor.* 6.

V. Quicumque in Christo baptizáti estis, Christum induistis, Allelúia. *Gal.* 3.

Lectio. *Apoc.* 1.

Grátia vobis, & pax à Jesu Christo, qui est testis fidélis, Primogénitus

mortuórum, & Princeps regum terræ: qui diléxit nos, & lavit nos à peccátis nostris in sánguine suo.

℞. *br.* Vivit Dóminus, & benedíctus Deus meus: * Allelúia, allelúia. ℞. Vivit. ℣. Et exaltétur Deus salútis meæ. * Allelúia, allelúia. ℣. Glória. ℞. Vivit. *Ps.* 17.

Hymnus, Auróra lucis. *ut in die Paschæ, suprà, pag.* 336.

℣. Audítam fácite vocem laudis ejus, ℞. Qui pósuit ánimam meam ad vitam. *Ps.* 65.

Ad Benedíctus. *Ant.* Stetit Jesus in médio discipulórum suórum, & dixit eis: Pax vobis. Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus, & latus. Gavísi sunt ergo discípuli, viso Dómino. Allelúia. *Joan.* 20.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, † ut qui Paschália festa perégimus,* hæc, te largiente, móribus & vitâ teneámus; Per Dóminum.

AD HORAS, *Antiphonæ Laudum.*

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Concílio Coloniensi. *An.* 1536. *Part.* 7. *Can.* 3.

DOcendus est pópulus quòd in sacro Baptismo aboleátur vetus homo, remisso omni peccáto, atque novus exoriátur, ab omni labe purgátus per fidem in Christum: quòd illic qui baptizátur, lavétur lavacro regeneratiónis & renovatiónis Spíritûs sancti in Sánguine Christi pro nobis effúso: quòd illic véterem Adam exúimus, consepulti cum illo per Baptismum in mortem, ut quómodo Christus surrexit à mórtuis per glóriam Patris, ita & nos in novitáte vitæ ambulémus.

AD TERTIAM.

LECTIO. *I. Petr.* 1.

NOn corruptibílibus auro vel argento redempti estis de vanâ vestrâ conversatióne paternæ traditiónis; † sed pretióso sánguine quasi Agni immaculáti Christi, & incontamináti: * præcógniti quidē ante mundi constitutiónem, manifestáti autem novíssimis tempóribus propter vos.

℣. Notam fecisti in pópulis virtútē tuam; ℞. Redemisti in bráchio tuo pópulum tuum. *Ps.* 76.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Coloss.* 2.

IN Christo circumcísi estis, circumcisióne non manufactâ in exspoliatióne córporis carnis: † sed in circumcisióne Christi, consepulti ei in baptismo, in quo & resurrexistis per fi-

dem operatiónis Dei, * qui suscitávit illum à mórtuis.

℣. Dómine, eduxisti ab inferno ánimam meam; ℟. Salvasti me à descendéntibus in lacum. *Ps.* 29.

AD NONAM.

LECTIO. *Tit.* 3.

NOn ex opéribus justítiæ quæ fécimus nos, sed secundùm suam misericórdiam salvos nos fecit Deus per lavácrum regeneratiónis & renovatiónis Spíritûs sancti, † quem effúdit in nos abundè per Jesum Christum Salvatórem nostrum: * ut justificáti grátiâ, ipsíus hærédes simus secundùm spem vitæ ætérnæ.

℣. Redémit nos Dóminus ab inimícis nostris, ℟. Quóniam in ætérnum misericórdia ejus. *Ps.* 135.

AD VESPERAS.

Antiphonæ ut in Psalterio.

LECTIO. *I. Petr.* 1.

BEnedíctus Deus & Pater Dómini nostri Jesu Christi, † qui secundùm misericórdiam suam magnam regenerávit nos in spem vivam per resurrectiónem Jesu Christi ex mórtuis, * in hæreditátem incorruptíbilem & incontaminátam, & immarcescíbilem, conservátam in cœlis in vobis.

℟. *br.* Deus Rex noster ante sécula, * Allelúia, allelúia. ℟. Deus. ℣. Operátus est salútem in médio terræ. * Allelúia, allelúia. ℣. Glória. ℟. Deus. *Ps.* 73.

Hymnus, Forti tegente bráchio. *ut in die Paschæ*, *pag.* 338.

℣. Beáta gens, cujus est Dóminus Deus ejus; ℟. Pópulus quem elégit in hæreditátem sibi. *Ps.* 32.

Ad Magníficat. *Ant.* Multa fecit Jesus quæ non sunt scripta: hæc autem scripta sunt, ut credátis quia Jesus est Christus Fílius Dei, & ut credentes, vitam habeátis in nómine ejus. Allelúia. *Joan.* 20.

IN FERIIS

Temporis Paschalis, usque ad Ascensionem Domini.

AD OFFICIUM NOCT.

In Psalm. Veníte. *Ant.* Christum Jesum qui resurrexit propter justificatiónē nostram; * Veníte, adorémus. Allelúia. *Rom.* 4.

Hymnus, Adeste. *ut in die Paschæ*, *pag.* 327.

IN I. NOCTURNO.

Psalmi sub unicâ Ant. ut in Psalterio. Lectiones ut infrà in quâlibet Feriâ.

IN II. NOCTURNO.

Psalmi cum Allelúia. *&c. ut in Psalterio.*

LECTIO. *Ephes.* 2.

DEus, qui dives est in misericórdiâ, propter nímiam caritátem suam, quâ diléxit nos, & cùm essémus mórtui peccátis, convivificávit nos in Christo, cujus grátiâ estis salváti.

℣. Convertísti planctum meum in gáudium mihi: ℟. Conscidísti saccum meũ, & circumdedísti me lætítiâ. *Ps.* 29.

Collecta singulis diebus propria.

AD LAUDES.

Psalmi cum unicâ Antiphonâ, ut in Psalterio.

LECTIO. *Ephes.* 5.

ERátis aliquando ténebræ, nunc autem lux in Dómino. Ut filii lucis ambuláte: fructus enim lucis est in omni bonitáte, & justítiâ & veritáte: probantes quid sit beneplácitum Deo.

℟. *br.* Vivit Dóminus, & benedictus Deus meus. * Allelúia, allelúia. ℟. Vivit. ℣. Et exaltétur Deus salútis meæ. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Vivit. *Ps.* 17.

Hymnus, Auróra. *ut in die Pascha, pag.* 336.

℣. Déxtera Dómini fecit virtútem: ℣. Déxtera Dómini exaltávit me. *Ps.* 117.

Ant. Ad Benedictus, & *Collecta singulis diebus propria.*

AD HORAS, *Psalmi cum* Allelúia. *&c.*

AD TERTIAM.

LECTIO. *I. Cor.* 15.

CHristus resurrexit à mórtuis primítiæ dormiéntium: † Quóniam quidem per hóminem mors, & per hóminem resurréctio mortuórum. * Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.

℣. Deus, super omnem terram glória tua, ℟. Ut liberentur dilecti tui. *Ps.* 107.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Rom.* 6.

SI mórtui sumus cum Christo; crédimus quia simul étiam vivémus cum Christo: † sciéntes quòd Christus resurgens ex mórtuis jam non móritur, * mors illi ultrà non dominábitur.

℣. Non móriar, sed vivam; ℟. Et narrábo ópera Dómini. *Ps.* 117.

AD NONAM.

LECTIO. *I. Petr.* 3.

CHristus semel pro peccátis nostris mórtuus est, justus pro injustis; † ut nos offerret Deo, * mortificátus quidem carne, vivificátus autem spíritu.

℣. In Deo sperávit cor meum, & adjútus sum: ℟. Et reflóruit caro mea. *Ps.* 27.

AD VESPERAS.

Psalmi sub unicâ Antiphonâ, ut in Psalterio.

LECTIO. *I. Cor.* 15.

CUm mortále hoc indúerit immortalitátē, † tunc fiet sermo qui scriptus est: * Absórpta est mors in victóriâ. Ubi est, mors, victória tua: ubi est, mors, stímulus tuus?

℟. *br.* Deus Rex noster ante sécula. * Allelúia, allelúia. ℟. Deus. ℣. Operátus est salútem in médio terræ: * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Deus. *Ps.* 73.

Hymnus, Forti tegente: *ut in die Pascha, pag.* 338.

℣. Reddam laudatiónes tibi, Deus; ℟. Quóniam eripuísti ánimam meam de morte. *Ps.* 55.

Ant. *Ad* Magníficat, *& Collecta singulis diebus propria.*

FERIA SECUNDA INFRA DOMINICAM I. POST PASCHA.

LECTIO I.

Ex Áctibus Apostolórum. *Cap.* 8.

CUm vidísset Simon, quia per impositiónem manûs Apostolórum darétur Spíritus sanctus, óbtulit eis pecúniam, dicens: Date & mihi hanc potestátem, ut cuicumque imposúero manus, accípiat Spíritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum: Pecúnia tua tecum sit in perditiónem: quóniam donum Dei existimásti pecúniâ possidéri. Non est tibi pars, neque sors in sermóne isto. Cor enim tuum non est rectum coram Deo. Pœniténtiam itaque age ab hâc nequítiâ tuâ: & roga Deum, si fortè remittátur tibi hæc cogitátio cordis tui. In felle enim amaritúdinis, & obligatióne iniquitátis vídeo te esse. ¶ Angelus autem Dómini locútus est ad Philippum, dicens: Surge, & vade contra meridiánum, ad viam quæ descéndit ab Jerúsalem in Gazam: hæc est desérta. Et surgens ábiit. Et ecce vir Æthiops, eunúchus potens Candácis regínæ Æthíopum, qui erat super omnes gazas ejus, vénerat adoráre in Jerúsalem: & revertebátur sedens super currum suum; legensque Isaíam Prophétam.

LECTIO II.

DIxit autem Spíritus Philippo: Accéde, & adjunge te ad currum istum. Accurrens autem Philippus, audívit eum legen-

tem Isáiam Prophétam, & dixit: Putásne intélligis quæ legis? Qui ait: Et quómodo possum, si non áliquis osténderit mihi? Rogavitque Philippum ut ascénderet, & sedéret secum. Locus autem Scriptúræ, quem legébat, erat hic: Tamquàm ovis ad occisiónem ductus est: & sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non apéruit os suum. ¶ Respondens autem Eunúchus Philippo, dixit: Obsecro te, de quo Prophéta dicit hoc? de se, an de álio áliquo? Apériens autem Philippus os suum, & incípiens à Scriptúrâ istâ, evangelizávit illi Jesum. Et dum irent per viam, venérunt ad quamdam aquam: & ait Eunúchus: Ecce aqua, quid próhibet me baptizári? Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait: Credo, Fílium Dei esse Jesum Christum. Et jussit stare currum, & descendérunt uterque in aquam, Philippus, & Eunúchus, & baptizávit eum.

℟. I. Infírmos curáte, mórtuos suscitáte, leprósos mundáte, dæmones ejícite: * Gratis accepístis, gratis date. Allelúia. ℣. Non corruptibílibus auro, vel argento redempti estis de vanâ vestrâ conversatióne. * Gratis accepístis. *Matth.* 10. *I. Petr.* 1.

℟. II. Reddam pópulis lábium electum, ut invocent omnes in nómine Dómini. * Ultra flúmina Æthiópiæ, inde súpplices mei: Fílii dispersórum meórum déferent munus mihi. Allelúia. ℣. Ecce ego, ecce ego ad gentem quæ non invocábat nomen meum. * Ultra. *Soph.* 3. *Is.* 65.

℟. III. De angústiâ & de judício sublátus est: * Generatiónem ejus quis enarrábit? Allelúia. ℣. Petiérunt à Piláto ut interfícerent eum; Deus verò suscitávit eum à mórtuis tértiâ die. * Generatiónem. *Isai.* 53. *Act.* 13.

℟. IV. Per Christum vobis remíssio peccatórum annuntiátur, & ab ómnibus, quibus non potuístis in lege Móysi justificári; * In hoc omnis qui credit justificátur. † Allelúia. ℣. Huic omnes Prophétæ testimónium pérhibent, remissiónem peccatórum accípere per nomen ejus omnes qui credunt in eum. * In hoc. ℣. Glória. † Allelúia. *Act.* 13. & 10.

LECTIO III.

Ex Apológiâ primâ sancti Justíni Mártyris. *Edit. Bened. An.* 150. *n.* 61.

QUicumque persuásum habúerint & credíderint vera esse, quæ à no-

bis docentur & dicuntur, seque ita vívere posse promíserint, ii precári, & jejunantes priórum peccatórum véniam à Deo pétere docentur, nobis unà precántibus & jejunántibus. Deinde eò ducuntur à nobis, ubi aquâ est, & eódem regeneratiónis modo regenerantur, quo & ipsi sumus regeneráti. Nam in nómine Parentis universórum ac Dómini Dei, ac Salvatóris nostri Jesu Christi, & Spíritûs sancti, lavácrum in aquâ tunc suscípiunt. Dixit enim Christus: Nisi regeneráti fuéritis, non intrábitis in regnum cœlórum. Hanc autem hujus rei ratiónem ab Apóstolis accépimus. Quando quidem primam nostram generatiónem ignorantes, necessitáte quâdam géniti sumus, atque in pravis móribus & nefáriis institútis educáti: ut necessitátis & ignoratiónis filii non maneámus, sed electiónis & sciéntiæ, & remissiónem peccatórum, quæ priùs commísimus, consequámur in aquâ; super eo qui regenerári volúerit, & peccatórum pœniténtiam égerit, Parentis ómnium & Dómini Dei nomen pronuntiátur. Vocátur autem lavácrum illud Illuminátio, eo quòd mente illuminentur qui hæc discunt. Sed & in nómine Jesu Christi sub Póntio Piláto crucifixi, & in nómine Spíritûs sancti, qui per Prophétas ómnia ad Jesum spectántia prænuntiávit, is qui illuminátur, ablúitur.

℟. Euntes in mundum universum, prædicáte Evangéliũ omni creatúræ. * Qui credíderit, & baptizátus fúerit, salvus erit. † Allelúia. ℣. Nisi quis renátus fúerit ex aquâ & Spíritu sancto, non potest introíre in regnum Dei. * Qui. ℣. Glória. † Allelúia. *Marc.* 16. *Joan.* 3.

Ad Benedictus. *Ant.* Etsi Christus crucifixus est ex infirmitáte, sed vivit ex virtúte Dei. Allelúia. *II. Cor.* 13.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

Deus, qui ad ætérnam vitam in Christi resurrectióne nos réparas; † imple pietátis tuæ ineffábile sacramentum; * ut, quos fecisti baptismo regenerári, fácias beátâ immortalitáte vestíri; Per eumdem Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Milevitáno secundo. *An.* 416. *in Cod. Can. Eccles. Affric. Cap.* 110.

Quicumque párvulos recentes ab úteris matrũ baptizandos negat; aut dicit in remissiónem quidem peccatórum eos baptizári;

sed nihil ex Adam tráhere originális peccáti, quod lavácro regenerationis expiétur; unde sit cónsequens, ut in eis forma baptísmatis in remissiónem peccatórũ non vera, sed falsa intelligátur; anáthema sit.

Ad Magníficat. *Ant.* Thomas non erat cum eis quando venit Jesus. Dixérunt ergo ei álii discípuli: Vídimus Dóminum. Allelúia. *Joan.* 20.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

Ex Actibus Apostolórum. *Cap.* 9.

SAulus autem adhuc spirans minárum, & cædis in discípulos Dómini, accessit ad Príncipem sacerdótum, & pétiit ab eo epístolas in Damascum ad synagógas: ut si quos invenisset hujus viæ viros ac mulíeres, vinctos perdúceret in Jerúsalem. Et cùm iter fáceret, cóntigit ut appropinquáret Damasco: & súbitò circumfulsit eum lux de cœlo. Et cadens in terram, audívit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me perséqueris? Qui dixit: Quis es, Dómine? Et ille: Ego sum Jesus, quem tu perséqueris. Durum est tibi contra stímulum calcitráre. Et tremens, ac stupens dixit: Dómine, quid me vis fácere? Et Dóminus ad eum: Surge, & ingrédere civitátem, & ibi dicétur tibi quid te opórteat fácere. ℣ Viri autem illi, qui comitabantur, stabant stupefacti, audientes quidem vocem, néminem autem videntes. Surrexit autem Saulus de terrâ, apertísque óculis nihil vidébat. Ad manus autem illum trahentes, introduxérunt Damascum. Et erat ibi tribus diébus non videns, & non manducávit, neque bibit.

LECTIO II.

ERat autem quidam discípulus Damasci, nómine Ananías: & dixit ad illum in visu Dóminus: Ananía. At ille ait: Ecce ego, Dómine. Et Dóminus ad eum: Surge, & vade in vicum, qui vocátur Rectus: & quære in domo Judæ Saulum nómine Tarsensem: ecce enim orat. (Et vidit virum Ananíam nómine, introeuntem, & imponentem sibi manus ut visum recípiat.) ℣ Respondit autem Ananías: Dómine, audívi à multis de viro hoc, quanta mala fécerit sanctis tuis in Jerúsalem: & hic habet potestátem à princípibus sacerdótum alligandi omnes qui ínvocant nomen tuum. Dixit autem ad eum Dóminus:

Vade, quóniam vas electiónis est mihi iste, ut portet nomen meum coram Géntibus, & régibus & filiis Israel. Ego enim ostendam illi, quanta opórteat eum pro nómine meo pati.

℟. I. De cœlo circumfulsit me lux copiósa; * Et décidens in terram, audívi vocem dicentem mihi: Saule, Saule, quid me persequeris? Allelúia. ℣. Intónuit de cœlo Dóminus, & Altíssimus dedit vocem suam; * Et décidens. *Act.* 22. *Ps.* 17.

℟. II. Ego respondi: Quis es, Dómine? Dixitque ad me: Ego sum Jesus Nazarénus, quem tu perséqueris. Et dixi: * Quid fáciam, Dómine? Allelúia. ℣. Tu terríbilis es, & quis resistet tibi? De cœlo audítum fecisti judícium: * Quid. *Act.* 22. *Ps.* 75.

℟. III. Grátiâ Dei sum id quod sum, * Et grátia ejus in me vácua non fuit. Allelúia. ℣. Priùs blasphémus fui, & persecútor, & contumeliósus: sed misericórdiam Dei consecútus sum: * Et grátia. *I. Cor.* 15. *I. Tim.* 1.

℟. IV. Exsurge, & sta super pedes tuos; * Ad hoc enim appárui tibi, ut constituam te ministrum, & testem eórum quæ vidisti, & eórum quibus apparébo tibi. † Allelúia. ℣. Ecce constítui te hódie super Gentes; lóquere ad eos ómnia quæ ego præcípio tibi; * Ad hoc. ℣. Glória. † Allelúia. *Act.* 26. *Jerem.* 1.

LECTIO III.

Ex Epístolâ sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris ad Jubaiánum. *Ep.* 73. *Edit. Baluz.*

Illi qui in Samaríâ credíderant, fide verâ credíderant, & intus in Ecclésiâ, quæ una est, & cui soli grátiam baptísmi dare & peccáta sólvere permissum est, à Philippo Diácono, quem iidem Apóstoli míserant, baptizáti erant. Et idcircò quia legítimum & ecclesiásticum baptísmum consecúti fúerant, baptizári eos ultra non oportébat, sed tantúmmodò quod déerat, id à Petro & Joanne factum est, ut oratióne pro eis hábitâ, & manu impósitâ, invocarétur & infunderétur super eos Spíritus sanctus. Quod nunc quoque apud nos géritur, ut qui in Ecclésiâ baptizantur, Præpósitis Ecclésiæ offerantur, & per nostram oratiónem ac manûs impositiónem Spíritum sanctum consequantur, & signáculo domínico consummentur.

℟. Vos unctiónem habétis à Sancto. * Et vos unctiónem quam accepistis ab eo, máneat in vobis.

† Allelúia. ℣. Unxit nos Deus, qui & signávit nos, & dedit pignus Spíritûs in córdibus nostris. * Et vos. ℣. Glória. † Allelúia. *I. Joan. 2. II. Cor. 1.*

Ad Benedictus. *Ant.* Consepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem, ut quómodo Christus surrexit à mórtuis per glóriam Patris, ita & nos in novitáte vitæ ambulémus. Allelúia. *Rom. 6.*

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

DEus innocéntiæ restitútor & amátor, dírige ad te tuórum corda famulórum, † ut quos de infidelitátis ténebris liberasti, * nunquam à tuæ veritátis luce discédant; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess. 7. Can. 5.*

SI quis díxerit Baptismum líberum esse, hoc est, non necessárium ad salútem; anáthema sit.

Ad Magníficat. *Ant.* Post dies octo íterum venit Jesus, & stetit in médio, & dixit eis: Pax vobis. Allelúia. *Joan. 20.*

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

Ex Actibus Apostolórum. *Cap. 9.*

ABiit Ananías, & introívit in domum: & impónens ei manus, dixit: Saule frater, Dóminus misit me Jesus, qui appáruit tibi in viâ quâ veniébas, ut vídeas, & impleáris Spíritu sancto. Et conféstim cecidérunt ab óculis ejus tamquàm squamæ, & visum recépit: & surgens baptizátus est. Et cùm accepisset cibum confortátus est. Fuit autem cum discípulis, qui erant Damasci, per dies áliquot. ¶ Et continuò in synagógis prædicábat Jesum, quóniam hic est Fílius Dei. Stupébant autem omnes qui audiébant, & dicébant: Nonne hic est, qui expugnábat in Jerúsalem eos, qui invocábant nomen istud: & huc ad hoc venit, ut vinctos illos dúceret ad príncipes sacerdótum? Saulus autem multò magìs convalescébat, & confundébat Judæos, qui habitábant Damasci, affirmans quóniam hic est Christus.

LECTIO II.

CUm autem impleréntur dies multi, consílium fecérunt in unum Judæi, ut eum interfícerent. Notæ autem factæ sunt Saulo insídiæ eórum. Custodiébant autem & portas die ac nocte, ut eum interfícerent. Accipientes autem eum discípuli nocte, per murum dimisérunt eum, submittentes in sportá. ¶ Cùm autem venisset

In Jerúsalem, tentábat se júngere discípulis, & omnes timébant eum, non credentes quòd esset discípulus. Bárnabas autem apprehensum illum duxit ad Apóstolos: & narrávit illis quómodo in viâ vidisset Dóminum, & quia locútus est ei, & quómodo in Damasco fiduciáliter égerit in nómine Jesu. Et erat cum illis intrans & éxiens in Jerúsalem, & fiduciáliter agens in nómine Dómini. Loquebátur quoque Géntibus, & disputábat cum Græcis: illi autem quærébant occídere eum. Quod cùm cognovissent fratres, deduxérunt eum Cæsaréam, & dimisérunt Tarsum.

℟. I. Deus præordinávit te ut cognósceres voluntátem ejus, & vidéres Justum, & audíres vocem de ore ejus; * Quia eris testis illíus ad omnes hómines. Allelúia. ℣. Et nunc quid moráris? Exsurge, & baptizáre, & áblue peccáta tua, invocáto nómine ipsíus, * Quia. *Act.* 22.

℟. II. Non fui incrédulus visióni, * Sed in omnem regiónem Judææ, & Géntibus annuntiábam ut converterentur ad Deum, digna pœniténtiæ ópera facientes. Allelúia. ℣. Dóminus apéruit mihi aurem; ego autem retrorsum non ábii; * Sed. *Act.* 26. *Isai.* 50.

℟. III. Vas electiónis est mihi iste, * Ut portet nomen meum coram Géntibus, & régibus, & filiis Israel. Allelúia. ℣. In glóriam meam creávi eum, formávi eum, & feci eum. * Ut portet. *Act.* 9. *Is.* 43.

℟. IV. Qui persequebátur nos, * Nunc evangelízat fidem, quam aliquando expugnábat. † Allelúia. ℣. Nonne hic est, qui expugnábat in Jerúsalem eos qui invocábant nomen istud. * Nunc. ℣. Glória. † Allelúia. *Galat.* 1. *Act.* 9.

LECTIO III.

Ex Libro quinto sancti Optáti Milevitáni Epíscopi de Schísmate Donatistárum. *Edit. Dupin. Sec. IV. Cap.* 4.

In sacramento Baptísmatis celebrando, tres esse spécies constat, quas & vos nec augére, nec minúere, nec prætermíttere potéritis. Prima spécies est in Trinitáte, secunda in credente, tértia in operante. Sed non pari librámine ponderandæ sunt síngulæ. Duas enim vídeo necessárias, & unam quasi necessáriam: principálem locum póssidet Trínitas, sine quâ res ipsa geri non potest: hanc séquitur fides credentis: jam persóna

operantis vicína est, quæ símili autoritáte esse non potest. Duæ prióres pérmanent semper immutábiles & immótæ : Trínitas enim semper ipsa est; fides in síngulis una est : vim suam semper rétinent ambæ. Persóna verò operantis, intellígitur duábus prióribus speciébus par esse non posse, eo quòd sola esse videátur mutábilis. Operárii mutári possunt, sacramenta mutári non possunt. Cùm ergo videátis, omnes qui baptízant, operários esse, non dóminos, & sacramenta per se esse sancta, non per hómines, quid est quod vobis tantùm vindicátis ? Quid est, quòd Deum à munéribus suis exclúdere conténditis ? Concédite Deo præstáre quæ sua sunt. Non enim potest id munus ab hómine dari, quod divínum est.

℞. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terrâ. * Euntes ergo docéte omnes gentes, baptizantes eos in nómine Patris, & Fílii, & Spíritus sancti : docentes serváre ómnia quæcumque mandávi vobis. † Allelúia. ℣. Ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus usque ad consummatiónem sǽculi. * Euntes. ℣. Glória. † Allelúia. *Matth.* 28.

Ad Benedictus. *Ant.* Cùm resurrexisset Jesus à mórtuis, recordáti sunt discípuli ejus, quia hoc dicébat de templo córporis sui : Sólvite templum hoc, & in tribus diébus excitábo illud. Allelúia. *Joan.* 2.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

DEus, qui humáni géneris es & reparátor & rector; † da, quæsumus, Ecclésiam tuam & novâ prole semper augéri, * & devotióne cunctórum créscere filiórum; Per Dóminum.

C A N O N.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 7. *Can.* 7.

SI quis díxerit, baptizátos per Baptísmum ipsum solíus tantùm fídei debitóres fieri, non autem universæ legis Christi servandæ; anáthema sit.

Ad Magníficat. *Ant.* Vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incrédulus, sed fidélis. Allelúia. *Joan.* 20.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

Ex Actibus Apostolórum. *Cap.* 9.

ECclésia quidem per totam Judæam, & Galilæam, & Samaríam, habébat pacem, & ædificabátur ambulans in timóre

Dómini, & consolatióne sancti Spiritûs replebátur. Factum est autem, ut Petrus dum pertransíret univérsos, deveníret ad sanctos, qui habitábant Lyddæ. ¶ Invénit autem ibi hóminem quemdam nómine Ænéam, ab annis octo jacentem in grabáto, qui erat paralyticus. Et ait illi Petrus: Ænéa, sanat te Dóminus Jesus Christus: surge & sterne tibi. Et contínuò surrexit. Et vidérunt eum omnes, qui habitábant Lyddæ & Sarónæ: qui conversi sunt ad Dóminum.

LECTIO II.

IN Joppe autem fuit quædam discípula, nómine Tábitha, quæ interpretáta dícitur Dorcas. Hæc erat plena opéribus bonis, & eleemósynis quas faciébat. Factum est autem in diébus illis, ut infirmáta morerétur. Quam cùm lavissent, posuérunt eam in cœnáculo. Cùm autem propè esset Lydda ad Joppen, discípuli audientes quia Petrus esset in eâ, misérunt duos viros ad eum, rogantes: Ne pigritéris veníre usque ad nos. ¶ Exsurgens autem Petrus venit cum illis. Et cùm advenisset, duxérunt illum in cœnáculum: & circumstetérunt illum omnes víduæ flentes, & ostendentes ei túnicas & vestes quas faciébat illis Dorcas. Ejectis autem ómnibus foràs, Petrus ponens génua orávit; & conversus ad corpus dixit: Tábitha, surge. At illa apéruit óculos suos: & viso Petro resédit. Dans autem illi manum, erexit eam. Et cùm vocasset sanctos, & víduas, assignávit eam vivam. Notum autem factum est per universam Joppen, & crediderunt multi in Dómino.

℟. I. Salus ab eis qui audiérunt, in nos confirmáta est, * Contestante Deo signis & portentis, & váriis virtútibus. Allelúia. ℣. Verbum Dómini crescébat, & multiplicabátur, * Contestante. *Hebr.* 2. *Act.* 12.

℟. II. Neque herba, neque malagma sanávit eos: sed tuus, Dómine, sermo, qui sanat ómnia. * Tu es enim, Dómine, qui vitæ & mortis habes potestátem. Allelúia. ℣. Misericórdia tua advéniens sanábat illos; * Tu es. *Sap.* 16.

℟. III. Ego occídam, & ego vívere fáciam; percútiam, & ego sanábo, * Et non est qui de manu meâ possit erúere. Allelúia. ℣. Hábeo claves mortis & inferni, * Et non. *Deut.* 32. *Apoc.* 1.

℟. IV. Tu flagellas & salvas, Dómine: * Et non est qui effúgiat manum tuam. † Allelúia. ℣. Dedí-

cis ad ínferos & redúcis : * Et non. ℣. Glória. † Allelúia. *Tob.* 13. *Sap.* 16.

LECTIO III.

Ex Libro quinto sancti Optáti Milevitáni Epíscopi de Schísmate Donatistárum. *Edit. Dupin. Cap.* 3.

QUóties à vobis baptizátus áliquis, ad nos tránsitum volúerit fácere, venientem totâ simplicitáte suscípimus. Absit enim ut unquam exorcizémus sanum fidélem. Absit ut jam lotum revocémus ad fontem : absit, ut in Spíritum sanctum peccémus ; cui facínori in præsenti & futúro século indulgéntia denegátur : absit, ut iterémus quod semel est, aut duplicémus quod unum est : sic enim scriptum est, Apóstolo dicente, Unus Deus, unus Christus, una fides, una tínctio. Dénique vos, qui baptisma quasi libenter duplicáre conténditis ; si datis álterum baptisma, date álteram fidem ; si datis álteram fidem, date & álterum Christum, date álterum Deum.

℟. Unum corpus, & unus Spíritus, sicut vocáti estis in unâ spe vocatiónis vestræ. * Unus Dóminus, una fides, unum baptisma. † Allelúia. ℣. Nobis unus Deus Pater, & unus Dóminus Jesus Christus, * Unus. ℣. Glória. † Allelúia. *Ephes.* 4. *I. Cor.* 8.

Ad Benedíctus. *Ant.* Hæc sunt verba quæ locútus sum ad vos, cùm adhuc essem vobíscum, quóniam necesse est impléri ómnia, quæ scripta sunt de me. Allelúia. *Luc.* 24.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

DEus, per quem nobis & redémptio venit, & præstátur adóptio, † réspice in ópera misericórdiæ tuæ ; * ut in Christo renátis, & ætérna tribuátur hæréditas, & vera libertas ; Per eumdem.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 7. *Can.* 11.

SI quis díxerit verum & ritè collátum Baptismum iterandum esse illi qui apud infidéles fidem Christi negáverit, cum ad pœniténtiam convértitur ; anáthema sit.

Ad Magníficat. *Ant.* Respondit Thomas, & dixit : Dóminus meus, & Deus meus. Allelúia. *Joan.* 20.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

Ex Actibus Apostolórum. *Cap.* 10.

VIr autem quidam erat in Cæsaréâ, nómine Cornélius, Centúrio co-

hortis quæ dícitur Itálica, religiósus ac timens Deum cum omni domo suâ, fáciens eleemósynas multas plebi, & déprecans Deum semper: is vidit in visu manifestè, quasi horâ diéi nonâ, Angelum Dei introeuntem ad se, & dicentem sibi: Cornéli. At ille íntuens eum, timóre correptus, dixit: Quid est, Dómine? Dixit autem illi: Oratiónes tuæ & eleemósynæ tuæ ascendérunt in memóriam in conspectu Dei. ¶ Et nunc mitte viros in Joppen, & accersi Simónem quemdam, qui cognominátur Petrus: hic hospitátur apud Simónem quemdam coriárium, cujus est domus juxta mare: hic dicet tibi quid te opórteat fácere. Et cùm discessisset Angelus, qui loquebátur illi, vocávit duos doméssticos suos, & mílitem metuentem Dóminum, ex his qui illi parébant. Quibus cùm narrasset ómnia, misit illos in Joppen.

LECTIO II.

Posterâ autem die iter illis faciéntibus, & appropinquántibus civitáti, ascendit Petrus in superióra ut oráret circa horam sextam. Et cùm esuríret, vóluit gustáre. Paránribus autem illis, cécidit super eum mentis excessus: & vidit cœlum apertum, & descendens vas quoddam, velut línteum magnum, quátuor inítiis submitti de cœlo in terram, in quo erant ómnia quadrupédia, & serpéntia terræ, & volatília cœli. ¶ Et facta est vox ad eum: Surge, Petre, occíde, & mandúca. Ait autem Petrus: Absit, Dómine, quia nunquam manducávi omne commúne & immundum. Et vox íterum secundò ad eum: Quod Deus purificávit, tu commúne ne dixeris. Hoc autē factum est per ter: & statim receptum est vas in cœlum.

℞. I. Invenérunt me qui non quæsiérunt me. * Dixi: Ecce ego, ecce ego ad gentem quæ non invocábat nomen meum. Allelúia. ℣. Gentes quæ non sectabantur justítiam, apprehendérunt justítiam. * Dixi. *Isai.* 65. *Rom.* 9.

℞. II. Non est personárum acceptor Deus; * Sed in omni gente, qui timet eum, & operátur justítiam, acceptus est illi. Allelúia. ℣. Dóminus est Deus deórum & Dóminus dominántium, Deus magnus & potens, qui persónam non áccipit, * Sed in. *Act.* 10. *Deut.* 10.

℞. III. Aliis generatiónibus non est ágnitum fíliis hóminum, sicuti nunc revelátum est sanctis Apóstolis Christi & Prophétis

in Spíritu, * Gentes esse cohærédes, & compartícipes promissiónis Dei in Christo Jesu. Allelúia. ℣. Nunc vóluit Deus notas fácere divítias glóriæ sacramenti hujus in Géntibus, quod est Christus. * Gentes. *Ephes.* 3. *Coloss.* 1.

℟. IV. In doctrínis glorificáte Dóminum: * In ínsulis maris nomen Dómini Dei Israel. † Allelúia. ℣. A fínibus terræ laudes audívimus, glóriam Justi: * In ínsulis. ℣. Glória. † Allelúia. *Isai.* 24.

LECTIO III.

Ex Libro primo sancti Ambrósii Epíscopi de Sacramentis. *Edit. Bened. Cap.* 2.

VEnimus ad fontem, ingressus es: considera quos videris, quid locútus sis considera, repete diligenter. Occurrit tibi Levíta, occurrit Presbyter: unctus es quasi athléta Christi, quasi luctam hujus séculi luctatúrus: professus es luctáminis tui certámina. Quando te interrogavit: Abrenúntias diabolo & opéribus ejus, quid respondísti? Abrenúntio. Abrenúntias século & voluptátibus ejus, quid respondísti? Abrenúntio. Memor esto sermónis tui, & numquam tibi [illegible] tuæ series cautiónis. Ubi [illegible] ministra, vel quibus promí-

seris; Levítam vidísti, sed miníster est Christi: vidísti illum ante altária ministráre. Ergo chirógraphum tuum tenétur non in terrâ, sed in cœlo. Ergo abrenuntiasti mundo, abrenuntiasti século; esto sollícitus. Qui pecúniam debet, semper cautiónem suam consíderat: & tu qui fidem debes Christo, fidem serva, quæ multò pretiósior quàm pecúnia est; fides enim æternum patrimóniũ est, pecúnia temporále. Et tu ergo semper recordáre quid promíseris, & eris cáutior. Si téneas promissiónem tuam, tenébis & cautiónem tuam.

℟. Consepúlti sumus cum Christo per baptísmum in mortem, * Ut quómodo Christus surrexit à mórtuis per glóriam Patris, ita & nos in novitáte vitæ ambulémus. † Allelúia. ℣. Quicúmque baptizáti sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizáti sumus; * Ut quómodo. ℣. Glória. † Allelúia. *Rom.* 6.

Ad Benedictus Ant. Oportébat Christum pati, & resúrgere à mórtuis tértia die. Allelúia. *Luc.* 24.

COLLECTA *Sacr. Moz.*

CHriste, cui consepúlti [illegible] in mortem, ut [illegible] per fidem [illegible], † ita

nos à peccátis nostris in sánguine tuo; * ut quos dudum mundasti aquâ baptísmatis, indesinenter purífices indulgéntiâ pietátis; Qui vivis.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 7. *Can.* 13.

SI quis díxerit, párvulos, eo quòd actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter fidéles computandos non esse, ac proptéreà cùm ad annos discretiónis pervénerint, esse rebaptizandos; aut præstáre omitti eórum Baptísma, quàm eos non actu próprio credentes baptizári in solâ fide Ecclésiæ; anáthema sit.

Ad Magníficat. *Ant.* Beáti qui non vidérunt, & credidérunt. Allelúia. *Joan.* 20.

SABBATO.

LECTIO I.

Ex Actibus Apostolórum. *Cap.* 10.

DUm intra se hæsitáret Petrus, quidnam esset vísio quam vidisset: ecce viri, qui missi erant à Cornélio, inquirentes domum Simónis, adstitérunt ad jánuam. Et cùm vocassent, interrogábant, si Simon, qui cognominátur Petrus, illic habéret hospítium. Petro autem cogitante de visióne, dixit Spíritus ei: Ecce viri tres quærunt te. Surge ítaque, descende, & vade cum eis nihil dúbitans: quia ego misi illos. ¶ Descendens autem Petrus ad viros, dixit: Ecce ego sum, quem quæritis; quæ causa est, propter quam venistis? Qui dixérunt: Cornélius centúrio, vir justus, & timens Deum, & testimónium habens ab universâ gente Judæórum, responsum accépit ab Angelo sancto, accersíre te in domum suam; & audíre verba abs te. Introdúcens ergo eos, recépit hospítio. Sequenti autem die surgens profectus est cum illis: & quidam ex frátribus ab Joppe comitáti sunt eum.

Responsoria ut heri.

LECTIO II.

ALterâ autem die introívit Cæsaréam. Cornélius verò exspectábat illos, convocátis cognátis suis, & necessáriis amícis. Et factum est, cùm introisset Petrus, óbvius venit ei Cornélius, & prócidens ad pedes ejus, adorávit. Petrus verò elevávit eum, dicens: Surge, & ego ipse homo sum. ¶ Et loquens cum illo intrávit, & invénit multos qui convénerant: dixitque ad illos: Vos scitis quómodo abominátum sit viro Judæo, conjungi aut accédere ad

alienígenam: sed mihi osténdit Deus, néminem commúnem aut immúndum dícere hóminem. Propter quod sine dubitatióne veni accersítus.

LECTIO III.

Ex Catechési tértiâ Mystagógicâ sancti Cyrilli Jerosolymitáni Epíscopi, de sacro Chrísmate. *Edit. Bened. Sec. IV.* 1, 2, 3, 5.

VObis, postquam ex sacrórum láticum piscínâ ascendistis, datum est Chrisma, illíus antítypum quo unctus est Christus: quod est nimírum Spíritus sanctus. Oleo enim sive unguento corporáli Christus ab homínibus unctus non est; sed Pater eum totíus mundi servatórem præstítuens, Spíritu sancto unxit. Vos verò unguento uncti estis, Christi partícipes & consortes effecti. Cæterùm vide ne nudum & vile suspicéris unguentum hoc esse. Nam sicut panis Eucharístiæ, post invocatiónem Spíritûs sancti, non est commúnis panis, sed Corpus Christi; ita & sanctum unguentum, non ámpliùs nudum, neque si quis ita appelláre malit, commúne unguentum est post invocatiónem; sed Christi donárium, & Spíritûs sancti, præséntiâ divinitátis ejus, effíciens factum. Quod quidem symbólicè fronti aliisque sénsibus tuis illinítur. Ac dum unguento visíbili inúngitur corpus, sancto & vivífico Spíritu ánima sanctificátur. Hoc sancto Chrísmate digni hábiti, vocámini Christiáni, veritátem quoque nóminis hujus per regeneratiónem adsequentes. Priùs enim quam hæc vobis grátia colláta esset, eo nómine própriè digni non erátis, sed eo contendebátis ut essétis Christiáni.

℟. Vos unctiónem habétis à Sancto; * Et vos unctiónem quam accepistis ab eo, máneat in vobis. † Allelúia. ℣. Unxit nos Deus, qui & signávit nos, & dedit pignus Spíritûs in córdibus nostris. * Et vos. ℣. Glória. † Allelúia. *I. Joan. 2. II. Cor. 1.*

Ad Benedictus. *Ant.* Prædestinávit nos Deus in adoptiónem filiórum per Jesum Christum, in quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus. Allelúia. *Ephes. 1.*

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

FAc omnípotens Deus, † ut qui Paschálibus remédiis innováti, similitúdinem terréni parentis evásimus, * ad formam cœléstis transferámur Autóris; Qui tecum.

CANON.

CANON.

x Concílio Vaurensi.
An. 1368. *Cap.* I.

NEcessária erat Sacramentórum instititútio; propter eruditiónem, m homo in ipsis per id od foris visíbili spécie nitur, ad invisíbilem tútem agnoscendam quæ us est erudítur; & proer humiliatiónem, dum mo in Sacraméntis, res sensibílibus, quæ natâ infra ipsum sunt, ex ecepto Creatóris subjícir; & propter exercitatióm, dum in Sacraméntis mo circa signa sensibília Dei honórem occupátur. itur ex quo fuit morbus ccáti, Sacramentórum it necessária medicína.

AD VESPERAS.

Antiphona unica ut in salterio.

LECTIO. *Jerem.* 31.

AUdíte verbum Dómini, Gentes; & annunáte in ínsulis quæ procul nt, & dícite: † Qui dis-rsit Israel, congregábit m, & custódiet eum, ut pastor gregem suum.* edémit enim Dóminus cob, & liberávit eum manu potentióris.

℟. *br. & Hymnus, ut uprà Sabbato in Albis, ag.* 360.

℣. Ipse est Dóminus eus noster; ℟. Nos autem pópulus ejus, & oves páscuæ ejus. *Ps.* 94.

Ad Magníficat. *Ant.* Tamquàm ovis ad occisiónem ductus est; & sicut agnus non apéruit os suum. In humilitáte judícium ejus sublátum est: generatiónem ejus quis enarrábit? Allelúia. *Act.* 8.

Collecta infrà ad Laudes, pag. 391.

DOMINICA II. POST PASCHA.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Jesum Pastórem bonum, qui ánimam suam dat pro óvibus suis; * Veníte, adorémus. Allelúia. *Joan.* 10.

Hymnus, Adeste, *ut in die Pascha, suprà, pag.* 327.

Psalmi Nocturnorum cum Antiphonâ unicâ & ℣. ut in Psalterio.

IN I. NOCTURNO.

LECTIO I.

Ex Actibus Apostolórum. *Cap.* 10.

APériens Petrus os suũ, dixit: In veritáte cómperi, quia non est personárum acceptor Deus: sed in omni gente, qui timet eum, & operátur justítiam, acceptus est illi. Verbum misit Deus fíliis Israël, annúntians pacem per Jesum Christum: (hic est óm-

nium Dóminus.) Vos scitis quod factum est verbum per universam Judæam: incípiens enim à Galilæâ, post baptismum quod prædicávit Joannes, Jesum à Názareth: quómodo unxit eum Deus Spíritu sancto, & virtúte, qui pertránsiit benefaciendo, & sanándo omnes oppressos à diábolo, quóniam Deus erat cum illo. Et nos testes sumus ómnium, quæ fecit in regióne Judæórum, & Jerúsalem, quem occidérunt suspendentes in ligno.

℟. Deus Patrum nostrórum glorificávit fílium suũ Jesum quem suscitávit à mórtuis, * Cujus nos testes sumus. Allelúia. ℣. Christus mórtuus est pro peccátis nostris, & sepultus est, & resurrexit tértiâ die secundùm Scriptúras; * Cujus. *Act.* 3. *I. Cor.* 15.

LECTIO II.

HUnc Deus suscitávit tértiâ die, & dedit eum manifestum fieri, non omni pópulo, sed téstibus præórdinátis à Deo: nobis, qui manducávimus & bíbimus cum illo, postquam resurrexit à mórtuis. Et præcépit nobis prædicáre pópulo, & testificári, quia ipse est, qui constitútus est à Deo judex vivórum & mortuórum. Huic omnes Prophétæ testimónium pérhibent, remissiónem peccatórum accípere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.

℟. Visus est per dies multos his, * Qui simul ascénderant cum eo de Galilæâ in Jerúsalem, qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem. Allelúia. ℣. Præbuit seipsum Apóstolis vivum post passiónem suam in multis argumentis, per dies quadraginta appárens eis, * Qui. *Act.* 13 & 1.

LECTIO III.

ADhuc loquente Petro verba hæc, cécidit Spíritus sanctus super omnes qui audiébant verbum. Et obstupuérunt ex circumcisióne fidéles, qui vénerant cum Petro; quia & in natiónes grátia Spíritûs sancti effúsa est. Audiébant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum. Tunc respondit Petrus: Numquid aquam quis prohibére potest, ut non baptizentur hi, qui Spíritum sanctum accepérunt sicut & nos? Et jussit eos baptizári in nómine Dómini Jesu Christi. Tunc rogavérunt eum ut manéret apud eos áliquot diébus.

℟. Qui novit corda Deus, dedit Géntibus Spíritum, sicut & nobis, * Et nihil discrévit inter nos & illos, fide puríficans corda eórum. Allelúia. ℣. Ergo & Géntibus pœniténtiam dedit Deus ad vitam, * Et nihil. *Act.* 15 & 11.

LECTIO IV. *Cap.* 11.

AUdiérunt autem Apóſtoli, & fratres qui erant in Judæâ: quóniam & Gentes recepérunt verbum Dei. Cùm autem aſcendiſſet Petrus Jerosólymam, diſceptábant adversùs illum, qui erant ex circumciſióne, dicentes: Quare introiſti ad viros præpútium habentes, & manducaſti cum illis? Incípiens autem Petrus exponébat illis órdinem (ómnium quæ geſta fúerant.) His audítis, tacuérunt: & glorificavérunt Deum, dicentes: Ergo & Géntibus pœniténtiam dedit Deus ad ad vitam.

℟. Vos pópulus acquiſitiónis; * Qui aliquando non pópulus, nunc autem pópulus Dei; qui non conſecúti miſericórdiam, nunc autem miſericórdiam, conſecúti. † Allelúia. ℣. Beáta gens cujus eſt Dóminus Deus ejus, pópulus quem elégit in hæreditátem ſibi, * Qui. ℣. Glória. † Allelúia. *I. Petr.* 2. *Pſ.* 32.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO V.

Ex Epíſtolâ ſancti Ignátii Epíſcopi & Mártyris ad Magneſiános. *An.* 107. *Edit. Cotel. n.* 3.

VOs decet non familiáriùs ac ſuperbè uti ætáte Epíſcopi, ſed ſecundùm virtútem Dei Patris omnem impertíri illi reveréntiam; quemádmodum novi ſanctos fácere Presbyteros; non reſpicientes ad apparentem juvenílem ordinatiónem, ſed ut prudentes in Deo cedentes ipſi: non ipſi autem, ſed Patri Jeſu Chriſti, ómnium Epíſcopo. Hortor ut hoc ſit veſtrum ſtúdium, in Dei concórdiâ ómnia ágere, Epíſcopo præſidente Dei loco, & Presbyteris loco ſenátûs Apoſtólici, & Diáconis mihi ſuaviſſimis, quibus commiſſum eſt miniſtérium Jeſu Chriſti; qui ante ſécula apud Patrem erat, & in fine appáruit.

℟. Obedíte Præpóſitis veſtris, & ſubjacéte eis; * Ipſi enim pervígilant, quaſi ratiónem pro animábus veſtris redditúri. Allelúia. ℣. Honóra Deum ex totâ ánimâ tuâ, & honoríſica Sacerdótes; * Ipſi. *Hebr.* 13. *Eccli.* 7.

LECTIO VI. *n.* 7.

QUemádmodum ígitur Dóminus ſine Patre nihil fecit, ipſi unítus, neque per ſeipſum, neque per Apóſtolos; ita neque & vos ſine Epíſcopo & Presbyteris quidquam ágite. Neque óperam detis ut áliquid vobis ſeorſum ratióni videátur conſentáneum: ſed in unum conveniéntibus, una ſit orá-

sequámur; appósita est forma cui imprimámur, primùm nobis est, exterióra nostra misericórditer óvibus ejus impéndere; postrémum verò, si necesse sit, étiam mortem nostram pro eísdem óvibus ministráre. A primo autem hoc mínimo pervenítur ad postrémum majus.

℟. Ego sum Pastor bonus; & * Cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ, † Allelúia. ℣. Ecce ego ipse requíram oves meas, & visitábo eas, & edúcam eas de pópulis, & pascam eas. * Cognosco. ℣. Glória. † Allelúia. *Joan.* 10. *Ezech.* 34.

IN III. NOCTURNO.

Cantica, Ant. & ℣. ut in die Paschæ, pag. 332.

Lectio IX.

Incipit Epístola prima beáti Joannis Apóstoli.

Cap. 1.

Quod fuit ab inítio, quod audívimus, quod vídimus óculis nostris, quod perspéximus, & manus nostræ contrectavérunt de verbo vitæ: & vita manifestáta est, & vídimus, & testámur, & annuntiámus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & appáruit nobis: quod vídimus & audívimus, annuntiámus vobis, ut & vos societátem habeátis nobíscum, & societas nostra sit cum Patre, & cum Fílio ejus Jesu Christo. Et hæc scríbimus vobis ut gaudeátis, & gáudium vestrum sit plenum.

℟. Non cum pátribus nostris íniit pactum, sed nobíscum qui inpræsentiárum sumus & vívimus. * Fácie ad fáciem locútus est nobis Dóminus Deus noster. Allelúia. ℣. Omnes Prophétæ à Sámuel & deinceps, qui locúti sunt, annuntiavérunt dies istos; * Fácie. *Deut.* 5. *Act.* 3.

Lectio X.

Et hæc est annuntiátio, quam audívimus ab eo, & annuntiámus vobis: quóniam Deus lux est, & ténebræ in eo non sunt ullæ. Si dixérimus quóniam societátem habémus cum eo, & in ténebris ambulámus, mentímur, & veritátem non fácimus. Si autem in luce ambulámus, sicut & ipse est in luce; societátem habémus ad ínvicem, & sanguis Jesu Christi Fílii ejus, emundat nos ab omni peccáto. Si dixérimus quóniam peccátum non habémus; ipsi nos sedúcimus, & véritas in nobis non est. Si confiteámur peccáta nostra; fidélis est & justus; ut remittat nobis peccáta nostra, & emundet nos ab omni iniquitáte. Si dixérimus quóniam non peccávimus; mendácem fácimus

tio, una deprecátio, una mens, una spes, in caritáte, in gáudio inculpáto. Unus est Jesus Christus, quo nihil præstántius est. Omnes ítaque velut in unum templum Dei concúrrite, velut ad unum altáre, velut ad unum Jesum Christum qui ab uno Patre prodit, & in uno exsistit, in unum revértitur.

℟. Pro eis rogo, ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, & ego in te: & ego claritátem quam dedisti mihi, dedi eis: * Ut sint unum sicut, & nos unum sumus. Allelúia. ℣. Sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum; * Ut sint. *Joan.* 17.

LECTIO VII.

Ex Epístolâ ejusdem ad Trallianos. *Edit. Cotel. n.* 2 & 3.

CUm Epíscopo subjecti estis ut Jesu Christo, vidémini mihi non secundùm hómines, sed secundùm Jesum Christum vívere; qui propter vos mórtuus est, ut credentes in mortem ipsíus, mori effugiátis. Necessárium itaque est, quemádmodum fácitis, ut sine Epíscopo nihil agátis. Sed & Presbyteris súbditi sitis, ut Apóstolis Jesu Christi, spei nostræ; in quo conversantes inveniámur. Oportet autem & Diáconos, mysteriórum Jesu Christi minístros, omni modo ómnibus placére. Non enim cibórum & pótuum minístri sunt, sed Ecclésiæ Dei minístri. Oportet ígitur ut sibi cáveant à criminibus, tamquàm ab igne. Cuncti simíliter revereantur Diáconos, ut mandátum Jesu Christi: & Epíscopum, ut eum qui est figúra Patris: Presbyteros autem ut consessum Dei, & ut conjunctiónem Apostolórum. Sine his Ecclésia non vocátur.

℟. Diáconi ministrent, nullum crimen habentes; * Qui bene ministráverint, gradum bonum sibi acquírent, & multam fidúciam in fide quæ est in Christo Jesu. Allelúia. ℣. Obsérvent quidquid ad cultum pértinet, & custódiant vasa tabernáculi, servientes in ministério ejus; * Qui bene. *I. Tim.* 3. *Num.* 3.

LECTIO VIII.

Sermo sancti Gregórii Papæ. *Homil.* 14. *in Evang. Edit. Bened. n.* 1.

FEcit Dóminus quod mónuit, ostendit quod jussit. Bonus Pastor pro óvibus suis ánimam suam pósuit; ut in sacramento nostro Corpus suum & sánguinem vérteret, & oves quas redémerat, carnis suæ alimento satiáret. Ostensa nobis est de contemptu mortis via quam

sequámur ; appósita est forma cui imprimámur, primùm nobis est, exterióra nostra misericórditer óvibus ejus impéndere ; postrémum verò, si necesse sit, étiam mortem nostram pro eísdem óvibus ministráre. A primo autem hoc mínimo pervenítur ad postrémum majus.

℟. Ego sum Pastor bonus ; & * Cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ, † Allelúia. ℣. Ecce ego ipse requíram oves meas, & visitábo eas, & edúcam eas de pópulis, & pascam eas. * Cognosco. ℣. Glória. † Allelúia. *Joan.* 10. *Ezech.* 34.

IN III. NOCTURNO.

Cantica, Ant. & ℣. ut in die Paschæ, pag. 332.

Lectio IX.

Incipit Epístola prima beáti Joannis Apóstoli.

Cap. 1.

QUod fuit ab inítio, quod audívimus, quod vídimus óculis nostris, quod perspéximus, & manus nostræ contrectavérunt de verbo vitæ : & vita manifestáta est, & vídimus, & testámur, & annuntiámus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & appáruit nobis : quod vídimus & audívimus, annuntiámus vobis, ut & vos societátem habeátis nobíscum, & societas nostra sit cum Patre, & cum Fílio ejus Jesu Christo. Et hæc scríbimus vobis ut gaudeátis, & gáudium vestrum sit plenum.

℟. Non cum pátribus nostris íniit pactum, sed nobíscum qui inpræsentiárum sumus & vívimus. * Fácie ad fáciem locútus est nobis Dóminus Deus noster. Allelúia. ℣. Omnes Prophétæ à Sámuel & deinceps, qui locúti sunt, annuntiavérunt dies istos ; * Fácie. *Deut.* 5. *Act.* 3.

Lectio X.

ET hæc est annuntiátio, quam audívimus ab eo, & annuntiámus vobis : quóniam Deus lux est, & ténebræ in eo non sunt ullæ. Si dixérimus quóniam societátem habémus cum eo, & in ténebris ambulámus, mentímur, & veritátem non fácimus. Si autem in luce ambulámus, sicut & ipse est in luce ; societátem habémus ad ínvicem, & sanguis Jesu Christi Fílii ejus, emundat nos ab omni peccáto. Si dixérimus quóniam peccátum non habémus ; ipsi nos sedúcimus, & véritas in nobis non est. Si confiteámur peccáta nostra ; fidélis est & justus ; ut remittat nobis peccáta nostra, & emundet nos ab omni iniquitáte. Si dixérimus quóniam non peccávimus ; mendácem fácimus

eum, & verbum ejus non est in nobis.

℟. Sic Deus diléxit mundum, ut Filium suum unigénitum daret: * Ut omnis qui credit in eum, non péreat, sed hábeat vitam ætérnam. Allelúia. ℣. In hoc est cáritas: non quasi nos dilexérimus Deum, sed quóniam ipse prior diléxit nos, & misit Filium suum, * Ut omnis. *Joan.* 3, *I. Joan.* 4.

LECTIO XI. *Cap.* 2.

FIlíoli mei, hæc scribo vobis, ut non peccétis. Sed & si quis peccáverit, advocátum habémus apud Patrem, Jesum Christum justum: & ipse est propitiátio pro peccátis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed étiam pro totíus mundi. Et in hoc scimus quóniã cognóvimus eum, si mandáta ejus observémus. Qui dicit se nosse eum, & mandáta ejus non custódit, mendax est; & in hoc véritas non est. Qui autem servat verbum ejus, verè in hoc cáritas Dei perfecta est: & in hoc scimus quóniam in ipso sumus. Qui dicit se in ipso manére, debet, sicut ille ambulávit, & ipse ambuláre.

℟. In hoc cognóvimus caritátem Dei, quóniam ille ánimam suam pro nobis pósuit: * Et nos debémus pro frátribus ánimas pónere. † Allelúia. ℣. Vix pro justo quis móritur; commendat autem caritátem suam Deus in nobis; quóniam cùm adhuc peccatóres essémus, Christus pro nobis mórtuus est. * Et nos. *I. Joan.* 3. *Rom.* 5.

LECTIO XII.

CArissimi, non mandátum novum scribo vobis, sed mandátum vetus, quod habuistis ab inítio: mandátum vetus est verbum quod audistis. Iterum mandátum novum scribo vobis, quod verum est, & in ipso, & in vobis: quia ténebræ transiérunt, & verum lumen jam lucet. Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in ténebris est usque adhuc. Qui díligit fratrem suum, in lúmine manet, & scándalum in eo non est. Qui autem odit fratrem suum, in ténebris est, & in ténebris ámbulat, & nescit quò eat: quia ténebræ obcæcavérunt óculos ejus.

℟. Hæc est annuntiátio quam audistis ab inítio * Ut diligátis altérutrum. † Allelúia. ℣. Omnis lex in uno sermóne implétur; * Ut diligátis. ℣. Glória. † Allelúia. *I. Joan.* 3. *Gal.* 5.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joannem.

Cap. 10.

DIxit Jesus quibusdam ex Pharisæis: Ego sum Pastor bonus. Bonus

Pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Mercenárius autem, & qui non est pastor, cujus non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem, & dimittit oves, & fugit: & lupus rapit, & dispergit oves. Mercenárius autem fugit, quia mercenárius est, & non pértinet ad eum de óvibus. Ego sum Pastor bonus; & cognosco meas, & cognoscunt me meæ. Sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem; & ánimam meam pono pro óvibus meis. Et álias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli; & illas oportet me addúcere, & vocem meam áudient, & fiet unum ovíle, & unus Pastor.

AD LAUDES.

Antiphona ut in Psalterio.

LECTIO. *Ezech.* 34.

HÆc dicit Dóminus Deus: Ecce ego ipse requíram oves meas, & visitábo eas. Sicut vísitat pastor gregem suum, in die quando fúerit in médio óvium suárum dissipatárũ: sic visitábo oves meas, & liberábo eas de ómnibus locis, in quibus dispersæ fúerant in die nubis & calíginis.

℟. *br. & Hymnus, ut die Pascha, supra, pag.* 336.

℣. Pópulus Dómini & oves páscuæ ejus, ℟. Introíte portas ejus in confessióne. *Ps.* 99.

Ad Benedictus. *Ant.* Ego sum óstium óvium. Veni ut vitam hábeant, & abundántius hábeant. Ego sum Pastor bonus. Allelúia. *Joan.* 10.

COLLECTA. *Sacr. Leon.*

DEus, qui errántibus ut in viam possint redíre justítiæ, veritátis tuæ lumen osténdis: † da cunctis qui Christiánâ professióne censentur, & illa respúere quæ huic inimíca sunt nómini, * & ea quæ sunt apta sectári; Per Dóminum.

AD HORAS, *Psalmi cum* Allelúia, *&c. ut in Psalterio.*

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *An.* 1547. *Sess.* 7. *Can.* 1 *&* 9.

SI quis díxerit Sacramenta novæ Legis non fuisse ómnia à Jesu Christo Dómino nostro institúta; aut esse plura vel paucióra quàm septem, vidélicet, Baptismum, Confirmatiónem, Eucharístiam, Pœniténtiam, Extrémam-Unctiónem, Ordinem, & Matrimónium; aut étiam áliquod horum septem non esse verè & própriè Sacraméntum; aut in tribus Sacramentis, Baptismo scíli-

cet, Confirmatióne, & Ordine, non ímprimi charactérem in ánimâ, hoc est, signum quoddam spirituále, & indelébile, unde ea iterári non possunt; anáthema sit.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Ezech.* 34.

SUscitábo super oves meas Pastórem unum qui pascat eas, servum meum David; † ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastórem. * Ego autem Dóminus ero eis in Deum, & servus meus David princeps in médio eórum.

℣. Dóminus regit me, & nihil mihi déerit; ℟. In loco páscuæ ibi me collocávit. *Ps.* 22.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Mich.* 5.

STabit, & pascet in fortitúdine Dómini, in sublimitáte nóminis Dómini Dei sui; † & converténtur, quia nunc magnificábitur usque ad términos terræ. * Et erit iste pax.

℣. Deduxit me super sémitas justítiæ, ℟. Propter nomen suum. *Ps.* 22.

AD NONAM.

LECTIO: *Isai.* 49.

SUper vias pascentur, & in ómnibus planis páscua eórum. † Non esúrient neque sítient, & non percútiet eos æstus & sol: * quia miserátor eórum reget eos, & ad fontes aquárum potábit eos.

℣. Super aquam refectiónis educávit me; ℟. Animam meam convertit. *Ps.* 22.

AD VESPERAS.

Antiphonæ ut in Psalterio.

LECTIO. *I. Petr.* 2.

ERrátis sicut oves errantes; † sed conversi estis nunc ad Pastórem * & Epíscopum animárum vestrárum.

℟. *br.* Nos pópulus tuus Dómine, & oves páscuæ tuæ. * Allelúia, allelúia. ℣. Confitébimur tibi in séculum. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Nos pópulus. *Ps.* 78.

Hymnus ut in die Paschæ, suprà, pag. 338.

℣. Abstulit sicut oves pópulum suum, ℟. Et eduxit eos in spe. *Ps.* 77.

Ad Magníficat. *Ant.* Alias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli; & illas oportet me addúcere, & vocem meam áudient, & fiet unum ovíle, & unus Pastor. Allelúia. *Joan.* 10.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

Ex Actibus Apostolórum. *Cap.* 11.

ET illi quidem, qui dispersi fúerant à tribulatióne, quæ facta fúerat sub

Stéphano, perambulavérunt usque Phœnícen, & Cyprum & Antiochíam, némini loquentes verbum, nisi solis Judæis. Erant autem quidam ex eis viri Cyprii, & Cyrenæi, qui cùm introissent Antiochíam, loquebantur & ad Græcos, annuntiantes Dóminum Jesum. Et erat manus Dómini cum eis; multúsque númerus credéntium conversus est ad Dóminum. ¶ Pervénit autem sermo ad aures Ecclésiæ, quæ erat Jerosólymis, super istis: & misérunt Bárnabam usque ad Antiochíam. Qui cùm pervenisset, & vidisset grátiam Dei, gavísus est: & hortabátur omnes in propósito cordis permanére in Dómino: quia erat vir bonus, & plenus Spíritu sancto, & fide. Et appósita est multa turba Dómino.

LECTIO II.

Profectus est autẽ Bárnabas Tarsum, ut quæreret Saulum; quem cùm invenisset perduxit Antiochíam. Et annum totum conversáti sunt ibi in Ecclésiâ: & docuérunt turbam multam, ita ut cognominarentur primùm Antiochíæ discípuli, Christiáni. ¶ In his autem diébus supervenérunt ab Jerosólymis Prophétæ Antiochíam; & surgens unus ex eis nómine Agabus, significábat per spíritum famem magnam futúram in universo orbe terrárum, quæ facta est sub Cláudio. Discípuli autem, prout quis habébat, proposuérunt sínguli in ministérium míttere habitántibus in Judæâ frátribus: quod & fecérunt, mittentes ad senióres per manus Bárnabæ & Sauli.

℞. I. Crevérunt, & quasi germinantes multiplicáti sunt. * Quantòque opprimébant eos, tantò magis multiplicabantur & crescébant. Allelúia. ℣. Verbum Dómini crescébat, & multiplicabátur númerus discipulórum; * Quantòque. *Exod. 1. Act. 6.*

℞. II. Virtúte magnâ reddébant Apóstoli testimónium resurrectiónis Jesu Christi Dómini nostri: * Et grátia magna erat in ómnibus illis. Allelúia. ℣. Loquebantur verbum Dei cum fidúciâ; * Et. *Act. 4.*

℞. III. Vas electiónis est mihi iste, * Ut portet nomen meum coram Géntibus, & régibus, & filiis Israel. Allelúia. ℣. Ego osténdam illi quanta opórteat eum pro nómine meo pati; * Ut. *Act. 9.*

℞. IV. Quotquot possessóres agrórum aut domórum erant, vendéntes afferébant prétia: * Dividebátur autem singulis prout cuíque opus erat. † Allelúia. ℣. Erant illis ómnia

commúnia ; * Dividebátur. ℣. Glória. † Allelúia. *Act.* 4.

LECTIO III.

Ex Epístolâ primâ sancti Clementis Papæ & Mártyris ad Corínthios. *Ed. Cotel. an.* 76. *n.* 40.

CUncta órdine debémus fácere, quæ nos Dóminus jussit perágere. Statútis tempóribus, oblatiónes & officia pérfici, neque témerè vel inordinátè fieri præcépit, sed præfinítis tempóribus & horis : ubi étiam & à quibus celebrári vult, ipse excelsíssimâ suâ voluntáte definívit : ut purè & sanctè ómnia facta in beneplácito, accepta essent voluntáti ejus : Qui ergo assignátis tempóribus oblatiónes suas fáciunt, accepti & beáti sunt : nam qui sequuntur leges Dómini, non aberrant. Summo quippe Sacerdóti sua múnia tribúta sunt ; & Sacerdótibus locus próprius assignátus est ; & Levítis sua ministéria incumbunt ; homo Láïcus præceptis láicis constríngitur.

℟. Sic nos exístimet homo, ut minístros Christi, * Et dispensatóres mysteriórum Dei. † Allelúia. ℣. Vos Sacerdótes Dómini vocabímini, Minístri Dei nostri dicétur vobis, * Et. ℣. Glória. † Allelúia. *I. Cor.* 4. *Isai.* 61.

Ad Benedíctus. *Ant.* Cùm inimíci essémus, reconciliáti sumus Deo per mortem Fílii ejus. Allelúia. *Rom.* 5.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

COnserva in nobis, quæsumus, Dómine, misericórdiam tuam : † & quos ab erróris liberasti calígine : * veritátis tuæ firmiùs inhærére fácias documento ; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Vaurensi. *An.* 1368. *Cap.* I.

SAcramenta instituere, quæ ex suî institutióne & sanctificatióne contíneant invisíbilem grátiam, cómpetit soli Christo, qui solus potestátem excelléntiæ suæ sibi retinuit ; potestátem ministérii Apóstolis, & cæteris succedéntibus dedit.

Ad Magníficat. *Ant.* Sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem, & ánimam meam pono pro óvibus meis. Allelúia. *Joan.* 10.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

Ex Actibus Apostolórum. *Cap.* 12.

EOdem autem témpore misit Heródes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclésiâ. Occídit autem

Jacóbum fratrem Joannis gládio. Videns autem quia placéret Judæis, appósuit ut apprehénderet & Petrum. Erant autem dies Azymórum. Quem cùm apprehendisset, misit in cárcerem, tradens quátuor quaterniónibus mílitum custodiendum, volens post Pascha prodúcere eum pópulo. ¶ Et Petrus quidem servabátur in cárcere. Orátio autem fiébat sine intermissióne ab Ecclésiâ ad Deum pro eo. Cùm autem productúrus eum esset Heródes, in ipsâ nocte erat Petrus dórmiens inter duos mílites, vinctus caténis duábus: & custódes ante óstium custodiébant cárcerem. Et ecce Angelus Dómini ádstitit: & lumen refulsit in habitáculo: percussóque látere Petri, excitávit eum dicens: Surge velóciter. Et eccidérunt caténæ de mánibus ejus.

LECTIO II.

Dixit autem Angelus ad eum: Præcíngere, & cálcea te cáligas tuas. Et fecit sic. Et dixit illi: Circumda tibi vestiméntum tuum, & séquere me. Et éxiens sequebátur eum, & nesciébat quia verum est, quod fiébat per Angelum: existimábat autem se visum vidére. Transeuntes autem primam & secundam custódiam, venérunt ad portam férream, quæ ducit ad civitátem: quæ ultro aperta est eis. Et exeuntes processérunt vicum unum: & contínuò discessit Angelus ab eo. ¶ Et Petrus ad se reversus, dixit: Nunc scio verè, quia misit Dóminus Angelum suum, & erípuit me de manu Heródis, & de omni exspectatióne plebis Judæórum. Consideránsque venit ad domum Maríæ matris Joannis, qui cognominátus est Marcus, ubi erant multi congregáti, & orantes.

℟. I. Injícient vobis manus suas, & persequéntur, tradentes in synagógas & custódias, propter nomen meum. * Continget autem vobis in testimónium. Allelúia. ℣. Tradent vos in concília, & ante præsides & reges stábitis propter me. * Continget. *Luc.* 21. *Marc.* 13.

℟. II. Digni illi carére luce, & pati cárcerem tenebrárum, * Qui inclúsos custodiébant fílios tuos, Dómine, per quos incipiébat incorruptum legis lumen século dari. Allelúia. ℣. Illis procella tenebrárũ serváta est in ætérnum. * Qui. *Sap.* 18. *Jud.* ℣. 13.

℟. III. Bellábunt advérsum te, & non prævalébunt; * Quia ego tecum sum, ait Dóminus, ut líberem te; Allelúia. ℣. Gládio non cades: sed erit tibi

ánima tua in salútem ; * Quia. *Jerem.* 1 & 39.

℟. IV. Deus meus misit Angelum suum, & conclúsit ora leónum, & non nocuérunt mihi ; * Quia coram eo justítia inventa est in me. † Allelúia. ℣. Misit de cœlo & liberávit me; dedit in oppróbrium conculcantes me. * Quia. ℣. Glória. † Allelúia. *Dan.* 6. *Ps.* 56.

LECTIO III.

Ex Epístolâ primâ sancti Clementis Papæ & Mártyris ad Corínthios. *Edit. Cotel. An.* 76. *n.* 42 & 44.

APóstoli nobis evangelizavérunt à Dómino Jesu Christo, Jesus Christus à Deo. Missus ígitur est Christus à Deo, & Apóstoli à Christo : & factum est utrumque ordinátim ex voluntáte Dei. Prædicantes ígitur, per regiónes ac urbes, primítias eárum, spíritu cùm probassent, in Epíscopos & Diáconos eórum qui creditúri erant, constituérunt. Et quidem cognovérunt per Dóminum nostrum Jesum Christum, quòd futúra esset conténtio de nómine Episcopátûs : ob eam ergo causam, acceptâ perfectâ præcognitióne, constituérunt supradictos, & deinceps futúræ successiónis régulam tradidérunt ; ut cùm illi decéderent, ministérium eórum ac munus álii viri probáti excíperent. Constitútos ítaque ab illis, vel deinceps ab áliis viris exímiis, consentiente ac comprobante universâ Ecclésiâ ; qui inculpátè ovíli Christi ministravérunt cum humilitáte, quiétè nec illiberáliter ; quique longo témpore ab ómnibus testimónium præclárum reportárunt ; hos putámus offício injustè déjici.

℟. Admóneo te, ut resúscites grátiam Dei, quæ est in te per impositiónem mánuum meárum : * Ut constítuas per civitátes Presbyteros, sicut & ego dispósui tibi. † Allelúia. ℣. Noli neglígere grátiam quæ data est tibi per prophetíam, cum impositióne mánuum presbytérii ; * Ut. ℣. Glória. † Allelúia. *II. Tim.* 1. *Tit.* 1. *I. Tim.* 4.

Ad Benedictus. *Ant.* Gloriámur in Deo per Dóminum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliatiónẽ accépimus. Allelúia. *Rom.* 5.

COLLECTA. *Sacr. Leon.*

GRegem tuum, Pastor bone, placátus intende : † & oves quas pretióso sánguine redemisti, * diabólicâ non sinas incursióne lacerári ; Qui vivis.

CANON.
Ex Concílio Vaurensi.
An 1368. *Cap.* 1.

QUæ institúta sunt ab Apóstolis & successóribus eorumdem, ut benedíctio aquæ & panis; consecratiónes vírginum & altárium, & cætera hujúsmodi : non sacramenta própriè, sed sacramentália dici debent.

Ad Magníficat. *Ant.* Pastor próprias oves vocat nominátim, & edúcit eas. Allelúia. *Joan.* 10.

FERIA QUARTA.
LECTIO I.
Ex Actibus Apostolórum.
Cap. 12 & 13.

PUlsante Petro óstium jánuæ, procéssit puella ad audiendum, nómine Rhode. Et ut cognóvit vocem Petri, præ gáudio non apéruit jánuam, sed intrò currens nuntiávit stare Petrum ante jánuam. At illi dixérunt ad eam : Insánis. Illa autem affirmábat sic se habére. Illi autem dicébant : Angelus ejus est. Petrus autem perseverábat pulsans. Cùm autem aperuíssent, vidérunt eum, & obstupuérunt. Annuens autem eis manu ut tacérent, narrávit quómodo Dóminus eduxísset eum de cárcere, dixítque : Nuntiáte Jacóbo, & frátribus hæc. Et egressus ábiit in álium locum. ¶ Verbum autem Dómini crescébat, & multiplicabátur. Bárnabas autem & Saulus reversi sunt ab Jerosólymis expléto ministério, assumpto Joanne, qui cognominátus est Marcus. Et ipsi quidem missi à Spíritu sancto abiérunt Seléuciam : & inde navigavérunt Cyprum. Et cum veníssent Salamínam, prædicábant verbum Dei in synagógis Judæórum. Habébant autem & Joannem in ministério.

LECTIO II. *Cap.* 12 & 13.

ET cùm perambulassent universam ínsulam usque Paphum, invenérunt quemdam virum magum pseudo-prophétam, Judæū, cui nomen erat Barjesu, qui erat cum Procónsule Sérgio Paulo viro prudente. Hic, accersítis Bárnaba & Saulo, desiderábat audíre verbum Dei. Resistébat autem illis Elymas magus (sic enim interpretátur nomen ejus) quærens avértere Procónsulem à fide. ¶ Saulus autem, qui & Paulus, replétus Spíritu sancto, íntuens eum, dixit : O plene omni dolo, & omni falláciâ, fili diáboli, inimíce omnis justítiæ, non désinis subvértere vias Dómini rectas. Et nunc ecce manus Dómini super te, & eris cæcus, non videns solem usque ad tempus. Et conféstim cécidit in

eum calígo & ténebræ, & circúiens quærébat qui ei manum daret. Tunc Procónsul cùm vidísset factum, crédidit admírans super doctrínâ Dómini.

℟. I. Ecce óculi Dómini super metuentes eum, & in eis qui sperant super misericórdiâ ejus: * Ut éruat à morte ánimas eórum. Allelúia. ℣. Immittet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum. * Ut. *Ps.* 32 & 33.

℟. II. Quàm pulchra tabernácula tua, Jacob, & tentória tua Israel! * Ut valles nemorósæ, ut tabernácula, quæ fixit Dóminus. Allelúia. ℣. Ecclésiæ confirmabantur fide, & abundábant número quotídiè. * Ut valles. *Num.* 24. *Act.* 16.

℟. III. Virtúte magnâ reddébant Apóstoli testimónium resurrectiónis Jesu Christi Dómini nostri; * Et grátia magna erat in ómnibus illis. Allelúia. ℣. Loquebantur verbum Dei cum fidúciâ, * Et grátia. *Act.* 4.

℟. IV. Salus ab eis qui audiérunt, in nos confirmáta est, * Contestante Deo signis & portentis, & váriis virtútibus, & Spíritûs sancti distributiónibus. † Allelúia. ℣. Crevérunt, & quasi germinantes multiplicáti sunt; ac roboráti implevérunt terram, * Contestante. ℣. Glória. † Allelúia. *Hebr.* 2. *Exod.* 1.

LECTIO III.

Ex Homíliâ undécimâ sancti Joannis Chrysóstomi Epíscopi in Epístolam primam ad Timótheum. *Edit. Bened. n.* 1.

Postquam Apóstolus de Epíscopis dixit, illorumque formam descripsit, indicavitque quid habére, à quibus abstinére débeant; relicto Presbyterórum órdine, ad Diáconos tránsiit. Quare? Quia non multùm spátii est inter Presbyteros & Epíscopos. Nam étiam Presbyteri docendi munus accepérunt, & Ecclésiæ præsunt: ac quæ ille de Epíscopis dixit, etiam Presbyteris competunt. Solâ namque ordinatióne superióres sunt, & hinc tantùm videntur Presbyteris præstáre. . . . . .

℟. Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, * Et dispensatóres mysteriórum Dei. † Allelúia. ℣. Vos Sacerdótes Dómini vocabímini, Ministri Dei nostri dicétur vobis, * Et. ℣. Glória. † Allelúia. *I. Cor.* 4. *Isai.* 61.

Ad Benedictus. *Ant.* Ubi abundávit delictum, superabundávit grátia; ut sicut regnávit peccátum in mortem, ita & grátia regnet per justítiam in vi-

tam ætérnam, per Jesum Christum Dóminum nostrum. Allelúia. *Rom.* 5.

Collecta. *Sacr. Gelas.*

DEus, quem dilígere & amáre justítia est, ineffábilis grátiæ tuæ in nobis dona multíplica; † & qui fecísti nos morte Fílii tui speráre quod crédimus; * fac nos eódem resurgente, perveníre quò téndimus; Per eumdem.

Canon.

Ex Concilio Vaurensi.

An. 1368. *Cap.* 1.

OMnia Sacramenta novæ Legis Christus per semetipsum immediátè instítuit. Aliqua tamen, præcípuè Confirmatiónem, & Extrémam-unctiónem per Apóstolos promulgávit.

Ad Magníficat. *Ant.* Cùm próprias oves Pastor emíserit, ante eas vadit; & oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. Allelúia. *Joan.* 10.

FERIA QUINTA.

Lectio I.

Ex Actibus Apostolórum.

Cap. 14.

FActum est autem Icónii, ut simul introírent in synagógam Judæórum, & loquerentur, ita ut créderet Judæórum & Græcórum copiósa multitúdo. Qui verò incréduli fuérunt Judæi, suscitavérunt, & ad iracúndiam concitavérunt ánimas Géntium adversùs fratres. Multo ígitur témpore demoráti sunt, fiduciáliter agentes in Dómino, testimónium perhibente verbo grátiæ suæ, dante signa & prodígia fieri per manus eórum. Divísa est autem multitúdo civitátis: & quidam quidem erant cum Judæis, quidam verò cum Apóstolis. ¶ Cùm autem factus esset ímpetus Gentílium & Judæórum cum princípibus suis, ut contuméliis afficerent & lapidárent eos, intelligentes confugérunt ad civitátes Lycaóniæ, Lystram, & Derben, & univérsam in circúitu regiónem, & ibi evangelizantes erant. Et quidam vir Lystris infirmus pédibus sedébat, claudus ex útero matris suæ, qui nunquam ambuláverat. Hic audívit Paulum loquentem. Qui intúitus eum, & videns quia fidem habéret, ut salvus fieret, dixit magnâ voce: Surge super pedes tuos rectus. Et exsilívit, & ambulábat.

Lectio II.

TUrbæ autem cùm vidíssent quod fécerat Paulus, levavérunt vocem suam, Lycaónicè dicentes: Dii símiles facti homínibus descendérunt ad nos. Et vocábant Bárnabam Jovem, Paulum verò Mercúrium: quóniam ipse erat dux verbi. Sacerdos quoque Jovis, qui erat

ante civitátem, tauros & corónas ante jánuas áfferens, cum pópulis volébat sacrificáre. ¶ Quod ubi audiérunt Apóstoli, Bárnabas & Paulus, conscissis túnicis suis exsiliérunt in turbas clamantes, & dicentes: Viri, quid hæc fácitis? & nos mortáles sumus, símiles vobis hómines, annuntiantes vobis ab his vanis convérti ad Deum vivum, qui fecit cœlum, & terram, & mare, & ómnia quæ in eis sunt: qui in prætéritis generatiónibus dimísit omnes gentes íngredi vias suas. Et quidem non sine testimónio semetipsum relíquit, benefáciens de cœlo, dans plúvias & témpora fructífera, implens cibo & lætítiâ corda nostra. Et hæc dicentes, vix sedavérunt turbas ne sibi immolárent.

℟. I. Custódies me in caput Géntium: * Pópulus, quem ignóro sérviet mihi; filii aliéni resistent mihi. Allelúia. ℣. Ecce ego, ecce ego ad gentem, quæ non invocábat nomen meum. *Pópulus. *II. Reg. 22. Isai. 65.*

℟. II. Glórificávit Deus Fílium suum Jesum; * Et fides, quæ per eum est, dedit íntegram sanitátem istam in conspectu ómnium vestrûm. Allelúia. ℣. In fide nóminis ejus, hunc, quem vos vidístis & nostis, confirmávit nomen ejus; * Et fides. *Act. 3.*

℟. III. Annuntiámus vobis ab his vanis converti * Ad Deum vivum, qui fecit cœlum & terram. Allelúia. ℣. Hæc dicit Dóminus creans cœlos, ipse Deus formans terram: Nunquid non ego Dóminus, & non est ultrà Deus absque me? Convertímini ad me, * Ad Deum. *Act. 14. Is. 45.*

℟. IV. Verbum misit Deus fíliis Israel, annúntians pacem per Jesum Christum: hic est ómnium Dóminus, * Et ipse est, qui constitútus est à Deo judex vivórum & mortuórum. † Allelúia. ℣. Potestátem dedit ei Pater judícium fácere, quia Fílius hóminis est. * Et ipse. ℣. Glória. † Allelúia. *Act. 10. Joan. 5.*

LECTIO III.

Ex Homíliâ quartâ décimâ sancti Joannis Chrysóstomi Epíscopi in Acta Apostolórum. *Edit. Bened. n. 3.*

Et orantes imposuérunt illis manus. Vide quàm non supérfluè Scriptor loquátur: non enim dicit quómodo; sed simplíciter quòd ordináti sint per oratiónem. Hoc enim est ordinátio. Manus viro superpónitur: totum verò Deus operátur, ejusque manus

est quæ tangit caput ordináti, si quemádmodum oportet ordinétur. Quam ergo dignitátem habuérunt illi, & quam accepérunt ordinatiónem, jam discendum est. Num Diaconórum? Atqui hæc in Ecclésiis non erat, sed Presbyterórum erat œconómia. Atqui nullus adhuc Epíscopus erat, præterquàm Apóstoli tantùm: unde puto nec Diaconórum nec Presbyterórum tunc fuisse nomen admissum nec manifestum. Sed jam ad hoc ordináti sunt; nec simplíciter hoc munus illis concréditum est: sed precáti sunt ut potestas illis concederétur.

℟. Pax vobis. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: * Accípite Spíritum sanctum: quorum remiséritis peccáta, remittuntur eis; & quorum retinuéritis, retenta sunt. † Allelúia. ℣. Vos Sacerdótes Dómini vocabímini: Ministri Dei nostri dicétur vobis: * Accípite. ℣. Glória. † Allelúia. *Joan.* 20. *Isai.* 61.

Ad Benedictus. *Ant.* Per Jesum fidéles estis in Deo, qui suscitávit eum à mórtuis, & dedit ei glóriam. Allelúia. *I. Petr.* 1.

Collecta. *Miss. Ambros.*

DEus, qui hoc nobis confers grátiâ tuâ, ut justi ex ímpiis, & beáti efficiámur ex míseris; † adesto tuis opéribus, tuis adesto munéribus; * ut quibus inest fidei justificátio, non desit perseverántiæ fortitúdo; Per Dóminum.

Canon.

Ex Concilio Senonensi.

An. 1528. *Can.* 10.

SAcramentum Confirmatiónis ab Apóstolis légimus promulgátum, cùm ad Samarítas misérunt Petrum & Joannem, à quibus illi, licèt à Philippo Diácono ánteà baptizáti, per impositiónem mánuum Spíritum sanctum accíperent. Unde tunc impositiónis mánuum, nunc Confirmatiónis appellátum est sacramentum. Baptísmo si quidem regenerámur ad vitam, post Baptísmum hoc sacramento confirmámur ad pugnam. In Baptísmo ablúimur, post Baptísmum hoc sacramento roborámur; cujus conferendi potestas Epíscopis à Christo concessa, donum Dei est.

Ad Magníficat. *Ant.* Oves meæ vocem meam áudiunt, & ego cognosco eas. Allelúia. *Joan.* 10.

FERIA SEXTA.

Lectio I.

Ex Actibus Apostolórum.

Cap. 14.

SUpervenérunt autẽ quidam ab Antiochíâ & Icónio Judæi: & persuásis

turbis, lapidantesque Paulum, traxérunt extra civitátem, existimantes eum mórtuum esse. Circumdántibus autem eum discípulis, surgens intrávit civitátem, & pósterâ die profectus est cum Bárnabâ in Derben. ¶ Cùmque evangelizassent civitáti illi, & docuissent multos, reversi sunt Lystram, & Icónium, & Antiochíam, confirmantes ánimas discipulórum, exhortantesque ut permanérent in fide: & quóniam per multas tribulatiónes oportet nos intráre in regnum Dei. Et cùm constituissent illis per síngulas Ecclésias Presbyteros, & orassent cum jejunatiónibus, commendavérunt eos Dómino, in quem credidérunt.

LECTIO II. *Cap.* 14 *&* 15.

TRanseuntesque Pisídiam, venérunt in Pamphyliam, & loquentes verbum Dómini in Perge, descendérunt in Attalíam: & inde navigavérunt Anthiochíam; undè erant tráditi grátiæ Dei, in opus quod complevérunt. Cùm autem venissent & congregassent Ecclésiam, retulérunt quanta fecisset Deus cum illis, & quia aperuisset Géntibus óstium fidei. Moráti sunt autem tempus non módicum cum discípulis. ¶ Et quidam descendentes de Judæâ, docébant fratres: quia nisi circumcidámini secundùm morem Móysi, non potestis salvári. Factâ ergo seditióne non mínimâ Paulo & Bárnabæ adversùs illos, statuérunt ut ascénderent Paulus & Bárnabas, & quidam álii ex áliis, ad Apóstolos & Presbyteros in Jerúsalem, super hâc quæstióne. Illi ergo deducti ab Ecclésiâ pertransíbant Phœnícem, & Samaríam, narrantes conversiónē Géntium: & faciébant gáudiū magnum ómnibus frátribus. Cùm autem venissent Jerosólymam, suscepti sunt ab Ecclésiâ, & ab Apóstolis, & senióribus, annuntiantes quanta Deus fecisset cum illis.

℟. I. Vas electiónis est mihi iste, * Ut portet nomen meum coram Géntibus, & régibus, & filiis Israel. Allelúia. ℣. Ego ostendam illi quanta opórteat eum pro nómine meo pati; * Ut portet. *Act.* 9.

℟. II. Ponam in eis signum, & mittam ex eis qui salváti fúerint ad Gentes, in mare, * In Africam & Lydiam tendentes sagittam, in Itáliam & Græciam, ad ínsulas longè. Allelúia. ℣. Numquid non audiérunt? Et quidem in omnem terram exívit sonus eórum, * In Africam. *Is.* 66. *Rom.* 10.

℟. III. Crevérunt, & quasi germinantes multiplicáti sunt: * Quantòque opprimébant eos, tantò magìs multiplicabantur, & crescébant. Allelúia. ℣. Verbum Dómini crescébat, & multiplicabátur númerus discipulórum; * Quantòque. *Exod.* 1. *Act.* 6.

℟. IV. Per Christum vobis remíssio peccatórum annuntiátur; & ab ómnibus, quibus non potuistis in lege Móysi justificári, * In hoc omnis qui credit, justificátur. † Allel. ℣. Huic omnes Prophétæ testimónium pérhibent, remissiónem peccatórum accípere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum. * In hoc. ℣. Glória. † Allelúia. *Act.* 13. & 10.

LECTIO III.

Ex Libro secundo sancti Augustíni Epíscopi contra Epístolam Parmeniáni. *Edit. Bened. Cap.* 13. *n.* 28.

NUlla osténditur causa, cur ille qui ipsum baptismum amíttere non potest, jus dandi potest amíttere. Utrumque enim sacramentum est; & quâdam consecratióne utrumque hómini datur, illud cùm baptizátur, istud cùm ordinátur; ideóque in Cathólicâ Ecclésiâ utrumque non licet iterári. Nam si quando ex ipsâ parte venientes étiam Præpósiti pro bono pacis correcto schísmatis erróre suscepti sunt, & si visum est opus esse, ut éadem offícia gérerent quæ gerébant, non sunt rursum ordináti; sed sicut baptismus in eis, ita ordinátio mansit íntegra: quia in præcisióne fúerat vítium, quod unitátis pace correctum est; non in sacramentis, quæ ubicumque sunt, ipsa sunt. Et cùm expedíre hoc judicátur Ecclésiæ, ut Præpósiti eórum veniéntes ad Cathólicam societátem honóres suos ibi non adminístrent: non eis tamen ipsa ordinatiónis sacramenta detrahuntur, sed manent super eos. Ideóque non eis in pópulo manus impónitur, ne non hómini, sed ipsi sacramento fiat injúria.

℟. Euntes docéte omnes Gentes, baptizantes eos in nómine Patris, & Fílii, & Spíritûs sancti. * Et ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus, usque ad consummatiónem séculi. † Allelúia. ℣. Accípite Spíritum sanctum, quorum remiséritis peccáta, remittuntur eis: & quorum retinuéritis, retenta sunt; * Et ecce. ℣. Glória. † Allelúia. *Matth.* 28. *Joan.* 20.

Ad Benedictus. *Ant.* Si unius delicto multi mórtui sunt; multòmagis grá-

tia Dei, & donum in grátiâ unius hóminis Jesu Christi in plures abundávit. Allelúia. *Rom.* 5.

COLLECTA. *Miss. Ambros.*

DEus, qui ad ætemam vitam in Christi resurrectióne nos réparas, † da pópulo tuo fidei speíque constántiam, * ut non dubitémus implenda, quæ te nóvimus autóre promíssa; Per eumdem.

CANON.

Ex Concílio Moguntíno. *An.* 1549. *Cap.* 17.

IN Sacramento Confirmatiónis juxta Dómini promissiónem, Spíritum sanctum quo in Baptísmate ad peccáti emundatiónem signáti sumus, cum novo grátiæ múnere accípimus: vidélicet ut virtúte ejus contra sátanæ tentatiónes muniámur; ut grátiâ ejus ad mélius capienda fidei mystéria illuminémur; ad confessiónem Christi fidúciam, & contra vitia robur accipiámus.

Ad Magníficat. *Ant.* Vitam æternam do óvibus meis, & non períbunt in æternum. Allelúia. *Joan.* 10.

SABBATO.

LECTIO I.

Ex Actibus Apostolórum. *Cap.* 15.

SUrrexérunt autem quidam de hæresi Pharisæórum, qui credidérunt dicentes: Quia oportet circumcídi eos, præcípere quoque serváre legē Móysi. Convenerúntque Apóstoli & senióres vidére de verbo hoc. Cùm autem magna conquisítio fíeret, surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos scitis quóniam ab antiquis diébus Deus in nobis elégit, per os meum audíre Gentes verbū Evangélii, & crédere. Et qui novit corda Deus, testimónium perhíbuit, dans illis Spíritum sanctum, sicut & nobis: & nihil discrévit inter nos & illos, fide puríficans corda eórum. ¶ Nunc ergo quid tentátis Deum, impónere jugum super cervíces discipulórum, quod neque patres nostri, neque nos portáre potúimus? Sed per grátiam Dómini nostri Jesu Christi crédimus salvári quemádmodum & illi. Tácuit autem omnis multitúdo: & audiébant Bárnabam & Paulum, narrantes quanta Deus fecisset signa & prodígia in Géntibus per eos.

LECTIO II.

ET postquam tacuérunt, respondit Jacóbus, dicens: Viri fratres, audíte me. Simon narrávit quemádmodum primùm Deus visitávit súmere ex Géntibus pópulum nómini suo. Et huic concordant verba Prophetárum, sicut scriptum est: Post hæc rever-

tur, & reædificábo tabernáculum David, quod décidit; & díruta ejus reædificábo, & érigam illud: ut requírant cæteri hóminum Dóminum, & omnes Gentes super quas invocátum est nomen meum, dicit Dóminus fáciens hæc. Notum à século est Dómino opus suum. ¶ Propter quod ego júdico, non inquietári eos qui ex Géntibus convertuntur ad Deum: sed scríbere ad eos ut abstíneant se à contaminatiónibus simulacrórum, & fornicatióne, & suffocátis, & sánguine. Móyses enim à tempóribus antíquis habet in síngulis civitátibus qui eum prædicent in synagógis, ubi per omne sábbatum légitur.

℟. I. Non est personárum acceptor Deus: * Sed in omni Gente, qui timet eum, & operátur justítiam, acceptus est illi. Allelúia. ℣. Dicit Scriptúra: Omnis qui credit in illum, non confundétur: non enim est distínctio Judæi & Græci. * Sed. *Act.* 10. *Rom.* 10.

℟. II. Per Christum vobis remíssio peccatórum annuntiátur; & ab ómnibus, quibus non potuístis in lege Móysi justificári, * In hoc omnis qui credit, justificátur. Allelúia. ℣. Justítia Dei per fidem Jesu Christi, in omnes & super omnes qui credunt in eum. * In hoc. *Act.* 13. *Rom.* 3.

℟. III. Non est in álio áliquo salus. * Nec enim áliud nomen est sub cœlo datum homínibus, in quo opórteat nos salvos fíeri. Allelúia. ℣. Huic omnes Prophétæ testimónium pérhibent, remissiónem peccatórum accípere per nomen ejus omnes qui credunt in eum: * Nec. *Act.* 4 & 10.

℟. IV. Scientes quòd non justificátur homo ex opéribus legis, nisi per fidem Jesu Christi: * Et nos in Christo Jesu crédimus, ut justificémur ex fide Christi. † Allelúia. ℣. Quem propósuit Deus propitiatiónem per fidem in sánguine ipsíus. * Et nos. ℣. Glória. † Allelúia. *Galat.* 2. *Rom.* 3.

LECTIO III.

Ex Libro tértio sancti Joannis Chrysóstomi Epíscopi de Sacerdótio. *Edit. Bened. n.* 6.

NOn in puniendo solùm, sed étiam in benefaciendo, majórem Sacerdótibus, quàm paréntibus, potestátem dedit Deus: tantaque est inter utrosque differéntia, quanta inter præsentem & futúram vitam. Nam illi quidem in hanc vitam, hi in futúram gignunt. Atque illi ne corporálem quidem intéritum à líberis amolíri possunt, non ingruentem morbum

depéllere; hi verò ægram & mox interitúram ánimã, sæpe servárunt; áliis remissiórem pœnam reddentes; álios prorsus labi non sinentes; idque non doctrínæ tantùm atque monitiónum, sed étiam oratiónum auxílio. Neque enim tantùm cùm nos regénerant; sed étiam post regeneratiónem admissa peccáta condonáre possunt. Nam infirmátur, inquit, quis in vobis; ádvocet Presbyteros Ecclésiæ, & orent super eo, ungentes eum óleo in nómine Dómini. Et orátio fidei salvábit infirmum; & excitábit eum Dóminus: & si peccáta fécerit, remittentur ei.

℟. Infirmátur quis in vobis? Indúcat Presbyteros Ecclésiæ, & orent super eum, ungentes eum óleo in nómine Dómini: * Et si in peccátis sit, remittentur ei. † Allelúia. ℣. Orátio fidei salvábit infirmum, & alleviábit eum Dóminus: * Et si. ℣. Glória. † Allelúia. *Jac.* 5.

Ad Benedíctus. *Ant.* Nunc liberáti à peccáto, servi autem facti Deo, habétis fructum vestrum in sanctificatiónem, finem verò vitam ætérnam. Allelúia. *Rom.* 6.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

DEus, in cujus præcípuis mirabílibus est humána reparátio, † solve ópera diáboli, & mortífera peccáti víncula disrumpe: * ut destructâ malignitáte quæ nócuit, vincat misericórdia, quæ redémit; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno, *Sess.* 14. *Can.* 1 & 2.

SI quis díxerit Extrémam-Unctiónem non esse verè & própriè Sacramentum à Christo Dómino nostro institútum, & à beáto Jacóbo Apóstolo promulgátum: sed ritùm tantùm acceptum à Pátribus, aut figmentum humánum. Non conferre grátiam, nec remíttere peccáta, nec alleviáre infirmos: sed jam cessasse, quasi olim tantùm fúerit grátia curatiónum; anáthema sit.

AD VESPERAS.

Antiphona unica ut in Psalterio.

LECTIO. *Osee*, 13.

DE manu mortis liberábo eos, † de morte rédimam eos. * Ero mors tua, ô mors: morsus tuus ero, inferne.

℟. *br.* & *Hymnus, ut suprà Sabbato in Albis. pag.* 360.

℣. Vivificábis nos, Dómine; ℟. Et nomen tuum invocábimus. *Ps.* 79.

Ad Magníficat. *Ant.* David appósitus est ad pa-

tres suos, & vidit corruptiónem. Quem verò Deus suscitávit à mórtuis, non vidit corruptiónem. Allelúia. *Act.* 13.

Collecta infrà ad Laudes, pag. 412.

DOMINICA III. POST PASCHA.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Christum Jesum qui est resurréctio & vita; * Veníte, adorémus. Allelúia. *Joan.* 11.

Hymnus, Adeste, *ut in die Pascha, suprà, pag.* 327.

Psalmi Nocturnorum cum Antiphonâ unicâ & ℣. *ut in Psalterio.*

IN I. NOCTURNO.

LECTIO I.

Ex Actibus Apostolórum. *Cap.* 15.

TUnc plácuit Apóstolis & senióribus cum omni Ecclésiâ, elígere viros ex eis, & míttere Antiochíam cum Paulo & Bárnabâ, Judam, qui cognominabátur Bársabas, & Silam viros primos in frátribus, scribentes per manus eórum: APOSTOLI & Senióres fratres, his, qui sunt Antiochíæ, & Syriæ, & Cilíciæ, frátribus ex Géntibus, salútem. Quóniam audívimus, quia quidam ex nobis exeuntes, turbavérunt vos verbis, everrentes ánimas vestras, quibus non mandávimus: plácuit nobis collectis in unum, elígere viros, & míttere ad vos cum caríssimis nostris Bárnabâ & Paulo, homínibus, qui tradidérunt ánimas suas pro nómine Dómini nostri Jesu Christi. Mísimus ergo Judam & Silam, qui & ipsi vobis verbis réferent eádem. Visum est enim Spirítui sancto & nobis, nihil ultrà impónere vobis óneris, quàm hæc necessária: ut abstineátis vos ab immolátis simulacrórum, & sánguine, & suffocáto, & fornicatióne; à quibus custodientes vos, bene agétis. Valéte.

℟. Per Christum vobis remíssio peccatórum annuntiátur ✠ & ab ómnibus quibus non potuístis in lege Móysi justificári, * In hoc omnis qui credit, justificátur. Allelúia. ℣. Hunc propósuit Deus propitiatiónem per fidem in sánguine ipsíus; * In hoc. *Act.* 13. *Rom.* 3.

LECTIO II.

ILli ergo dimíssi, descendérunt Antiochíam, & congregátâ multitúdine tradidérunt epístolam. Quam cùm legíssent, gavísi sunt super consolatióne.

autem & Silas, & ipsi cùm essent Prophétæ, verbo plúrimo consoláti sunt fratres, & confirmavérunt. Facto autem ibi aliquanto témpore, dimissi sunt cum pace à frátribus ad eos qui míserant illos.

℟. Glorificábant verbum Dómini Gentes: * Et credidérunt quotquot erant præordináti ad vitam ætérnam. Allelúia. ℣. Dissemi nabátur verbum Dómini, * Et. *Act.* 13.

LECTIO III.

VIsum est autem Silæ ibi remanére: Judas autem solus ábiit Jerúsalem. Paulus autem & Bárnabas demorabantur Antiochíæ, docentes, & evangelizantes cum áliis plúribus verbum Dómini. Post áliquot autem dies, dixit ad Bárnabam Paulus: Reverténtes visitémus fratres per universas civitátes in quibus prædicávimus verbum Dómini, quómodo se hábeant.

℟. Reversi sunt confirmantes ánimas discipulórum, * Exhortantesque eos ut permanérent in fide. Allelúia. ℣. Pertransíbant narrantes conversiónem Géntium, * Exhortantesque. *Act.* 14 & 15.

LECTIO IV.

BArnabas autem volébat secum assúmere & Joannem, qui cognominabátur Marcus. Paulus autem rogábat eum (ut qui discessisset ab eis de Pamphyliâ, & non îsset cum eis in opus) non debére récipi. Facta est autem dissénsio, ita ut discéderent ab ínvicem, & Bárnabas quidem assumpto Marco navigáret Cyprum. Paulus verò electo Silâ profectus est, tráditus grátiæ Dei à frátribus. Perambulábat autem Syriam & Cilíciam, confirmans Ecclésias: præcípiens custódire præcepta Apostolórum & seniórum.

℟. Cùm pertransírent civitátes, tradébant eis custodíre dógmata, quæ erant decréta ab Apóstolis, & senióribus; * Et Ecclésiæ confirmabantur fide, & abundábant número quotídiè. † Allelúia. ℣. Discípuli quoque replebantur gáudio, & Spíritu sancto. * Et Ecclésiæ. ℣. Glória. † Allelúia. *Act.* 16 & 13.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO V.

Ex Epístolâ primâ sancti Clementis Papæ & Mártyris ad Coríntbios. *Edit. Cotel. An.* 76. *n.* 24.

COnsiderémus, dilecti, quemádmodum Dóminus contínuè nobis ostendat resurrectiónem quæ futúra est; cujus primítias fecit Dóminum Jesum Christum,

stum, súscitans eum à mórtuis. Intueámur, dilecti, quæ omni témpore fit, resurrectiónem. Dies & nox resurrectiónem nobis declárant: cubat nox, exsurgit dies: dies abit, nox ádvenit. Respiciámus fruges; sementis quómodo fiat, ómnibus óbvium est: egressus est seminátor, & semen in terram jecit; atque jactis semínibus quæ árida & nuda cecidérunt in terram, témpore dissolvuntur; & post dissolutiónem, magna providéntiæ Dómini virtus resúscitat ea; ac ex uno multum fructũ profert & accúmulat.

℟. Christus resurrexit à mórtuis primítiæ dormiéntium. * Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. Allelúia. ℣. Per hóminem mors, & per hóminem resurréctio mortuórum. * Et sicut. *I. Cor.* 15.

LECTIO VI. *n.* 26.

AN magnum & admirábile esse arbitrámur, si ómnium rerum ópifex resúrgere fáciat eos qui sancte & in bonæ fidei confidéntiâ serviérunt illi? Dicit enim: Et suscitábis me, & confitébor tibi. Et, Dormívi & soporátus sum; & exsurrexi, quia tu mecum es. Ac rursum Jobus dicit: Et resuscitábis carnẽ meam hanc quæ ómnia hæc perpessa est.

℟. De manu mortis liberábo eos, de morte rédimam eos: * Ero mors tua, ô mors, morsus tuus ero, inferne. Allelúia. ℣. Cùm mortále hoc indúerit immortalitátem, tunc fiet sermo qui scriptus est: * Ero. *Osee*, 13. *I. Cor.* 15.

LECTIO VII. *n.* 27.

HAc ígitur spe, ánimi nostri ad eum adstringantur qui fidélis est in promissiónibus, & justus in judíciis. Qui ne mentiámur præcépit, multò magis ipse non mentiétur. Nihil quippe Deo impossíbile, prætorquam mentíri. Exsuscitétur ítaque in nobis fides ejus, & cogitémus quòd ómnia ipsi propinqua sunt. In verbo magnificéntiæ suæ constítuit ómnia, & in verbo potest illa evértere. Quis dicet ei: Quid fecisti? Aut quis resistet virtúti fortitúdinis ejus? Cùm vóluit ítaque, ut vóluit, ómnia cóndidit; neque quidquam ab eo decrétum, præteríbit. Universa coram ipso sunt, nihilque consílium ejus latet.

℟. Stímulus mortis peccátum est, virtus verò peccáti lex. * Deo autem grátias, qui dedit nobis victóriam per Dóminum nostrum Jesum Christum. Allelúia. ℣. Absorpta est mors in victóriâ: * Deo. *I. Cor.* 15.

LECTIO VIII. *n.* 28 & 29.

CUm ómnia ígitur videántur & audiántur, timeámus eum, & pravórum óperum impúras cupiditátes relinquámus, ut illíus misericórdiâ à futúris judíciis tegámur. Quò enim nostrûm áliquis à potente ejus manu fúgere potest? Quò abíbit quíspiam, vel quò aufúgiet, ab eo qui ómnia compléctitur? Accedámus ergo ad eum in sanctitáte ánimæ, castas & impollútas manus elevantes ad illum, diligentes benignum & misericordem patrem nostrũ, qui nos electiónis partem fecit sibi.

℟. In hoc Christus mórtuus est, & resurrexit, ut & mortuórum & vivórum dominétur. * Sive ergo vívimus, sive mórimur, Dómini sumus. † Allelúia. ℣. Nemo nostrûm sibi vivit, & nemo sibi móritur. Sive enim vívimus, Dómino vívimus; sive mórimur, Dómino mórimur; * Sive. ℣. Glória. † Allelúia. *Rom.* 14.

IN III. NOCTURNO.

Cantica, Ant. & ℣. *ut in die Pascha, pag.* 332.

LECTIO IX.

Ex Epístolâ primâ beáti Joannis Apóstoli. *Cap.* 2.

SCribo vobis, filíoli, quóniam remittuntur vobis peccáta propter nomen Jesu Christi. Scribo vobis, patres, quóniam cognovistis eum qui ab inítio est. Scribo vobis, adolescentes, quóniam vicistis malignum. Scribo vobis, infantes, quóniam cognovistis Patrem. Scribo vobis, júvenes, quóniam fortes estis, & verbum Dei manet in vobis, & vicistis malignum. Nolíte dílígere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis díligit mundum, non est cáritas Patris in eo: quóniam omne quod est in mundo, concupiscéntia carnis est, & concupiscéntia oculórum, & supérbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est. Et mundus transit, & concupiscéntia ejus. Qui autem facit voluntátem Dei, manet in æternum.

℟. Qui facit peccátum ex diábolo est. Omnis qui natus est ex Deo, peccátum non facit. * In hoc manifesti sunt filii Dei, & filii diáboli. Allelúia. ℣. Omnis qui non est justus, & qui non díligit fratrem suum, non est ex Deo. * In hoc. *I. Joan.* 3.

LECTIO X.

FIlíoli, novíssima hora est: & sicut audistis quia antichristus venit, & nunc antichristi multi facti sunt: unde scimus quia novíssima hora est. Ex nobis prodié-

sunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent útique nobiscum: sed ut manifesti sint quóniam non sunt omnes ex nobis. Sed vos unctiónem habétis à Sancto, & nostis ómnia. Non scripsi vobis quasi ignorántibus veritátem; sed quasi sciéntibus eam; & quóniam omne mendácium ex veritáte non est.

℟. Omnis iníquitas peccátum est: & est peccátum ad mortem. Scimus quia * Omnis qui natus est ex Deo, non peccat: sed generátio Dei consérvat eum, & malignus non tangit eum. Allelúia. ℣. Firmum fundamentum Dei stat, habens signáculum hoc: Cognóvit Dóminus qui sunt ejus, &: Discédat ab iniquitáte, omnis qui nóminat nomen Dómini. * Omnis. *I. Joan.* 5. *II. Tim.* 2.

LECTIO XI.

QUis est mendax, nisi is qui negat quóniam Jesus est Christus? Hic est antichristus qui negat Patrem, & Fílium. Omnis qui negat Fílium, nec Patrem habet: qui confitétur Fílium, & Patrem habet. Vos quod audistis ab inítio, in vobis permáneat: si in vobis permánserit quod audistis ab inítio, & vos in Fílio, & Patre manébitis. Et hæc est repromíssio, quam ipse pollícitus est nobis, vitam ætérnam. Hæc scripsi vobis de his qui sedúcunt vos.

℟. Scimus quóniam Fílius Dei venit, & dedit nobis sensum ut cognoscámus verum Deum, & simus in vero Fílio ejus. * Hic est verus Deus, & vita ætérna. Allelúia. ℣. Vitam ætérnam dedit nobis Deus. Et hæc vita in Fílio ejus est. * Hic. *I. Joan.* 5.

LECTIO XII.

ET vos unctiónem quam accepistis ab eo, máneat in vobis. Et non necesse habétis ut áliquis dóceat vos: sed sicut únctio ejus docet vos de ómnibus, & verum est, & non est mendácium. Et sicut dócuit vos, manéte in eo. Et nunc, filíoli, manéte in eo: ut cùm apparúerit, habeámus fidúciam, & non confundámur ab eo in adventu ejus.

℟. Ego sum vitis, vos pálmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: * Quia sine me nihil potestis fácere † Allelúia. ℣. Manéte in me; & ego in vobis: * Quia. ℣. Glória. † Allelúia. *Joan.* 15.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joannem.
Cap. 16.

DIxit Jesus discípulis suis: Módicum, & jam non vidébitis me: & íterum módicum, & vidébitis me: quia vado ad Patrem. Dixérunt ergo ex discípulis ejus ad ínvicem: Quid est hoc, quod dicit nobis: Módicum, & non vidébitis me; & íterum módicum, & vidébitis me: &, Quia vado ad Patrem? Dicébant ergo: Quid est hoc, quod dicit, Módicum? Nescímus quid lóquitur. Cognóvit autem Jesus, quia volébant eum interrogáre, & dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quia dixi: Módicum, & non vidébitis me; & íterum módicum, & vidébitis me. Amen, amen dico vobis: quia plorábitis & flébitis vos, mundus autem gaudébit: vos autem contristabímini; sed tristítia vestra vertétur in gáudium. Múlier cùm parit, tristítiam habet, quia venit hora ejus; cùm autem pepérerit púerum, jam non méminit pressúræ propter gáudium, quia natus est homo in mundum. Et vos ígitur nunc quidem tristítiam habétis, íterum autem vidébo vos, & gaudébit cor vestrum; & gáudium vestrum nemo tollet à vobis.

AD LAUDES.

Antiphona ut in Psalterio.

LECTIO. *I. Cor.* 15.

SI Christus prædicátur quòd resurrexit à mórtuis, quómodo quidam dicunt in vobis, quóniam resurréctio mortuórum non est? Si autem resurréctio mortuórum non est; neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inánis est ergo prædicátio nostra, inánis est & fides vestra.

℟. *br. & Hymnus, ut die Pascha, pag.* 336.

℣. Ad vésperum demorábitur fletus, ℟. Et ad matutínum lætítia. *Ps.* 29.

Ad Benedictus. *Ant.* Amen, amen dico vobis: quia plorábitis & flébitis vos, mundus autem gaudébit: vos autem contristabímini; sed tristítia vestra vertétur in gáudium, Allelúia. *Joan.* 16.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

DEus, qui in Fílii tui humilitáte jacentem mundum erexisti: † fidélibus tuis perpétuam concéde lætítiam; * ut quos perpétuæ mortis eripuisti cásibus, gáudiis fácias pérfrui sempitérnis; Per eumdem Dóminum.

AD HORAS, *Psalmi cum* Allelúia, *&c. ut in Psalterio.*

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Constitutiónibus quæ dicuntur Apostólicæ. *Lib. 5. Cap. 6. Sec. II. vel III.*

IPse nos excitábit à mórtuis Deus omnípotens, per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium suum, secundùm promissiónem suã certíssimam: excitábit, inquam, nos cum cæteris ómnibus, quicumque à primórdio séculi mórtui sunt, tales, quales modò sumus, & in hâc ipsâ formâ, quâ nunc consístimus, ita ut nihil mútilum aut mancum habeámus, aut corruptum, síquidem incorrupti & íntegri resurgémus.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Coloss.* 3.

SI consurrexístis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, † ubi Christus est in déxterâ Dei sedens; * quæ sursum sunt sápite, non quæ super terram.

℣. Eripuísti, Dómine, ánimam meam de morte; ℟. Ut pláceam coram Deo in lúmine vivéntium. *Ps.* 55.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Rom.* 6.

SI complantáti facti sumus similitúdini mortis ejus; simul & resurrectiónis érimus. † Hoc sciéntes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruátur corpus peccáti, * & ultrà non serviámus peccâto.

℣. Dómine, eduxísti ab inferno ánimam meam; ℟. Salvásti me à descendéntibus in lacum. *Ps.* 29.

AD NONAM.

LECTIO. *Rom.* 8.

SCimus quòd omnis creatúra ingemíscit, & párturit usque adhuc. † Non solùm autem illa, sed & nos ipsi primítias Spíritûs habentes; & ipsi intra nos gémimus, adoptiónem filiórum Dei exspectantes, redemptiónem córporis nostri. * Spe enim salvi facti sumus.

℣. Convertísti planctum meum in gáudium mihi; ℟. Conscidísti saccũ meum, & circumdedísti me lætítiâ. *Ps.* 29.

AD VESPERAS.

Antiphonæ ut in Psalterio.

LECTIO. *II. Cor.* 4.

QUod in præsenti est momentáneum & leve tribulatiónis nostræ, supra modum in sublimitáte ætérnum glóriæ pondus operátur in nobis, † non contemplántibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. * Quæ enim videntur, temporália sunt;

quæ autem non videntur, ætérna sunt.

℟. *br.* Cor meum & caro mea, * Allelúia, allelúia. ℟. Cor meum. ℣. Exsultavérunt in Deum vivum. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Cor meum. *Ps.* 83.

Hymnus ut in die Pascha, pag. 338.

℣. Lætáti sumus pro diébus quibus nos humiliásti; ℟. Annis quibus vídimus mala. *Psal.* 89.

Ad Magníficat. *Ant.* Nunc quidem trístitiam habétis, íterum autem vidébo vos, & gaudébit cor vestrum; & gáudium vestrum nemo tollet à vobis. Allelúia. *Joan.* 16.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

Ex Actibus Apostolórum. *Cap.* 16.

PErvénit autem Paulus Derben & Lystram. Et ecce discípulus quidam erat ibi nómine Timótheus, filius mulíeris Judææ fidélis, patre Gentíli. Huic testimónium bonum reddébant, qui in Lystris erant & Icónio fratres. Hunc vóluit Paulus secum proficísci: & assúmens, circumcídit eum, propter Judæos qui erant in illis locis. Sciébant enim omnes quòd pater ejus erat Gentílis. ¶ Cùm autem pertransírent civitátes, tradébant eis custodíre dógmata quæ erant decréta ab Apóstolis & senióribus, qui erant Jerosólymis. Et Ecclésiæ quidem confirmabantur fide, & abundábant número quotídie. Transeuntes autem Phrygiam & Galátiæ regiónem, vetáti sunt à Spíritu sancto loqui verbum Dei in Asiâ.

LECTIO II.

CUm venissent autem in Mysiam, tentábant ire in Bithyniam: & non permísit eos Spíritus Jesu. Cùm autem pertransissent Mysiam, descendérunt Tróadem: & vísio per noctem Paulo ostensa est: Vir Mácedo quidam erat stans, & déprecans eum, & dicens: Tránsiens in Macedóniam, ádjuva nos. ¶ Ut autem visum vidit, statim quæsívimus profiscísci in Macedóniam, certi facti quòd vocasset nos Deus evangelizáre eis. Navigantes autem à Tróade, recto cursu vénimus Samothráciam, & sequenti die Neápolim; & inde Philippos quæ est prima partis Macedóniæ cívitas, colónia. Erámus autem in hac urbe diébus áliquot conferentes.

℟. I. Scientes quòd non justificátur homo ex opéribus legis, nisi per fidem Jesu Christi: * Et nos in Christo Jesu crédimus, ut justificémur ex fide Christi. Allelúia. ℣. In

Christo Jesu neque circumcísio áliquid valet, neque præpútium, sed fides quæ per caritátem operátur.* Et nos. *Galat.* 2 & 5.

℟. II. Salus ab eis qui audiérunt, in nos confirmáta est, * Contestante Deo signis & portentis, & váriis virtútibus. Allelúia. ℣. Verbum Dómini crescébat, & multiplicabátur, * Contestante. *Hebr.* 2. *Act.* 12.

℟. III. Dixit Dóminus: Miserébor cui volúero, & clemens ero in quem mihi placúerit. * Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Allelúia. ℣. Cujus vult miserétur, & quem vult indúrat. * Igitur. *Exod.* 33. *Rom.* 9.

℟. IV. Magna & mirabília sunt ópera tua, Dómine Deus omnípotens: * Quóniam omnes Gentes vénient, & adorábunt in conspectu tuo. † Allelúia. ℣. Magnus es tu, & magnum nomen tuum in fortitúdine. Quis non timébit te, ô Rex Géntium; * Quóniam. ℣. Glória. † Allelúia. *Apoc.* 15. *Jerem.* 10.

LECTIO III.

Ex Libro secundo sancti Ambrósii Epíscopi, de fide resurrectiónis. *Edit. Bened. n.* 90, 102, 103.

SIcut primítiæ mortis in Adam, ita étiam primítiæ resurrectiónis in Christo, omnes resurgunt, sed nemo despéret, neque justus dóleat commúne consórtium resurgendi, cùm præcípuum fructum virtútis exspectet. Omnes quidem resurgent: sed unusquísque, ut ait Apóstolus, in suo órdine. Commúnis est divínæ fructus cleméntiæ, sed distinctus ordo meritórum. Advértimus quàm grave sit sacrilégium, resurrectiónem non crédere. Si enim non resúrgimus, ergo Christus non resurrexit. Si enim nobis non resurrexit; útique non resurrexit, qui sibi cur resúrgeret non habébat. Resurrexit in eo mundus, resurrexit in eo cœlum, resurrexit in eo terra; erit enim cœlum novum, & terra nova. Sibi autem ubi erat necessária resurréctio, quem mortis víncula non tenébant? Nam etsi secundùm hóminem mórtuus, in ipsis tamen erat liber infernis. Vis scire quàm liber. Et benè liber qui se póterat suscitáre, juxta quod scriptum est: Sólvite templum hoc, & in tríduo resuscitábo illud. Et bene liber qui álios descénderat redemptúrus.

℟. Gaudébit cor vestrū; *Et ossa vestra quasi herba germinábunt, & cognoscétur manus Dómini servis ejus. † Allelúia. ℣. Qui suscitávit Jesum Christum

ram: unam pértulit moriendo, & ostendit álteram resurgendo. Si ergo nobis mortálem vitam sciéntibus, resurrectiónem promítteret carnis, & tamen hanc visibíliter non exhibéret, quis ejus promissiónibus créderet? factus ítaque homo, appáruit in carne, mori dignátus est ex voluntáte; resurrexit ex potestáte, & ostendit exemplo quod nobis promísit in præmio. Si ergo membra nostri Redemptóris sumus, præsumámus in nobis quod gestum constat in cápite.

℟. De manu mortis liberábo eos, de morte rédimam eos: * Ero mors tua, ô mors; morsus tuus ero, inferne. † Allelúia. ℣. Cùm mortále hoc indúerit immortalitátem, tunc fiet sermo qui scriptus est; * Ero. ℣. Glória † Allelúia. *Osee*, 13. *I. Cor.* 15.

Ad Benedictus. *Ant.* Mundus transit, & concupiscéntia ejus; qui autem facit voluntátem Dei, manet in ætærnum. Allelúia. *I. Joan.* 2.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, † ut qui grátiam Domínicæ resurrectiónis agnóvimus, * ipsi per amórem Spirítûs à morte ánimæ resurgámus; Per eumdem.

CANON.

Ex Capitulári Gregórii Papæ secundi ad Martiniánum, &c. *An.* 715. *Cap.* 13.

DE spe Resurrectiónis futúræ ita instituantur Fidéles, ut eódē órdine, eádemque formâ, quâ ipse Dóminus resurrexit à mórtuis, omnes hómines resurrectúros esse non dúbitent in eódem córpore in quo sumus & vívimus; non natúram aut sexum mutantes, sed tantùm fragilitátem & vítia deponentes.

Ad Magníficat. *Ant.* Adhuc módicum, & mundus me jam non videt: vos autem vidétis me, quia ego vivo, & vos vivétis. Allelúia. *Joan.* 14.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

Ex Actibus Apostolórum. *Cap.* 16.

MEdiâ autem nocte, Paulus & Silas orantes laudábant Deum: & audiébant eos qui in custódiâ erant. Súbitò verò terræmótus factus est magnus, ita ut moverentur fundamenta cárceris. Et statim apertæ sunt ómnia óstia: & universórum víncula solúta sunt. Expergefactus autem custos cárceris, & videns jánuas apertas cárceris, evagináto gládio vo-

lebat se interfícere, æstimans fugisse vinctos. ¶ Clamávit autem Paulus voce magnâ, dicens: Nihil tibi mali féceris: universi enim hìc sumus. Petitóque lúmine, introgressus est: & tremefactus prócidit Paulo & Silæ ad pedes: & prodúcens eos foràs, ait: Dómini, quid me oportet fácere, ut salvus fiam? At illi dixérunt: Crede in Dóminum Jesum: & salvus eris tu, & domus tua. Et locúti sunt ei verbum Dómini, cum ómnibus qui erant in domo ejus. Et tollens eos in illâ horâ noctis, lavit plagas eórum: & baptizátus est ipse, & domus ejus contínuò.

LECTIO II.

CUmque perduxisset eos in domum suam, appósuit eis mensam, & lætátus est cum omni domo suâ credens Deo. Et cùm dies factus esset, misérunt magistrátus lictóres, dicentes: Dimitte hómines illos. Nuntiávit autem custos cárceris verba hæc Paulo: Quia misérunt magistrátus ut dimittámini; nunc ígitur exeuntes, ite in pace. ¶ Paulus autem dixit eis: Cæsos nos públicè, indemnátos, hómines Romános misérunt in cárcerem, & nunc occultè nos ejíciunt? Non ita: sed véniant, & ipsi nos ejíciant. Nuntiavérunt autem magistrátibus lictóres verba hæc. Timuerúntque audíto quòd Románi essent: & venientes deprecáti sunt eos; & educentes rogábant ut egrederentur de urbe. Exeuntes autem de cárcere, introiérunt ad Lydiam: & visis frátribus consoláti sunt eos, & profecti sunt.

℟. I. Immittet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum, * Et erípiet eos. Allelúia. ℣. Cognóvit Dóminus qui sunt ejus. * Et erípiet. *Ps.* 33. *II. Tim.* 2.

℟. II. Annuntiámus vobis ab his vanis convérti * Ad Deum vivum qui fecit cœlum & terram. Allelúia. ℣. Salvámini à generatióne istâ pravâ, * Ad Deum. *Act.* 14 & 2.

℟. III. Immitte timórem tuum, Dómine, super Gentes quæ non exquisiérunt te, * Ut cognoscant quia non est Deus nisi tu, & enarrent mirabília tua. Allelúia. ℣. Da servis tuis cum omni fidúciâ loqui verbum tuum, & signa & prodígia fieri per nomen Jesu. * Ut. *Eccli.* 36. *Act.* 4.

℟. IV. Quicumque non recéperit vos, neque audíerit sermónes vestros; exeuntes foràs de domo, vel civitáte, excútite púlverem de pédibus vestris in testimónium super illos. * Amen dico vobis, tole-

rabílius erit terræ Sodomórum & Gomorrhæórum in die judícii, quàm illi civitáti. † Allelúia. ℣. Cùm persequentur vos in civitáte istâ, fúgite in áliam. * Amen. ℣. Glória. † Allelúia. *Matth.* 10. *Luc.* 9.

LECTIO III.

Ex Tractátu sancti Augustíni Epíscopi super Psalmos. *In Ps.* 148. *n.* 1.

INstitúta est nobis celebrátio duórum témporum, ante Pascha & post Pascha. Illud quod est ante Pascha, signíficat tribulatiónem, in quâ modò sumus: quod verò nunc ágimus post Pascha, signíficat beatitúdinem, in quâ póstea érimus. Quo témpore significátur vita futúra, quam nondum tenémus; quia quod significámus post resurrectiónem Dómini, tenébimus post resurrectiónem nostram, in cápite enim nostro utrumque figurátum est, utrumque demonstrátum est. Pássio Dómini osténdit nobis vitam præséntis necessitátis; quia opórtet laboráre, & tribulári, & ad extrémum mori. Resurréctio verò & clarificátio Dómini osténdit nobis vitam, quam acceptúri sumus, cùm vénerit retribúere digna dignis, mala malis, bona bonis. Et quidem modò mali omnes cantáre nobíscum possunt: Allelúia: Si autem in malítiâ perseveráverint, cánticum vitæ nostræ futúræ lábiis dícere póterunt; ipsam verò vitam quæ tunc erit in eâ veritáte, quæ nunc significátur, obtinére non possunt; quia noluérunt meditári ántequàm veníret, & tenére quod ventúrum erat.

℟. Ecce ego apériam túmulos vestros, * Et edúcam vos de sepulcris vestris, pópulus meus; † Allelúia. ℣. Ego sum resurréctio & vita: qui credit in me étiamsi mórtuus fúerit, vivet: * Et. ℣. Glória. † Allelúia. *Ezech.* 37. *Joan.* 11.

Ad Benedíctus. *Ant.* In mundo pressúram habébitis; sed confídite: ego vici mundum. Allelúia. *Joan.* 16.

COLLECTA. *Sacr. Gall.*

OMnípotens sempitérne Deus, qui pópulum tuum Unigéniti tui sánguine redemísti, † solve víncula peccatórum nostrórum, * ut qui ætérnam vitam in confessióne tui nóminis sunt adepti, nihil débeant mortis autóri; Per eúmdem.

CANON.

Ex Concílio Bituricensi. *An.* 1584. *Tit.* 16. *Can.* 1.

REsurréctio mortuórum fidúcia est Christianórum; & radix bonæ opera-

tiónis, fides est resurrectiónis.

Ad Magníficat. *Ant.* Deus omnis grátiæ, qui vocávit nos in æternam suã glóriam in Christo Jesu, módicum passos ipse perfíciet. Allelúia. *I. Petr.* 5.

FERIA QUINTA.

Lectio I.

Ex Actibus Apostolórum.

Cap. 17.

CUm autem perambulassent Amphípolim, & Apollóniam, venérunt Thessalónicam, ubi erat synagóga Judæórum. Secundùm consuetúdinem autem Paulus introívit ad eos, & per sábbata tria disserébat eis de Scriptúris, adapériens & insínuans quia Christum opórtuit pati, & resúrgere à mórtuis: & quia hic est Jesus Christus, quem ego annúntio vobis. ¶ Et quidam ex eis credidérunt, & adjuncti sunt Paulo & Silæ, & de coléntibus, Gentilibusque multitúdo magna, & mulíeres nóbiles non paucæ. Zelantes autem Judæi, assumentesque de vulgo viros quosdam malos, & turbâ factâ, concitavérunt civitátem: & adsistentes dómui Jásonis, quærébant eos prodúcere in pópulum.

Lectio II.

ET cùm non invenissent eos, trahébant Jásonem & quosdam fratres ad príncipes civitátis, clamantes, Quóniam hi qui urbem concitant, & huc venérunt: quos suscépit Jason, & hi omnes contra decréta Cæsaris fáciunt, regem álium dicentes esse, Jesum. Concitavérunt autem plebem, & príncipes civitátis audientes hæc. Et accepta satisfactióne à Jásone, & à cæteris, dimisérunt eos. ¶ Fratres verò conféstim per noctem dimisérunt Paulum & Silam in Berœam: qui cùm venissent, in synagógam Judæórum introiérunt. Hi autem erant nobilióres eórum qui sunt Thessalónicæ, qui suscepérunt verbum cum omni aviditáte, quotídie scrutantes Scriptúras, si hæc ita se habérent. Et multi quidem credidérunt ex eis, & mulíerum Gentílium honestárum, & viri non pauci.

℟. I. Quæ ad patres nostros repromíssio facta est, hanc Deus adimplévit, resúscitans Jesum, * Sicut scriptum est: Fílius meus es tu, ego hódie génui te. Allelúia. ℣. Dóminum & Christum fecit Deus, hunc Jesum, quem vos crucifixistis. * Sicut. *Act.* 13. & 2.

℟. II. Vobis oportébat primùm loqui verbum Dei: sed quóniam repéllitis illud, & indignos vos judicátis æternæ vitæ, * Ecce

convértimur ad Gentes. Allelúia. ℣. Sic præcépit nobis Dóminus: Pósui te in lucem Géntium. * Ecce. *Act.* 13.

℟. III. Odórem notítiæ suæ manifestat Deus per nos in omni loco: quia * Christi bonus odor sumus Deo: áliis quidem odor mortis in mortem: áliis autem odor vitæ in vitam. Allelúia. ℣. Glorificábant Gentes verbum Dómini: Judæi autem excitavérunt persecutiónem in Paulum. * Christi. *II. Cor.* 2. *Act.* 13.

℟. IV. Audientes Gentes gavísæ sunt, * Et credidérunt quotquot erant præordináti ad vitam ætérnam. † Allelúia. ℣. Dissemina bátur verbum Dómini. * Et. ℣. Glória. † Allelúia. *Act.* 13.

LECTIO III.

Ex Libro quinto sancti Irenæi Epíscopi & Mártyris contra hæreses. *Edit. Bened. Sec. II. Cap.* 2.

QUando & mixtus calix, & factus panis pércipit verbum Dei, & fit Eucharístia sánguinis & córporis Christi, ex quibus augétur & consistit carnis nostræ substántia; quómodo carnem negant capácem esse donatiónis Dei, quæ est vita ætérna, quæ sánguine & córpore Christi nutrítur & membrum ejus est? Quemádmodum & beátus Apóstolus ait; in eâ quæ est ad Ephésios Epístolâ: Quóniam membra sumus córporis ejus, de carne ejus, & de óssibus ejus: non de spirituáli áliquo & invisíbili hómine dicens hæc; spíritus enim neque ossa, neque carnes habet: sed de eâ dispositióne, quæ est secúndum verum hóminem, quæ ex cárnibus & nervis, & óssibus consistit; quæ de cálice qui est sanguis ejus, nutrítur, & de pane quod est corpus ejus, augétur. Et quemádmodum lignum vitis depósitum in terram suo fructíficat témpore, & granum trítici décidens in terram, & dissolútum, múltiplex surgit per Spíritum Dei, qui cóntinet ómnia: quæ deinde, per sapiéntiam in usum hóminis véniunt, & percipiéntia verbum Dei Eucharístia fiunt, quod est corpus & sanguis Christi: sic & nostra córpora ex eâ nutríta & repósita in terram, & resolúta in eâ, resurgent in suo témpore, Verbo Dei resurrectiónem eis donante in glóriam Dei Patris, qui huic mortáli immortalitátem circumdat, & corruptíbili incorruptélam gratúitò donat.

℟. Scio quòd Redemptor meus vivit, & in novíssimo die de terrâ surrectúrus sum, * Et in carne

meâ vidébo Deum meum. ☩ Allelúia. ℣. Oportet corruptíbile hoc indúere incorruptiônem, & mortále hoc indúere immortalitátem, * Et in. ℣. Glória. ☩ Allelúia. *Job.* 19. *I. Cor.* 15.

Ad Benedictus. *Ant.* Audistis quia ego dixi vobis: Vado & vénio ad vos. Dixi vobis priusquam fiat: ut cùm factum fúerit, credátis. Allelúia. *Joan.* 14.

COLLECTA. *Sacr. Leon.*

OMnípotens & miséricors Deus, ad cujus beatitúdinem sempiternam, non fragilitáte carnis, sed alacritáte mentis ascénditur, † fac nos átria supernæ civitátis & te inspirante semper ambíre, * & tuâ indulgéntiâ fidenter intráre; Per Dóminum.

C A N O N.

Ex Constitutiónibus quæ dicuntur Apostólicæ. *Lib.* 5. *Cap.* 6.

SIve in mari interiérimus, sive per terram dispersi ac dijecti, sive à béstiis vel ávibus discerpti fuérimus, excitábit nos Deus suâ poténtiâ, quia universum manu Dei continétur. Itaque qui prima córpora ex níhilo effécit, & ex ipsis corpóribus vária fabricátus est, idem mórtuos revivíscere fáciet eos excitando.

Ad Magníficat. *Ant.* In illo die vos cognoscétis: quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Allelúia. *Joan.* 14.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

Ex Actibus Apostolórum. *Cap.* 17.

PAulus autem cùm Athénis Silam & Timótheum exspectáret, incitabátur spíritus ejus in ipso, videns idololátriæ déditam civitátem. Disputábat ígitur in synagógâ cum Judæis, & coléntibus, & in foro, per omnes dies, ad eos qui áderant. Quidam autem Epicuréi, & Stóici philósophi disserébant cum eo, & quidam dicébant: Quid vult seminivérbius hic dícere? Alii verò: Novórum dæmoniórum vidétur annuntiátor esse; quia Jesum & resurrectiónem annuntiábat eis. ¶ Et apprehensum eum ad Areópagum duxérunt, dicentes: Póssumus scire quæ est hæc nova, quæ à te dícitur, doctrína? Nova enim quædam infers áuribus nostris: vólumus ergo scire quidnam velint hæc esse. (Athenienses autem omnes, & ádvenæ hóspites, ad nihil áliud vacábant, nisi aut dícere, aut audíre áli[...] novi.)

LECTIO II.

STans autem Paulus in médio Areópagi, ait: Viri Athenienses per ómnia quasi superstitiosióres vos vídeo. Prætériens enim, & videns simulácra vestra, invéni & aram, in quâ scriptum erat: IGNOTO DEO. Quod ergo ignorantes cólitis, hoc ego annúntio vobis. Deus, qui fecit mundum & ómnia quæ in eo sunt, hic cœli & terræ cùm sit Dóminus, non in manufactis templis hábitat, nec mánibus humánis cólitur índigens áliquo, cùm ipse det ómnibus vitam, & inspiratiónem, & ómnia. Fecitque ex uno omne genus hóminum inhabitáre super universam fáciem terræ, definiens statúta témpora, & términos habitatiónis eórum, quærere Deum, si fortè adtrectent eum, aut invéniant: quàmvis non longè sit ab unoquóque nostrûm. In ipso enim vívimus, & movémur, & sumus: sicut quidam vestrórum Poetárum dixérunt: Ipsius enim & genus sumus. Genus ergo cùm simus Dei, non debémus æstimáre auro, aut argento, aut lápidi, sculptúræ artis & cogitatiónis hóminis, Divínum esse símile. Et témpora quidē hujus ignorántiæ despíciens Deus, nunc annúntiat homínibus, ut omnes ubíque pœniténtiam agant, eo quòd státuit diem, in quo judicatúrus est orbem in æquitáte, in Viro, in quo státuit, fidem præbens ómnibus, súscitans eum à mórtuis. ¶ Cùm audissent autem resurrectiónem mortuórum, quidam quidem irridébant, quidam verò dixérunt: Audiémus te de hoc íterum. Sic Paulus exívit de médio eórum. Quidam verò viri adhærentes ei, credidérunt: in quibus & Dionysius Areopagita, & múlier nómine Dámaris, & álii cum eis.

℞. I. Dóminus Deus verus est: ipse Deus vivens, & Rex sempitérnus. * Dii qui cœlos & terram non fecérunt, péreant de terrâ. Allelúia. ℣. Annuntiámus vobis ab his vanis converti ad Deum vivum qui fecit cœlum & terram. * Dii. *Jerem.* 10. *Act.* 14.

℞. II. Quod notum est Dei, manifestum est in homínibus. Deus enim illis manifestávit; * Sempiterna quoque ejus virtus & divínitas: ita ut sint inexcusábiles. Allelúia. ℣. A magnitúdine speciéi & creatúræ cognoscibíliter póterit Creátor horum vidéri. * Sempiterna. *Rom.* 1. *Sap.* 13.

℞. III. Oculi Dei super vias hóminum, & omnes gressus eórum consíderat. * Non sunt ténebræ, &

non est umbra mortis, ut abscondantur ibi qui operantur iniquitátem. Allelúia. ℣. In ipso vívimus, movémur & sumus. * Non sunt. *Job.* 34. *Act.* 17.

℟. IV. Jesum à Názareth suscitávit Deus tértiâ die, & præcépit nobis testificári, * Quia ipse est qui constitútus est à Deo judex vivórum & mortuórum. † Allelúia. ℣. Dabit impérium regi suo, & sublimábit cornu Christi sui. * Quia. ℣. Glória. † Allelúia. *Act.* 10. *I. Reg.* 2.

LECTIO III.

Ex Enchirídio sancti Augustíni Epíscopi. *Edit. Bened. Cap.* 91.

RESurgent Sanctórum córpora sine ullo vítio, sine ullâ deformitáte, sicut sine ullâ corruptióne, ónere, difficultáte : in quibus tanta facílitas, quanta felícitas erit. Propter quod & spirituália dicta sunt, cùm procul dúbio córpora sint futúra, non spíritus : sed sicut nunc corpus animále dícitur, quod tamen corpus, non ánima est : ita nunc spiritále corpus erit, corpus tamen, non spíritus erit. Proinde quantum ádtinet ad corruptiónem, quæ nunc ággravat ánimam; & ad vítia, quibus caro advérsùs spíritum concupíscit, tunc non erit caro, sed corpus : quia & cœléstia córpora perhibentur. Quantùm autem ádtinet ad substántiam, étiam tunc caro erit. Propter quod & post resurrectiónem, corpus Christi, caro appelláta est. Sed ídeò ait Apóstolus : Seminátur corpus animále, resurget corpus spiritále : quóniam tanta erit tunc concórdia carnis & spíritûs, vivificante spíritu sine sustentáculi alicújus indigéntiâ súbditam carnem, ut nihil nobis repugnet ex nobis; sed sicut néminem, ita nec intus nos ipsos patiámur inimícos.

℟. Evigilábunt in vitam ætérnam, * Et fulgébunt quasi splendor firmamenti, & quasi stellæ in perpétuas æternitátes. † Allelúia. ℣. Stella à stellâ differt in claritáte : sic & resurréctio mortuórum. Seminátur in corruptióne, surget in incorruptióne; seminátur in ignobilitáte, surget in glóriâ; * Et fulgébunt. ℣. Glória. † Allelúia. *Dan.* 12. *I. Cor.* 15.

Ad Benedictus. *Ant.* Qui sumus in hoc tabernáculo, ingemíscimus graváti, eo quòd nólumus exspoliári, sed supervestíri, ut absorbeátur quod mortále est, à vitâ. Allelúia. *II. Cor.* 5.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

PAschálibus remédiis, tibi plácitam, Deus noster, pópulo tuo tribue

voluntátem : † quia tunc illi prósperа cuncta præstábis ; * cùm tuis aptum féceris institútis ; Per Dóminum.

CANON.

Ex Constitutiónibus quæ dicuntur Apostólicæ.

Lib. 5. Cap. 6.

CRédimus resurrectiónem futúram vel ex ipsâ resurrectióne Dómini. Ipse enim est, qui Lázarum jam quarto die mórtuum suscitávit, & filiam Jáïri, ac filium víduæ. Et qui se ipse jussu Patris post tríduum excitávit, qui est arrhábo resurrectiónis nostræ ; Ego enim, inquit, sum resurréctio & vita.

Ad Magníficat. *Ant.* In Christo exsultábitis, módicum nunc si oportet contristári in váriis tentatiónibus ; reportantes finem fidei vestræ, salútem animárum. Allelúia. *I. Petr.* 1.

SABBATO.

LECTIO I.

Ex Actibus Apostolórum.

Cap. 18.

POst hæc egressus Paulus ab Athénis, venit Corinthum : & invéniens quemdam Judæum nómine Aquilam, Pónticum génere, qui nuper vénerat ab Itáliâ, & Priscillam uxórē ejus, (eo quòd præcepisset Cláudius discédere omnes Judæos à Româ) accessit ad eos. Et quia ejusdem erat artis, manébat apud eos, & operabátur : (erant autem scenofactóriæ artis.) Et disputábat in synagógâ per omne sábbatum, interpónens nomen Dómini Jesu, suadebatque Judæis & Græcis. ¶ Cùm venissent autem de Macedóniâ Silas & Timótheus, instábat verbo Paulus, testíficans Judæis esse Christū Jesum. Contradicéntibus autē eis, & blasphemántibus, excútiens vestimenta sua, dixit ad eos : Sanguis vester super caput vestrum : mundus ego, ex hoc ad Gentes vadam.

Responsoria ut suprà, Feriâ V. pag. 421.

LECTIO II.

ET migrans inde, intrávit in domum cujusdam, nómine Titi Justi, colentis Deum, cujus domus erat conjuncta synagógæ. Crispus autem archisynagógus crédidit Dómino cum omni domo suâ : & multi Corinthiórum audientes credébant, & baptizabantur. ¶ Dixit autem Dóminus nocte per visiónem Paulo : Noli timére, sed lóquere, & ne táceas : propter quod ego sum tecum : & nemo apponétur tibi ut nóceat te : quóniam pópulus est mihi multus in hâc civitáte. Sedit autem ibi annum & sex menses, docens apud eos verbum Dei.

LECTIO III.

Ex Enchirídio sancti Augustíni Epíscopi. *Edit. Bened. Cap.* 92, 93 & 94.

QUicumque ab illâ perditiónis massâ, quæ facta est per hóminem primum, non liberantur per unum Mediatórem Dei & hóminum, resurgent quidem étiam ipsi unusquísque cum suâ carne, sed ut cum diábolo & ángelis ejus puniantur. Mitíssima sanè ómnium pœna erit eórum, qui præter peccátum, quod originále traxérunt, nullum ínsuper addidérunt: & in cæteris qui addidérunt, tantò quisque tolerabilió-rem ibi habébit damnatiónem, quantò hìc minórem hábuit iniquitátem. Remanéntibus ítaque ángelis & homínibus réprobis in ætenâ pœnâ, tunc Sancti scient pléniùs quid boni eis contúlerit grátia. Tunc rebus ipsis evidéntiùs apparébit quod in Psalmo scriptum est: Misericórdiam, & judícium cantábo tibi, Dómine: quia nisi per indébitam misericórdiam nemo liberátur, & nisi per débitum judícium nemo damnátur.

℟. Qui dórmiunt in terræ púlvere, * Evigilábunt álii in vitam ætérnam, & álii in oppróbrium, ut vídeant semper. † Allelúia. ℣. Procédent qui bona fecérunt, in resurrectiónem vitæ; qui verò mala, in resurrectiónem judícii; * Evigilábunt. ℣. Glória. † Allelúia. *Dan.* 12. *Joan.* 5.

Ad Benedictus. *Ant.* Ne lætéris, inimíca mea, super me, quia cécidi: consurgam, cùm sédero in ténebris: Dóminus lux mea est. Allelúia. *Mich.* 7.

COLLECTA. *Miss. Ambr.*

OMnípotens sempitérne Deus, qui in ómnium óperum tuórum dispensatióne es mirábilis; † intélligant redempti tui non fuisse excelléntius quòd ab inítio factus est mundus, * quàm quòd in fine seculórum Pascha nostrum immolátus est Christus; Qui tecum.

CANON.

Ex Constitutiónibus quæ dicuntur Apostólicæ. *Lib.* 5. *Cap.* 6.

SI homo est à Deo per Christum effectus, profectò post mortem quoque per eum resurget, aut pro rectè factis coronandus, aut pro delictis puniendus. Si enim justítiâ júdicat ut Legislátor, sicut Deus ímpios pœnis áfficit; sic rursùs fidéles benignè servat, Sanctósque, qui propter eum cæsi sunt & jugulati, partìm quidem tamquàm astra claros, partìm verò tamquàm luminária spléndidos effíciet.

AD VESPERAS.

Antiphona unica ut in Psalterio.

LECTIO. *II. Petr.* 1.

GRátia vobis & pax adimpleátur in cognitióne Dei, & Christi Jesu Dómini nostri : † quómodo ómnia nobis divínæ virtútis suæ, quæ ad vitam & pietátem donáta sunt, per cognitiónem ejus, qui vocávit nos própriâ glóriâ & virtúte ; * per quem máxima & pretiósa nobis promissa donávit.

℟. *br. & Hymnus ut suprà Sabbato in Albis,* *pag.* 360.

℣. Confitébimur & invocábimus nomen tuum, Dómine. ℟. Narrábimus mirabília tua. *Ps.* 74.

Ad Magníficat. *Ant.* Nos testes sumus ómnium quæ fecit Jesus in regióne Judæórum, & Jerúsalem, quem occidérunt, suspendentes in ligno. Hunc Deus suscitávit tértiâ die. Allelúia. *Act.* 10.

Collecta infrà ad Laudes, pag. 434.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Christum Jesum qui est Via, & Véritas, & Vita ; * Veníte, adorémus. Allelúia. *Joan.* 14.

Hymnus, Adeste. *ut in die Pascha, suprà, pag.* 327.

Psalmi Nocturnorum cum unicâ Antiphonâ & ℣. *ut in Psalterio.*

IN I. NOCTURNO.

LECTIO I.

Ex Actibus Apostolórum. *Cap.* 19.

FActum est autem, cùm Apollo esset Corinthi, ut Paulus peragrátis superióribus pártibus veníret Ephesum. Introgressus autem synagógam, cum fidúciâ loquebátur per tres menses, dísputans, & suádens de regno Dei. Cùm autem quidam indurarentur, & non créderent, maledicentes viam Dómini coram multitúdine, discédens ab eis, segregávit discípulos, quotídie dísputans in scholâ tyranni cujusdam.

℟. Vobis oportébat primùm loqui verbum Dei : sed quóniam repéllitis illud, & indignos vos judicátis ætérnæ vitæ, * Ecce convértimur ad Gentes. Allelúia. ℣. Sanguis vester super caput vestrum. * Ecce. *Act.* 13 & 18.

LECTIO II.

HOc autem factum est per biénnium, ita ut omnes, qui habitábant in

Asiâ, audírent verbum Dómini, Judæi atque Gentíles. Virtutésque non quáslibet faciébat Deus per manum Pauli: ita ut étiam super lánguidos deferréntur à córpore ejus sudária, & semicínctia, & recedébant ab eis languóres, & spíritus nequam egrediebántur.

℟. Neque herba, neque malagma sanávit eos: sed tuus, Dómine, sermo qui sanat ómnia: * Misericórdia enim tua advéniens sanábat illos. Allelúia. ℣. Concurrébat multitúdo vicinárum civitátum afferentes ægros, & vexátos à spirítibus immundis; qui curabántur omnes; * Misericórdia. *Sap.* 16. *Act.* 5.

LECTIO III.

TEntavérunt autem quidam & de circumeúntibus Judæis exorcístis, invocáre super eos, qui habébant spíritus malos, nomen Dómini Jesu, dicentes: Adjúro vos per Jesum, quem Paulus prædicat. Erant autem quidam Judæi Scævæ príncipis sacerdótum septem filii, qui hoc faciébant. Respondens autem spíritus nequam dixit eis: Jesum novi, & Paulum scio: vos autem qui estis? Et insíliens in eos homo, in quo erat dæmónium péssimum, & dominátus ambórum, inváluit contra eos, ita ut nudi, & vulneráti effúgerent de domo illâ.

℟. Non est símilis tuî, Dómine; magnus es tu, *Et magnum nomen tuum in fortitúdine. Allelúia. ℣. Quis non timébit te, Dómine? quóniam judícia tua manifesta sunt; * Et. *Jerem.* 10. *Apoc.* 15.

LECTIO IV.

HOc autem notum factum est ómnibus Judæis, atque Géntibus, qui habitábant Ephesi: & cécidit timor super omnes illos, & magnificabátur nomen Dómini Jesu. Multíque credéntium veniébant confiténtes, & annuntiántes actus suos. Multi autem ex eis, qui fúerant curiósa sectáti, contulérunt libros, & combussérunt coram ómnibus: & computátis prétiis illórum, invenérunt pecúniam denariórum quinquaginta míllium. Ita fórtiter crescébat verbum Dei, & confirmabátur.

℟. Fiébat omni ánimæ timor: multa quoque prodígia & signa per Apóstolos fiébant: * Dóminus autem augébat qui salvi fierent quotídie in idipsum. † Allelúia. ℣. Glorificábant Gentes verbum Dómini; * Dóminus. ℣. Glória. † Allelúia. *Act.* 2 & 13.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO V.

Ex Libro sancti Basílii Epíscopi de Spíritu sancto. *Edit. Bened. Cap.* 27, *n.* 66.

EX asservátis in Ecclésiâ dogmátibus & prædicatiónibus, ália quidem habémus è doctrínâ scripto próditâ, ália verò nobis in mystério trádita recépimus ex Traditióne Apostolórum; quorũ útraque vim eamdem habent ad pietátem; nec iis quisquam contradícet; nullus certè, qui vel ténui experiéntiâ nóverit quæ sint Ecclésiæ institúta. Nam si consuetúdines quæ scripto próditæ non sunt, tamquàm haud multum habentes momenti aggrediámur rejícere, imprudentes Evangélium in ipsis rebus præcípuis lædémus, imò pótiùs prædicatiónem ad nudum nomen contrahémus.

℟. Quæ audisti à me per multos testes; * Hæc commenda fidélibus homínibus qui idónei erunt & álios docére. Allelúia. ℣. Quanta mandávit Dóminus pátribus nostris nota fácere ea filiis suis, ut cognoscat generátio áltera. * Hæc. *II. Tim.* 2. *Ps.* 77.

LECTIO VI.

UT ejus quod primum est & vulgatíssimum primo loco commémorem: ut signo Crucis eos qui spem cóllocant in Christo signémus, quis scripto dócuit? Ut ad Orientem versi precémur, quæ nos dócuit Scriptúra? Invocatiónis verba, cùm conficitur panis Eucharístiæ & póculum benedictiónis, quis sanctórum in scripto nobis relíquit? Nec enim his contenti sumus, quæ commémorat Apóstolus aut Evangélium, verùm ália quoque & ante & post dícimus, tamquàm multum habéntia momenti ad mystérium, quæ ex Traditióne non scriptâ accépimus. Benedícimus autem & aquam baptísmatis, & óleum unctiónis, imò ipsum étiam qui baptismum áccipit. Ex quibus scriptis? Nonne à tácitâ secretâque Traditióne? Nonne ex mínimè publicátâ & arcánâ hâc doctrínâ, quam Patres nostri siléntio quiéto miniméque curióso servárunt?

℟. Quanta audívimus & cognóvimus ea, & * Patres nostri narravérunt nobis, non sunt occultáta à filiis eórum. Allelúia. ℣. Hæc mandávit Dóminus Deus: Erunt verba quæ ego præcípio tibi in corde tuo, & narrábis ea filiis tuis. * Patres. *Ps.* 77. *Deut.* 6.

LECTIO VII.

HÆc est rátio, cur quædam citra scriptum trádita sint, ne dógmatum

notítia neglecta, propter assuetúdinem vulgo veníret in contemptum. Aliud utique est dogma, áliud prædicátio. Nam dógmata silentur, prædicatiónes verò publicantur. Est autem siléntii spécies étiam obscúritas quâ útitur Scriptúra, intelléctu difficilem reddens dógmatum senténtiam, idque ad legéntium utilitátem. Hanc ob causam omnes spectámus ad Orientem, cùm precámur: pauci tamen nóvimus, quod id facientes antíquam requírimus pátriam, vidélicet paradísum, quem plantávit Deus in Eden ad Orientem.

℟. Fácies quodcumque díxerint qui præsunt loco quem elégerit Dóminus, & docúerint te juxta legem ejus. * Sequerísque senténtiam eórum, nec declinábis ad déxteram neque ad sinistram. Allelúia. ℣. Spíritus sanctus pósuit Epíscopos régere Ecclésiã Dei: * Sequerísque. *Deut.* 17. *Act.* 20.

LECTIO VIII, *n.* 67.

DEficiet me dies, si Ecclésiæ mystéria citra scriptum trádita pergam recensére. Omitto cætera: ipsam fidei professiónem in Patrem, & Filium, & Spíritum sanctum, è quibus habémus scriptis? Etenim si quóniam ex baptismi traditióne, juxta pietátis consequutiónem, ut baptizámur, ita & crédere debémus, símilem baptismo professiónem exhibémus; concédant étiam nobis, ut juxta eamdem consequéntiam glorificatiónem fidei consímilem persolvámus. Quòd si glorificandi modum véluti scripto non tráditum rejíciunt, próferant nobis & professiónis fidei & cæterórum quæ commemorávimus probatiónem ex Scriptúris.

℟. Deus vocávit vos per Evangélium in acquisitiónem glóriæ Dómini nostri Jesu Christi: * Itaque, fratres, state & tenéte traditiónes, quas didicistis, sive per sermónem, sive per epístolam nostram. * Allelúia. ℣. Omne exsecramentum erróris odit Dóminus, & non erit amábile timéntibus eum; * Itaque. ℣. Glória. † Allelúia. *II. Thess.* 2. *Eccli.* 15.

IN III. NOCTURNO.

Cantica, Ant. & ℣. ut in die Pascha, pag. 332.

LECTIO IX.

Ex Epístolâ primâ beáti Joannis Apóstoli.

Cap. 3.

VIdéte qualem caritátem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominémur & simus. Propter hoc mundus non novit nos: quia

non novit eum. Caríssimi, nunc filii Dei sumus: & nondum appáruit quid érimus. Scimus quóniam cùm apparúerit, símiles ei érimus: quóniam vidébimus eum sícuti est. Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctíficat se, sicut & ille sanctus est. Omnis qui facit peccátum, & iniquitátem facit: & peccátum est iníquitas. Et scitis quia ille appáruit ut peccáta nostra tólleret: & peccátum in eo non est. Omnis qui in eo manet, non peccat: & omnis, qui peccat, non vidit eum, nec cognóvit eum.

℟. Omnia judícia Dómini in conspectu meo, & præcepta ejus non amóvi à me: & * Ero perfectus cum eo, & custódiam me ab iniquitáte meâ. Allelúia. ℣. Qui servat verbum ejus, verè in hoc cáritas Dei perfecta est. * Ero perfectus. *II. Reg.* 22. *I. Joan.* 2.

LECTIO X.

Filíoli, nemo vos sedúcat. Qui facit justítiam, justus est: sicut & ille justus est. Qui facit peccátum, ex diábolo est: quóniam ab inítio diábolus peccat. In hoc appáruit Fílius Dei, ut dissolvat ópera diáboli. Omnis, qui natus est ex Deo, peccátum non facit: quóniam semen ipsíus in eo manet, & non potest peccáre, quóniam ex Deo natus est. In hoc manifesti sunt filii Dei, & filii diáboli. Omnis, qui non est justus, non est ex Deo, & qui non díligit fratrem suum: quóniam hæc est annuntiátio, quam audistis ab inítio, ut diligátis altérutrũ. Non sicut Cain, qui ex maligno erat, & occídit fratrem suum. Et propter quid occídit eum? quóniam ópera ejus maligna erant: fratris autem ejus, justa.

℟. Qui non díligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quómodo potest dilígere? * Et hoc mandátum habémus à Deo: ut qui díligit Deum, díligat & fratrem suũ. Allelúia. ℣. Dilígere próximum tamquàm seipsum, majus est ómnibus holocautomátibus & sacrifíciis.*Et hoc. *I. Joan.* 4. *Marc.* 12.

LECTIO XI.

Nolíte mirári, fratres, si odit vos mundus. Nos scimus quóniam transláti sumus de morte ad vitam, quóniam dilígimus fratres. Qui non díligit, manet in morte. Omnis, qui odit fratrem suum, homicída est. Et scitis quóniã omnis homicída non habet vitam ætérnam in semetipso manentem. In hoc cognóvimus caritátem Dei, quóniam

quóniam ille ánimam suam pro nobis pósuit: & nos debémus pro frátribus ánimas pónere. Qui habúerit substántiam hujus mundi, & víderit fratrem suum necessitátem habére, & cláuserit víscera sua ab eo: quómodo cáritas Dei manet in eo?

℟. Deus ipse prior diléxit nos, & misit Fílium suum propitiatiónem pro peccátis nostris. * Caríssimi, si sic Deus diléxit nos, & nos debémus altérutrum dilígere. Allelúia. ℣. Majórem hâc dilectiónem nemo habet, ut ánimam suã ponat quis pro amícis suis. * Caríssimi. *I. Joan.* 4. *Joan.* 15.

LECTIO XII.

FIlíoli mei, non diligámus verbo, neque linguâ, sed ópere & veritáte. In hoc cognóscimus quóniam ex veritáte sumus: & in conspéctu ejus suadébimus corda nostra. Quóniam si reprehénderit nos cor nostrum: major est Deus corde nostro, & novit ómnia. Caríssimi, si cor nostrum non reprehénderit nos, fidúciam habémus ad Deum; & quidquid petiérimus, accipiémus ab eo: quóniam mandáta ejus custodímus; & ea, quæ sunt plácita coram eo, fácimus. Et hoc est mandátum ejus: ut credámus in nómine Fílii ejus Jesu Christi: & diligámus altérutrũ, sicut dedit mandátum nobis. Et qui servat mandáta ejus, in illo manet, & ipse in eo: & in hoc scimus quóniam manet in nobis de Spíritu, quem dedit nobis.

℟. In hoc cognóscimus quóniam dilígimus natos Dei, cùm Deum diligámus, & mandáta ejus faciámus. * Hæc est enim cáritas Dei, ut mandáta ejus custodiámus † Allelúia. ℣. Qui dicit se nosse eum, & mandáta ejus non custódit, mendax est: * Hæc est enim. ℣. Glória. † Allelúia. *I. Joan.* 5 & 2.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joannem.

Cap. 16.

DIxit Jesus discípulis suis: Vado ad eum: qui misit me; & nemo ex vobis intérrogat me: Quò vadis? Sed quia hæc locútus sum vobis, tristítia implévit cor vestrum. Sed ego veritátem dico vobis: éxpedit vobis ut ego vadam: si enim non abíero, Paraclétus non véniet ad vos: si autem abíero, mittam eum ad vos. Et cùm vénerit ille, árguet mundum de peccáto, & de justítiâ, & de judício. De peccáto quidem, quia non crediderunt in me; de ju-

ſtítiâ verò, quia ad Patrem vado, & jam non vidébitis me: de judício autem, quia princeps hujus mundi jam judicátus eſt. Adhuc multa hábeo vobis dícere: ſed non poteſtis portáre modò. Cùm autem vénerit ille Spíritus veritátis, docébit vos omnem veritátem. Non enim loquétur à ſemetipſo: ſed quæcumque áudiet loquétur, & quæ ventúra ſunt annuntiábit vobis. Ille me clarificábit; quia de meo accípiet, & annuntiábit vobis.

AD LAUDES.

Antiphonæ ut in Pſalterio.

LECTIO. *II. Cor.* 5.

SI cognóvimus ſecundùm carnem Chriſtum; ſed nunc jam non nóvimus. Si qua ergo in Chriſto nova creatúra, vétera tranſiérunt: ecce facta ſunt ómnia nova.

℟. *br. & Hymnus ut in die Paſchæ, pag.* 336.

℣. Salvum fecit Dóminus Chriſtum ſuum: ℟. Exáudiet illum de cœlo ſancto ſuo. *Pſ.* 19.

Ad Benedictus. *Ant.* Vado ad eum qui miſit me, & nemo ex vobis intérrogat me: Quò vadis? Allelúia. *Joan.* 16.

COLLECTA. *Sacr. Gelaſ.*

DEus, qui fidéliũ mentes uníus éfficis voluntátis, † da pópulis tuis id amáre quod præcipis, id deſideráre quod promittis; * ut inter mundánas varietátes, ibi noſtra fixa ſint corda, ubi vera ſunt gáudia. Per Dóminum.

AD HORAS, *Pſalmi cum* Allelúia, *&c. ut in Pſalterio.*

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Concílio Románo contra Monothelítas. *An.* 649. *Can.* 17.

SI quis ſecundùm ſanctos Patres non confitétur próprié, & ſecundùm veritátem, ómnia quæ trádita ſunt & prædicáta ſanctæ Cathólicæ & Apoſtólicæ Dei Eccléſiæ, perindéque à ſanctis Pátribus, & venerandis univerſálibus quinque Concíliis, uſque ad unum ápicem, verbo & mente; condemnátus ſit.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Coloſſ.* 1.

VOs, cùm eſsétis aliquando alienáti, & inimíci ſenſu in opéribus malis: † nunc autem reconciliávit Chriſtus in córpore carnis ejus per mortem, exhibére vos ſanctos, & immaculátos, & irreprehensíbiles coram ipſo: * ſi tamen permanétis in fide fundáti, & ſtábiles, & immóbiles à ſpe Evangélii quod audiſtis.

℣. In æternum non oblivíſcar juſtificatiónes tuas,

℟. Quia in ipsis vivificasti me. *Ps.* 118.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Rom.* 6.

EXistimáte vos mórtuos quidem esse peccáto, viventes autem Deo in Christo Jesu Dómino nostro. † Non ergo regnet peccátum in vestro mortáli córpore, ut obediátis concupiscéntiis ejus. * Sed neque exhibeátis membra vestra arma iniquitátis peccáto: sed exhibéte vos Deo, tamquàm ex mórtuis viventes: & membra vestra arma justítiæ Deo.

℣. Eripuisti, Dómine, ánimam meam de morte, ℟. Ut pláceam coram Deo in lúmine vivéntium. *Ps.* 55.

AD NONAM.

LECTIO. *Rom.* 6.

SIcut exhibuistis membra vestra servíre immundítiæ, & iniquitáti ad iniquitátem; † ita nunc exhibéte membra vestra servíre justítiæ * in sanctificatiónem.

℣. Exaltas me de portis mortis; ℟. Ut annúntiem omnes laudatiónes tuas. *Ps.* 9.

AD VESPERAS.

Antiphonæ ut in Psalterio.

LECTIO. *Rom.* 8.

QUi in carne sunt, Deo placére non possunt. † Vos autem in carne non estis, sed in spíritu: si tamen Spíritus Dei hábitat in vobis. * Si quis autem Spíritum Christi non habet, hic non est ejus.

℟. *br.* Narrábo ómnia mirabília tua, Dómine; * Allelúia, allelúia. ℟. Narrábo. ℣. Lætábor, & exultábo in te. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Narrábo. *Ps.* 9.

Hymnus ut in die Paschæ, suprà, pag. 338.

℣. Memor esto verbi tui servo tuo, Dómine, ℟. In quo mihi spem dedisti. *Ps.* 118.

Ad Magníficat. *Ant.* Expedit vobis ut ego vadam; si enim non abíero, Paraclétus non véniet ad vos; si autem abíero, mittam eum ad vos. Allelúia. *Joan.* 16.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

Ex Actibus Apostolórum. *Cap.* 20.

VOcátis Paulus discípulis, & exhortátus eos, valedixit, & proféctus est ut iret in Macedóniam. Cum autem perambulasset partes illas, & exhortátus eos fuisset multo sermóne, venit ad Græciam: ubi cùm fecisset menses tres, factæ sunt illi insídiæ à Judæis navigatúro in Syriam: habuitque consílium ut reverteréture

per Macedóniam. ¶ Comitátus est autem eum Sópater Pyrrhi Berœensis, Thessalonicénsium verò Aristarchus, & Secundus, & Cáius Dérbeus, & Timótheus: Asiáni verò Tychicus, & Tróphimus. Hi cùm præcessissent, sustinuérunt nos Tróade: nos verò navigávimus post dies Azymórum à Philippis: & vénimus ad eos Tróadem in diébus quinque, ubi demoráti sumus diébus septem.

LECTIO II.

Unâ autem sábbati cùm convenissémus ad frángendum panem, Paulus dispútábat cum eis, profectúrus in crástinum, protraxitque sermónem usque in médiam noctem. Erant autem lámpades copiósæ in cœnáculo, ubi erámus congregáti. Sedens autem quidam adolescens nómine Eutychus super fenestram, cùm mergerétur somno gravi, disputante diu Paulo, ductus somno cécidit de tértio cœnáculo deorsum, & sublátus est mórtuus. ¶ Ad quem cùm descendisset Paulus, incúbuit super eum: & complexus dixit: Nolíte turbári, ánima enim ipsíus in ipso est. Ascendens autem, frangensque panem, & gustans, satísque allocútus usque in lucem: sic profectus est. Adduxérunt autem púerum viventem, & consoláti sunt non mínimè.

℟. I. Quicumque non recéperit vos, neque audíerit sermónes vestros; * Exeuntes foras de domo, vel civitáte, excútite púlverem de pédibus vestris. Allelúja. ℣. Cùm persequentur vos in civitáte istâ, fúgite in áliam; * Exeuntes. *Matth.* 10.

℟. II. In doctrínis glorificáte Dóminum: * In ínsulis maris nomen Dómini Dei Israel: Allelúja. ℣. A fínibus terræ laudes audívimus, glóriam Justi; * In ínsulis. *Isai.* 24.

℟. III. Ego occídam, & ego vívere fáciam; percútiam, & ego sanábo, * Et non est qui de manu mea possit erúere. Allelúja. ℣. Hábeo claves mortis & inferni, * Et non. *Deut.* 32. *Apoc.* 1.

℟. IV. Tu flagellas, & salvas, Dómine; * Et non est qui effúgiat manum tuam. † Allelúja. ℣. Dedúcis ad portas mortis & redúcis; * Et non. ℣. Glória. † Allelúja. *Tob.* 13. *Sap.* 16.

LECTIO III.

Ex Libro tértio sancti Irenæi Epíscopi & Mártyris contra Hæreses. *Edit. Bened. Sec. II. Cap.* 2.

Hæretici cùm ex Scriptúris arguuntur, in accusatiónem convertun-

tur ipsárum Scripturárum, quasi non rectè hábeant, neque sint ex autoritáte, & quia várie sint dictæ, & quia non possit ex his inveníri véritas ab his, qui néſciant Traditiónem. Cùm autem ad eam íterum Traditiónem, quæ est ab Apóstolis, quæ per successiónes Presbyterórum in Ecclésiis custodítur, provocámus eos; adversántur Traditióni, dicentes se non solùm Presbyteris, sed étiam Apóstolis exsistentes sapientióres, sincéram invenisse veritátem. Evenit ítaque, neque Scriptúris jam, neque Traditióni consentíre eos. Quapropter úndique resisténdum est illis, si quos ex his retusióne confundentes, ad conversiónem veritátis addúcere possímus.

℟. Non sedi cum concílio vanitátis & cum iníqua geréntibus non introíbo. * Odívi ecclésiam malignántium, & cum ímpiis non sedébo. † Allelúia. ℣. Ecclésia Dei vivi est columna & firmamentum veritátis. * Odívi. ℣. Glória. † Allelúia. *Ps.* 25. *I. Tim.* 3.

Ad Benedictus. *Ant.* Regenerávit nos Deus in spem vivam, per resurrectiónem Jesu Christi ex mórtuis, in hæreditátem incorruptíbilem. Allelúia. *I. Petr.* 1.

Collecta. *Brev. Paris.*

DEus, qui Ecclésiam sponsam tuam, matrem nobis & magistram providisti: † da fidélibus tuis in ipsíus doctrínâ & præceptis vocem tuã agnóscere; * ut eórum infirmitas custodiátur ab omni circumventióne erróris, dum Ecclésiam Dei viventis áudiunt, columnam & firmamentum veritátis; qui cum eódem Deo Patre vivis & regnas.

CANON.

Ex Epístolâ Hormisdæ Papæ ad Possessórem. *An.* 520. *Ep.* 70.

FIxa sunt à Pátribus quæ fidéles sectári débeant institúta: sive interpretátio, sive prædicátio, seu verbum pópuli ædificatióne compósitum; si cum fide rectâ & doctrínâ sanâ concordat, admíttitur; si discordat, abolétur.

Ad Magníficat. *Ant.* Quia hæc locútus sum vobis, tristítia implévit cor vestrum; sed ego veritátem dico vobis: éxpedit vobis ut ego vadam. Allelúia. *Joan.* 16.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

Ex Actibus Apostolórum. *Cap.* 21.

NOs verò navigatióne explétâ à Tyro descéndimus Ptolemáidam: &c.

salutátis frátribus, mánsimus die unâ apud illos. Aliâ autem die profecti, vénimus Cæsaréam. Et intrantes domum Philippi Evangelistæ, qui erat unus de septem, mansimus apud eum. Huic autem erant quátuor filiæ vírgines prophetantes. ¶ Et cùm morarémur per dies áliquot, supervénit quidam à Judæâ prophéta, nómine Agabus. Is cùm venisset ad nos, tulit zonam Pauli: & álligans sibi pedes, & manus dixit: Hæc dicit Spíritus sanctus: Virum, cujus est zona hæc, sic alligábunt in Jerúsalem Judæi, & tradent in manus Géntium.

LECTIO II.

QUod cùm audissémus, rogabámus nos, & qui loci illius erant, ne ascénderet Jerosólymam. Tunc respondit Paulus, & dixit: Quid fácitis flentes, & affligentes cor meum? Ego enim non solùm alligári, sed & mori in Jerúsalem parátus sum, propter nomen Dómini Jesu. Et cùm ei suadére non possémus, quiévimus, dicentes: Dómini voluntas fiat. ¶ Post dies autem istos præparáti, ascendebámus in Jerúsalem. Venérunt autem & ex discípulis à Cæsaréâ nobiscum, adducentes secum apud quem hospitarémur Mnasónẽ quemdam Cyprium, antíquum discípulum. Et cùm venissémus Jerosólymam, libenter excepérunt nos fratres.

℟. I. Propter te, Dómine, mortificámur totâ die: æstimáti sumus sicut oves occisiónis; * Sed in his ómnibus superámus, propter eum qui diléxit nos. Allelúia. ℣. Hæc ómnia venérunt super nos; nec oblíti sumus te: * Sed. *Rom.* 8. *Ps.* 43.

℟. II. Vas electiónis est mihi iste; * Ut portet nomen meum coram Géntibus & régibus, & filiis Israel. Allelúia. ℣. Ego ostendam illi, quanta opórteat eum pro nómine meo pati; * Ut portet. *Act.* 9.

℟. III. Puto quòd Deus nos Apóstolos novíssimos osténdit, tamquàm morti destinátos: * Quia spectáculum facti sumus mundo, & Angelis, & homínibus. Allelúia. ℣. Semper nos qui vívimus, in mortem trádimur propter Jesum, ut & vita Jesu manifestétur in carne nostrâ mortáli. * Quia. *I. Cor.* 4. & *II. Cor.* 4.

℟. IV. Pósitus sum ego prædicátor, & Apóstolus, & magister Géntium: * Ob quam causam pátior, sed non confúndor: scio enim cui crédidi. † Allelúia. ℣. Sic præcépit nobis Dó-

minus : Pósui te in lucem Géntium, ut sis in salútem usque ad extrémum terræ. * Ob. ℣. Glória. † Allelúia. *II. Tim.* 1. *Act.* 13.

Lectio III.

Ex Libro tértio sancti Irenæi Epíscopi & Mártyris contra Hæreses. *Edit. Bened. Cap.* 3 & 4.

TRaditiónem Apostolórum in toto mundo manifestátam, in omni Ecclésiâ adest respícere ómnibus qui vera velint vidére : & habémus adnumeráre eos qui ab Apóstolis instítúti sunt Epíscopi in Ecclésiis, & successóres eórum usque ad nos ; qui nihil tale docuérunt, neque cognovérunt, quale ab his delirátur. Etenim si recóndita mystéria scissent Apóstoli, quæ seorsim & latenter ab réliquis perféctos docébant, his vel máximè tráderent ea quibus étiam ipsas Ecclésias committébant. Valde enim perféctos & irreprehensíbiles in ómnibus eos volébant esse, quos & successóres relinquébant, suum ipsórum locum magistérii tradentes : quibus emendátè agéntibus fieret magna utílitas, lapsis autem summa calámitas. Tantæ ígitur ostensiónes cùm sint, non oportet adhuc quærere apud álios veritátem, quã fácile est ab Ecclésiâ súmere ; cùm Apóstoli, quasi in depositórium dives, pleníssimè in eam contúlerint ómnia quæ sint veritátis : uti omnis quicumque velit, sumat ex eâ potum vitæ. Hæc est enim vitæ introítus ; omnes autem réliqui fures sunt & latrónes. Propter quod oportet devitáre quidem illos ; quæ autem sunt Ecclésiæ, cum summâ diligéntiâ diligere, & apprehéndere veritátis traditiónem.

℟. Confortáre in grátiâ, quæ est in Christo Jesu : * Et quæ audísti à me per multos testes, hæc commenda fidélibus homínibus, qui idónei erunt & álios docére. Allelúia. ℣. Formam habe sanórũ verbórum. Bonum depósitum custódi per Spíritum sanctum ; * Et quæ. ℣. Glória. † Allelúia. *II. Tim.* 2 & 1.

Ad Benedictus. *Ant.* Qui suscitávit Jesum Christum à mórtuis, vivificábit & mortália córpora vestra, propter inhabitantem Spíritum ejus in vobis. Allelúia. *Rom.* 8.

Collecta. *Sacr. Gelas.*

QUæsumus, omnípotens Deus : † jam non teneámur obnóxii senténtiæ damnatiónis humánæ ; * cujus nos vínculis hæc redémptio Paschális absolvit ; Per Dóminum.

C a n o n.

Ex Epístolâ Hormisdæ Papæ ad Possessórem. *An.* 520. *Ep.* 70.

NOn imprόvidè veneranda Patrum sapiéntia fidéli potestáti quæ essent Cathólica dógmata definiit; certa librórum étiam véterum in auctoritátem recipienda, sancto Spíritu instruente; præfigens; ne opinióni suæ lector indulgens, non quod ædificatióni Ecclesiásticæ conveníret: sed quod voluptas sua concepisset, asséreret; cùm christiána fides canónicis libris, & synodálibus præceptis, & Patrum reguláribus constitútis stábili & inconcusso trámite limitétur.

Ad Magníficat. *Ant.* Adhuc multa hábeo vobis dícere; sed non potestis portáre modò: cùm autem vénerit ille Spíritus veritátis: docébit vos omnem veritátem. Allelúia. *Joan.* 16.

FERIA QUARTA.

Lectio I.

Ex Actibus Apostolórum. *Cap.* 21.

HI qui de Asiâ erant Judæi, cùm vidissent Paulum in templo, concitavérunt omnem pópulum, & injecérunt ei manus clamantes: Viri Israelítæ, adjuváte: hic est homo, qui adversùs pópulum, & legem, & locum hunc, omnes ubíque docens, insuper & Gentíles duxit in templum, & violávit sanctum locum istum. ¶ Víderant enim Tróphimum Ephésium in civitáte cum ipso, quem æstimavérunt quóniam in templum introduxisset Paulus. Commótaque est cívitas tota, & facta est concúrsio pópuli. Et apprehendentes Paulũ, trahébant eum extra templum: & statim clausæ sunt jánuæ.

Responsoria ut heri.

Lectio II.

QUæréntibus autẽ eum occídere, nuntiátum est tribúno cohortis: Quia tota confúnditur Jerúsalem. Qui statim assumptis milítibus, & centuriónibus, decurrit ad illos. Qui cùm vidissent tribúnum & mílites, cessavérunt percútere Paulum. Tunc accédens tribúnus apprehendit eum, & jussit eum alligári caténis duábus: & interrogábat quis esset, & quid fecisset. ¶ Alii autem áliud clamábant in turbâ. Et cùm non posset certum cognóscere præ tumultu, jussit duci eum in castra. Et cùm venisset ad gradus, cóntigit ut portarétur à milítibus propter vim pópuli.

Sequebátur enim multitúdo pópuli, clamans: Tolle eum.

LECTIO III.

Ex Libro tértio sancti Irenæi Epíscopi & Mártyris contra Hæreses. *Edit. Bened. Cap. 4.*

SI de áliquâ modicâ quæstióne disceptátio esset, nonne oportéret in antiquíssimas recúrrere Ecclésias, in quibus Apóstoli conversáti sunt, & ab eis de præsenti quæstióne súmere quod certum & re liquidum est? Quid autem si neque Apóstoli quidem Scriptúras reliquissent nobis, nonne oportébat órdinem sequi Traditiónis, quam tradidérunt iis quibus committébant Ecclésias? Cui ordinatióni asséntiunt multæ gentes Barbarórum, eórum qui in Christum credunt, sine chartâ & atramento scriptam habentes per Spíritum in córdibus suis salútem, & véterem Traditiónem diligenter custodientes: quibus si áliquis annuntiáverit ea, quæ ab hæréticis adinventa sunt, próprio sermóne eórum cólloquens, statim concludentes aures, longo lóngiùs fúgient, ne audíre quidem sustinentes blasphémum collóquium. Sic per illam véterem Apostolórum Traditiónem, ne in conceptióne quidem mentis admittunt, quodcumque eórum portentilóquium est. Neque dum enim congregátio fuit apud eos, neque doctrína institúta. Ante Valentínum enim non fuérunt, qui sunt à Valentíno; neque ante Marcióne erant, qui sunt à Marcióne; neque omníno erant réliqui sensus maligni, ántequam initiatóres & inventóres perversitátis eórum fierent.

℟. Mali hómines, & seductóres profícient in pejus, errantes, & in errórem mittentes. * Tu veró pérmane in iis, quæ didicisti, & crédita sunt tibi: sciens à quo didíceris. † Allelúia. ℣. Conversi sunt in vanilóquium, volentes esse legis doctóres, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. * Tu veró. ℣. Glória. † Allelúia. *II. Tim. 3. I. Tim. 1.*

Ad Benedíctus. *Ant.* Voluntáriè génuit nos Deus verbo veritátis, ut simus inítium áliquod creatúræ ejus. Allelúia. *Jac. 1.*

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

DEus, qui pro salúte mundi sacrifícium Paschále fecisti; † propitiáre supplicatiónibus nostris, ut interpellans pro nobis Póntifex summus; * nos per id quod nostri est símilis, reconcíliet; per il-

quod tibi est æquális absolvat Jesus Christus Dóminus noster; Qui tecum.

CANON.

Ex Concílio Nicæno secundo. *An.* 787. *Can.* I.

CAnones ampléctimur, non solùm qui ab almis Apóstolis & universálibus Synodis, sed qui étiam in áliis Concíliis quæ locáliter per províncias & regiónes sunt collecta, in expositiónem hujúsmodi decretórũ promulgáti sunt; & qui à sanctis Pátribus nostris prolàti fuisse probantur: ab uno enim omnes eódemque Spíritu illumináti, quæ erant utília definiérunt.

Ad Magníficat. *Ant.* Non loquétur à semetipso Spíritus veritátis: sed quæcumque áudiet loquétur, & quæ ventúra sunt annuntiábit vobis. Allelúia. *Joan.* 16.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

Ex Actibus Apostolórum. *Cap.* 22 & 23.

POsterâ die tribúnus volens scire diligéntiùs, quâ ex causâ accusarétur Paulus à Judæis, solvit eum, & jussit sacerdótes convenire, & omne concílium, & prodúcens Paulum, státuit inter illos. Intendens autem in concílium Paulus ait: Viri fratres, ego omni consciéntiâ bonâ conversátus sum ante Deum usque in hodiernum diem. Princeps autem sacerdótum Ananías præcépit adstántibus sibi percútere os ejus. ¶ Tunc Paulus dixit ad eum: Percútiet te Deus, páries dealbáte. Et tu sedens júdicas me secundùm legem, & contra legem jubes me pércuti? Et qui adstábant dixérunt: Summum sacerdótem Dei maledícis? Dixit autem Paulus: Nesciébam, fratres, quia princeps est sacerdótum. Scriptum est enim: Príncipem pópuli tui non maledíces.

LECTIO II.

SCiens autem Paulus quia una pars esset Sadducæórum, & áltera Pharisæórum, exclamávit in concílio: Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæórum, de spe & resurrectióne mortuórum ego júdicor. Et cùm hæc dixisset, facta est dissénsio inter Pharisæos, & Sadducæos, & solúta est multitúdo. Sadducæi enim dicunt, non esse resurrectiónem, neque Angelum, neque Spíritum: Pharisæi autem útraque confiténtur. ¶ Factus est autem clamor magnus. Et surgentes quidam Pharisæórum, pugnábant, dicentes: Nihil mali invénimus in hómine isto: quid

si Spíritus locútus est ei, aut Angelus? Et cùm magna dissénsio facta esset, timens tribúnus ne discerperétur Paulus ab ipsis, jussit mílites descéndere, & rápere eum de médio eórum, ac dedúcere eum in castra. Sequenti autem nocte assístens ei Dóminus, ait: Constans esto: sicut enim testificátus es de me in Jerúsalem, sic te oportet & Romæ testificári.

℟. I. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum: * Estóte ergo prudentes sicut serpentes, & símplices sicut columbæ. Allelúia. ℣. Cavéte ab homínibus: tradent enim vos in concíliis, & ad præsides & reges ducémini propter me: * Estóte. *Matth.* 10.

℟. II. Non est discípulus super magistrum, nec servus super dóminum suum. * Sufficit discípulo ut sit sicut magister ejus, & servo sicut dóminus ejus. Allelúia. ℣. Nolíte timére oppróbrium hóminum, & blasphémias eórum ne metuátis. * Sufficit. *Matth.* 10. *Isai.* 51.

℟. III. Cùm tradent vos, nolíte cogitáre quómodo aut quid loquámini. * Non enim vos estis qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis. Allelúia. ℣. Dabo vobis os & sapiéntiam, cui non póterunt resístere & contradícere omnes adversárii vestri: * Non enim. *Matth.* 10. *Luc.* 21.

℟. IV. In mundo pressúram habébitis: * Sed confídite, ego vici mundū. † Allelúia. ℣. Quia de mundo non estis, sed ego elégi vos de mundo: proptérea odit vos mundus. * Sed. ℣. Glória. † Allelúia. *Joan.* 16 & 15.

LECTIO III.

Ex Libro primo sancti Irenæi Epíscopi & Mártyris contra Hæreses. *Cap.* 10. *Edit. Bened.*

ECclésia per universum orbem usque ad fines terræ semináta, & ab Apóstolis & à discípulis eórum accépit eam fidem quæ est in unum Deum Patrem omnipotentem; & in unum Jesum Christum Fílium Dei, incarnátum pro salúte nostrâ: Et in Spíritum sanctum qui per Prophétas prædicávit dispositiónes Dei, & adventum, & eam quæ est ex Vírgine generatiónem, & passiónem, & resurrectiónem à mórtuis, & in carne in cœlos ascensiónem Jesu Christi Dómini nostri, & de cœlis in glóriâ Patris, advéntum ejus, ad recapitulända universa, & resuscitandam omnem carnem humáni géneris, ut Christo Jesu Dómino nostro, & Deo,

& Salvatóri, & Regi, secundùm plácitum Patris invisíbilis, omne genu curvet cœléstium, & terréstrium, & infernórum, & omnis lingua confiteátur ei; & judícium justum fáciat in ómnibus; spirituália quidem nequítiæ, & ángelos transgressos, atque apóstatas factos, & ímpios, & injustos, & iníquos, & blasphémos hómines in ætérnum ignem mittat: justis autem & æquis, præcepta ejus servántibus, & in dilectióne ejus perseverántibus, quibusdam quidem ab inítio, quibusdam autem ex pœniténtiâ, vitam donans, incorruptélam loco múneris cónferat, & claritátem ætérnam circúmdet.

℟. Dixit Jesus Simóni Petro: Dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificábo Ecclésiam meam: * Et portæ ínferi non prævalébunt adversùs eam. † Allelúia. ℣. Deus fundávit eam in ætérnum. * Et portæ. ℣. Glória. † Allelúia. *Matth.* 16. *Ps.* 47.

Ad Benedíctus. *Ant.* Stipéndia peccáti mors. Grátia autẽ Dei, vita ætérna, in Christo Jesu Dómino nostro. Allel. *Rom.* 6.

Collecta. *Sacr. Moz.*

CHriste Dei Fílius, qui mórtuus es propter peccáta nostra, & resurrexísti propter justificatiónem nostram; † da nobis & mortem habére vitiórum: * & resurrectiónem obtinére virtútum; Qui vivis.

Canon.

Ex Concílio Senonensi *An.* 1528. *Decret.* 4.

OBortis de fide dissídiis frustrà sæpe Scriptúra consúlitur, nisi Ecclésiæ certa & infallíbilis litem dirimat auctóritas; quæ Canónicum librum ab apócrypho, Cathólicum sensum ab hærético, germánum ab adulteríno, discernat.

Ad Magníficat. *Ant.* Ille me clarificábit: quia de meo accípiet; & annuntiábit vobis. Allelúia. *Joan.* 16.

FERIA SEXTA.

Lectio I.

Ex Actibus Apostolórum. *Cap.* 23.

TRibúnus, vocátis duóbus centuriónibus, dixit illis: Paráte mílites ducentos, ut eant usque Cæsaréam, & équites septuaginta, & lanceários ducentos, à tértiâ horâ noctis: & jumenta præparáte, ut imponentes Paulum, salvum perdúcerent ad Felícem Præsidem. (Tímuit enim ne fortè ráperent eum Judæi, & occíderent, & ipse póstea calúmniam sustinéret, tamquàm acceptúra-

rus pecúniam.) ¶ Mílites ergo secundùm præceptum sibi, assumentes Paulum, duxérunt per noctem in Antipátridem. Qui cùm venissent Cæsaréam, & tradidissent epístolam Præsidi, statuérunt ante illum & Paulum. Cùm legisset autem, & interrogasset de quâ provínciâ esset: & cognoscens quia de Cilíciâ: Audiam te, inquit, cùm accusatóres tui vénerint. Jussitque in prætório Heródis custodíri eum.

Responsoria ut heri.

LECTIO II. *Cap.* 24.

POst quinque autem dies descendit Princeps sacerdótum, Ananías, cum senióribus quibusdam, & Tertullo quodam oratóre, qui adiérunt Præsidem advérsùs Paulum. Et citáto Paulo cœpit accusáre Tertullus, dicens: Cùm in multâ pace agámus per te, & multa corrigantur per tuam providéntiam; semper & ubíque suscípimus, óptime Felix, cum omni gratiárum actióne. Ne diùtiùs autem te prótraham, oro, bréviter áudias nos pro tuâ cleméntiâ. ¶ Invénimus hunc hóminem pestíferum, & concitantem seditiónes ómnibus Judæis in universo orbe, & auctórem seditiónis sectæ Nazarenórum: qui étiam templum violáre conátus est, quem & apprehensum volúimus secundùm legem nostram judicáre. Superveniens autem tribúnus Lysias, cum vi magnâ erípuit eum de mánibus nostris, jubens accusatóres ejus ad te veníre: à quo póteris ipse júdicans, de ómnibus istis cognóscere, de quibus nos accusámus eum. Adjecérunt autem & Judæi, dicentes hæc ita se habére.

LECTIO III.

Ex Commonitório sancti Vincéntii Lirinensis.
Edit. Baluz.

IN ipsâ Cathólicâ Ecclésiâ magnópere curandum est, ut id teneámus, quod ubíque, quod semper, quod ab ómnibus créditum est. Hoc est étenim verè propriéque Cathólicum, quod ipsa vis nóminis ratióque declárat, quæ ómnia fere universáliter comprehendit. Sed hoc ita demum fiet, si sequámur universitátem, antiquitátem, consensiónem. Sequémur autem universitátem hoc modo; si hanc unam fidem veram esse fateámur, quam tota per orbem terrárum confitétur Ecclésia: antiquitátem verò ita; si ab his sénsibus nullátenus recedámus, quos sanctos Majóres ac Patres nostros celebrasse manifestum est: consensiónem quoque ítidem; si in ipsâ vetustáte, ó[illegible]

nium sacerdótum páriter & magistrórum definitiónes sententiasque sectémur. Quid ígitur tunc fáciet Christiánus Cathólicus, si se áliqua Ecclésiæ partícula ab universális fidei communióne præcíderit? Quid útique, nisi ut pestífero corruptóque membro, sanitátem universi córporis antepónat? Quid si novella áliqua contágio non jam portiúnculam tantùm, sed totam páriter Ecclésiam commaculáre conétur? Tunc item providébit, ut antiquitáti inhæreat, quæ prorsum jam non potest ab ullâ novitátis fraude sedúci.

℟. Præcípio tibi coram Deo, ut serves mandátum sine máculâ, irreprehensíbile. * Depósitum custódi, devítans profánas vocum novitátes, & oppositiónes falsi nóminis sciéntiæ. † Allelúia. ℣. Ne transgrediáris términos antíquos, quos posuérunt patres tui. * Depósitum. ℣. Glória. † Allelúia. *I. Tim. 6. Prov. 22.*

Ad Benedictus. *Ant.* Deus & Dóminum suscitávit; & nos suscitábit per virtútem suam. Allelúia. *I. Cor. 6.*

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

DEle, quæsumus, Dómine, conscriptum peccáti lege chirógraphũ; † quod in nobis, Paschális mystério, * per resurrectiónem Fílii tui vacuasti; Per eumdem.

CANON.

Ex Concílio Senonensi. *An.* 1528. *decret.* 5.

AMpla certè Scriptúræ latitúdo, ingens & incomprehensíbilis profúnditas: perniciósum est tamen eo erróre laboráre, ut nihil admittendum putétur, quod non è Scriptúrâ deprompum sit: multa quippe à Christo, ad pósteros, per manus Apostolórum, ore ad os, & familiári collóquio transfúsa sunt, quæ & si in sacrâ Scriptúrâ expressè continéri non videantur, inconcussè tamen tenenda véniunt.

Ad Magníficat. *Ant.* Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Proptérea dixi: Quia de meo accípiet Spíritus veritátis. Allelúia. *Joan.* 16.

SABBATO.

LECTIO I.

Ex Actibus Apostolórum. *Cap.* 24.

REspondit autem Paulus, (annuente sibi Præside dícere:) Ex multis annis te esse júdicem genti huic sciens, bono ánimo pro me satisfáciam. Potes enim cognóscere quia non plus sunt mihi dies,

quàm duódecim; ex quo ascendi adoráre iu Jerúsalem: & neque in templo invenérunt me cum áliquo disputantem, aut concursum facientem turbæ, neque in synagógis, neque in civitáte: neque probáre possunt tibi de quibus nunc me accúsant. ¶ Confíteor autem hoc tibi, quòd secundùm sectam, quam dicunt hæresim, sic desérvio Patri, & Deo meo, credens ómnibus, quæ in Lege & Prophétis scripta sunt: spem habens in Deum, quam & hi ipsi exspectant, resurrectiónem futúram justórum, & iniquórum. In hoc & ipse stúdeo sine offendículo consciéntiam habére ad Deum, & ad hómines semper.

Responsoria ut suprà, Feriâ III. pag. 439.

LECTIO II.

DIstulit autem illos Felix, certíssimè sciens de viâ hac, dicens: Cùm tribúnus Lysias descénderit, áudiam vos. Jussitque centurióni custodíre eum, & habére réquiem, nec quemquam de suis prohibére ministráre ei. Post áliquot autem dies véniens Felix cum Drusillâ uxóre suâ, quæ erat Judæa, vocávit Paulum, & audívit ab eo fidem, quæ est in Christum Jesum. ¶ Disputante autem illo de justítiâ, & castitáte, & de judício futúro, tremefactus Felix respondit: Quod nùnc ádtinet, vade: témpore autem opportúno accersam te: simul & sperans, quòd pecúnia ei darétur à Paulo, propter quod & frequenter accersens eum, loquebátur cum eo. Biénnio autem expléto, accépit successórem Felix Pórtium Festum. Volens autem grátiam præstáre Judæis Felix, relíquit Paulum vinctum.

LECTIO III.

Ex Epístolâ sancti Augustíni Epíscopi ad Inquisitiónes Januárii. *Epist.* 54. *n.* 1 & 2. *Edit. Bened.*

ILla quæ non scripta, sed trádita custodímus, quæ quidem toto terrárum orbe servantur, datur intélligi vel ab ipsis Apóstolis, vel plenáriis Concíliis, quorū est in Ecclésiâ salubérrima auctóritas, commendáta atque statúta retinéri; sícuti quòd Dómini pássio, & resurréctio, & ascénsio in cœlum, & adventus de cœlo Spíritûs sancti, anniversáriâ solemnitáte celebrantur, & si quid áliud tale occurrit quod servátur ab universâ, quàcumque se diffundit, Ecclésiâ. Alia verò quæ per loca terrárum regionesque variantur, sícuti est quòd álii jejúnant sábbato, álii non: álii

quotídie commúnicant Córpori & Sánguini Dómini, álii certis diébus accípiunt: álibi nullus dies prætermíttitur, quo non offerátur, álibi sábbato tantùm & Domínico, álibi tantùm Domínico; & si quid áliud hujúsmodi animadverti potest, totum hoc genus rerum líberas habet observatiónes: nec discíplína ulla in his mélior gravi prudentíque Christiáno, quàm ut eo modo agat, quo ágere víderit Ecclésiam ad quam fortè devénerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores esse convíncitur, indifferenter est habendum, & propter eórum inter quos vívitur societátem, servandum est.

℟. Fácies quodcumque díxerint qui præsunt loco quem elégerit Dóminus, & docúerint te juxta legem ejus; * Sequérisque senténtiam eórum, nec declinábis ad déxteram neque ad sinístram. † Allelúia. ℣. Spíritus sanctus pósuit Epíscopos régere Ecclésiam Dei. * Sequérisque. ℣. Glória. * Allelúia. *Deut.* 17. *Act.* 20.

Ad Benedíctus. *Ant.* Non est in álio áliquo salus: nec enim áliud nomen est sub cœlo datum homínibus, in quo opórteat nos salvos fieri. Allelúia. *Act.* 4.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

POpulus tuus, quǽsumus, Dómine, renováta semper exsultet ánimæ juventúte: † ut qui ante peccatórum veterno in mortis vénerat sénium; * nunc lætétur in prístinam se glóriam restitútum; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Senonensi. *An.* 1528. *decret.* 6.

IN ómnibus, in quibus nil certi definívit Scriptúra, mos pópuli Dei, & institúta Majórum pro lege habenda sunt; & sicut prævaricatóres divinárum legum, ita contemptóres Ecclesiasticárum consuetúdinum coercendi.

AD VESPERAS.

Antiphona unica, ut in Psalterio.

LECTIO. *Jerem.* 29.

EGo scio cogitatiónes quas ego cógito super vos, ait Dóminus, † cogitatiónes pacis & non afflictiónis, ut dem vobis finem & patiéntiam. * Et invocábitis me, & íbitis: & orábitis me, & ego exáudiam vos.

℟. *br. & Hymnus, ut suprà Sabbato in Albis*, *pag.* 360.

℣. Juxta est Dóminus iis qui tribuláto sunt corde; ℟. Et húmiles spíritu salvábit. *Ps.* 33.

Ad Magníficat. *Ant.* Quodcumque petiéritis Patrem in nómine meo, hoc fáciam, ut glorificétur Pater in Fílio. Allelúia. *Joan.* 14.

Collecta infrà ad Laudes, pag. 455.

DOMINICA V. POST PASCHA.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Jesum, quem advocátum habémus apud Patrem; * Veníte, adorémus. Allelúia. *I. Joan.* 2.

Hymnus, Adéste, *ut in die Pascha, suprà, pag.* 327.

Psalmi Nocturnorum cum Antiphonâ unicâ & ℣. ut in Psalterio.

IN I. NOCTURNO.

LECTIO I.

Ex Actibus Apostolórum. *Cap.* 25.

FEstus ergo cùm venisset in provínciam, post tríduum ascendit Jerosólymam à Cæsaréâ. Adieruntque eum príncipes sacerdótum, & primi Judæórum, adversùs Paulum: & rogábant eum, postulantes grátiam adversùs eum, ut jubéret perdúci eum in Jerúsalem, insídias tendentes ut interfícerent eum in viâ. Festus autem respondit servári Paulum in Cæsaréâ: se autem matúriùs profectúrum. Qui ergo in vobis, ait, potentes sunt, descendentes simul, si quod est in viro crimen, accúsent eum.

℟. Tradémini à paréntibus, & frátribus, & cognátis, & amícis; & morte afficient ex vobis. * In patiéntiâ vestrâ possidébitis ánimas vestras. Allelúia. ℣. Eritis ódio ómnibus propter nomen meum: qui autem persevéráverit usque in finem, hic salvus erit. * In patiéntiâ. *Luc.* 21. *Matth.* 10.

LECTIO II.

DEmorátus autem inter eos dies non ámpliùs quàm octo, aut decem, descendit Cæsaréam, & álterâ die sedit pro tribunáli, & jussit Paulum addúci. Qui cùm perductus esset, circumstetérunt eum, qui ab Jerosólymâ descénderant Judæi, multas & graves causas objicientes, quas non póterant probáre; Paulo ratiónem reddente: Quóniam neque in legem Judæórum, neque in templum, neque in Cæsarem quidquam peccávi. Festus autem volens grátiam præstáre Judæis, respondens Paulo, dixit: Vis Jerosólymam ascéndere, & ibi de his judicári apud

Dixit autem Paulus : Ad tribúnal Cæsaris sto, ibi me oportet judicári : Judæis non nócui, sicut tu méliùs nosti. Cæsarem appello.

℟. Cùm tradent vos, nolíte cogitáre quómodo, aut quid loquámini. * Non enim vos estis qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis. Allelúia. ℣. Spíritus sanctus docébit vos in ipsâ horâ, quid opórteat vos dícere. * Non enim. *Matth.* 10. *Luc.* 12.

LECTIO III.

Et cùm dies áliquot transacti essent, Agrippa rex, & Bérnice descendérunt Cæsaréam ad salutandum Festum. Et cùm dies plures ibi demorarentur, Festus regi indicávit de Paulo. Agrippa autem dixit ad Festum : Volébam & ipse hóminem audíre. Cras, inquit, áudies eum. Alterâ autem die, cùm venisset Agrippa & Bérnice cum multâ ambitióne, jubente Festo, adductus est Paulus.

℟. Semper nos qui vívimus, in mortem trádimur propter Jesum : * Ut & vita Jesu manifestétur in carne nostrâ mortáli. Allelúia. ℣. Deus nos Apóstolos novíssimos ostendit, tamquàm morti destinátos, quia spectáculum facti sumus mundo, & ángelis, & homínibus. * Ut. *II. Cor.* 4. *& I. Cor.* 4.

LECTIO IV. *Cap.* 26.

Agrippa verò ad Paulum ait : Permíttitur tibi loqui pro temetipso. Tunc Paulus extentâ manu cœpit ratiónem réddere. Vitam meam à juventúte, quæ ab inítio fuit in gente meâ in Jerosólymis, novérunt omnes Judæi : præscientes me ab inítio (si velint testimónium perhibére) quóniam secundùm certíssimam sectam nostræ religiónis vixi Pharisæus. Et nunc in spe, quæ ad Patres nostros repromissiónis facta est à Deo, sto judício subjectus : in quam duódecim tribus nostræ, nocte ac die deservientes, sperant devenire. De quâ spe accúsor à Judæis, Rex. Quid incredíbile judicátur apud vos, si Deus mórtuos súscitat ?

℟. Auxílio adjútus Dei usque in hodiernum diem sto, testíficans minóri atque majóri; * Nihil extrà dicens quàm ea quæ Prophétæ locuti sunt futúra esse, & Móyses. † Allelúia. ℣. De resurrectióne mortuórum ego júdicor à vobis : * Nihil. ℣. Glória. † Allelúia. *Act.* 26 & 24.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO V.

Ex Epístolâ sancti Augustíni Epíscopi ad Probam. *Ep.* 130. *Edit. Bened. n.* 16, 17.

QUi novit bona data dare filiis suis, pétere nos & quærere & pulsáre compellit. Quod quare fáciat, qui novit, quid nobis necessárium sit, priusquam petámus ab eo, movére ánimum potest, nisi intelligámus quòd Dóminus & Deus noster non voluntátem nostram sibi velit innotéscere, quam non potest ignoráre; sed exercéri in oratiónibus desidérium nostrum, quò possímus cápere quod præparat dare. Illud enim valde magnum est, sed nos ad capiendum parvi & angusti sumus. Ideò nobis dícitur, Dilatámini, ne sitis jugum ducentes cum infidélibus. Tantò quippe illud quod valde magnum est, quod nec óculus vidit, quia non est color; nec auris audívit, quia non est sonus; nec in cor hóminis ascendit, quia cor hóminis illuc debet ascéndere, sumémus capáciùs, quantò id & fidéliùs crédimus, & sperámus firmiùs, & desiderámus ardéntiùs.

℟. Quid orémus sicut oportet, nescímus; sed * Ipse Spíritus póstulat pro nobis gemítibus inenarrabílibus. Allelúia. ℣. In die illâ, dicit Dóminus, effundam super domum David, & super habitatóres Jerúsalem, Spíritum grátiæ & precum; * Ipse. *Rom.* 8. *Zach.* 12.

LECTIO VI. *n.* 18.

IN ipsâ ergo fide & spe & caritáte continuáto desidério semper orámus. Sed ídeò per certa intervalla horárum & témporũ étiam verbis rogámus Deum, ut illis rerum signis nos-ipsos admoneámus, quantumque in hoc desidério profecérimus nobis-ipsis innotescámus, & ad hoc augendum nos-ipsos ácriùs excitémus. Dígnior enim sequétur effectus, quem fervéntior præcédit affectus. Ac per hoc & quod ait Apóstolus: Sine intermissióne oráte, quid est áliud quàm: Beátam vitam, quæ nulla nisi ætérna est, ab eo qui eam solus dare potest, sine intermissióne desideráte? Semper ergo hanc à Dómino Deo desiderémus, & orámus semper. Sed ídeò ab áliis curis atque negótiis, quibus ipsum desidérium quodam modo tepéscit, certis horis ad negótium orandi mentem revocámus, verbis oratiónis nos-ipsos admonentes in id, quod desiderámus, inténdere, ne quod tepéscere cœperat,

omníno frigescat, & pénitùs exstinguátur, nisi crébriùs inflammétur.

℟. Usque modò non petistis quidquam in nómine meo: * Pétite, & accipiétis, ut gáudium vestrum sit plenum. Allelúia. ℣. Voluntátem timéntium se fáciet Dóminus, & deprecatiónem eórum exáudiet: * Pétite. *Joan.* 16. *Ps.* 144.

LECTIO VII. *n.* 19.

QUæ cùm ita sint, étiam cùm diu oráre vacat, id est, cùm ália bonárum & necessariárum actiónum non impediuntur officia, quàmvis & in eis, ut dixi, desidério illo semper orandum sit, non est ímprobum nec inútile. Neque enim, ut nonnulli putant, hoc est oráre in multilóquio, si diútiùs orétur. Aliud est sermo multus, áliud diuturnus affectus. Nam & de ipso Dómino scriptum est, quòd pernoctáverit in orando, & quòd prolíxiùs oráverit: ubi quid áliud quàm nobis præbeat exemplum, in têmpore precátor opportúnus, cum Patre exaudítor ætemus?

℟. Orábitis me, & ego exáudiam vos: quærétis me, & inveniétis, * Cùm quæsiéritis me in toto corde vestro. Allelúia. ℣. Pétite, & dábitur vobis: quærite, & inveniétis; * Cùm. *Jerem.* 29. *Luc.* 11.

LECTIO VIII. *n.* 20.

DIcúntur fratres in Ægypto crebras quidem habére oratiónes, sed eas tamen brevíssimas, & raptim quodámmodò jaculátas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plúrimùm necessária est, per productióres moras vanescat atque hebetétur inténtio. Ac per hoc étiam ipsi satis ostendunt, hanc intentiónem, sicut non est obtundenda, si perduráre non potest, ita si perduráverit, non citò esse rumpendam. Absit enim ab oratióne multa loquútio, sed non desit multa precátio, si fervens persevérat inténtio. Nam multùm loqui, est in orando rem necessáriam supérfluis ágere verbis. Multùm autem precári, est ad eum quem precámur, diuturnâ & piâ cordis excitatióne pulsáre. Nam plerumque hoc negótium plus gemítibus quàm sermónibus ágitur, plus fletu quàm affátu.

℟. Veri adoratóres adorábunt Patrem in spíritu & veritáte. * Nam & Pater tales quærit, qui adórent eum. † Allelúia. ℣. Spíritus est Deus: & eos, qui adórant eum, in spíritu & veritáte oportet adoráre. * Nam. ℣. Glória. † Allelúia. *Joan.* 4.

IN III. NOCTURNO.

Cantica, Ant. & ℣. ut in die Pascha, pag. 332.

Lectio IX.

Ex Epístolâ primâ beáti Joannis Apóstoli.

Cap. 5.

Omnis qui credit, quóniam Jesus est Christus, ex Deo natus est. Et omnis, qui díligit eum qui génuit, díligit & eum qui natus est ex eo. In hoc cognóscimus quóniam dilígimus natos Dei, cùm Deum diligámus, & mandáta ejus faciámus. Hæc est enim cáritas Dei, ut mandáta ejus custodiámus: & mandáta ejus grávia non sunt. Quóniam omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum; & hæc est victória, quæ vincit mundum, fides nostra. Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit quóniam Jesus est Fílius Dei? Hic est, qui venit per aquam & sánguinem, Jesus Christus: non in aquâ solùm, sed in aquâ & sánguine. Et Spíritus est, qui testificátur, quóniam Christus est véritas. Quóniam tres sunt, qui testimónium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spíritus sanctus: & hi tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimónium dant in terrâ: Spíritus, & aqua, & sanguis: & hi tres (in) unum sunt.

℟. Sit cor nostrum perfectum cum Dómino Deo nostro, * Ut ambulémus in decrétis ejus, & custodiámus mandáta ejus. Allelúia. ℣. Verè in hoc cáritas Dei perfecta est; * Ut ambulémus. *III. Reg.* 8. *I. Joan.* 2.

Lectio X.

Si testimónium hóminũ accípimus, testimónium Dei majus est: quóniam hoc est testimónium Dei quod majus est: quóniam testificátus est de Fílio suo. Qui credit in Fílium Dei, habet testimónium Dei in se. Qui non credit Fílio, mendácem facit eum: quia non credit in testimónium quod testificátus est Deus de Fílio suo. Et hoc est testimónium, quóniam vitam ætérnam dedit nobis Deus. Et hæc vita in Fílio ejus est. Qui habet Fílium, habet vitam: qui non habet Fílium, vitam non habet.

℟. Vita manifestáta est, & vídimus & testámur, & * Annuntiámus vobis vitam ætérnam, quæ erat apud Patrem, & appáruit nobis. Allelúia. ℣. Non doctas fábulas secúti, notam fécimus vobis Dómini nostri Jesu Christi virtútem & præséntiam; sed speculatóres facti illíus magnitúdinis; * Annuntiámus. *I. Joan.* 1. *II. Petr.* 1.

omníno frigescat [illegible] tùs exstinguá[illegible] ut briùs inflam[illegible] vitam

℟. Usq[illegible] qui cré-distis qui[illegible] Filii Dei. meo: [illegible] fidúcia, quam ut g[illegible] eum: quia plen[illegible] petiérimus [illegible] voluntátem ejus, [illegible] Et scimus quia [illegible] quidquid petiérimus [illegible] scimus quóniam habémus petitiónes quas postulámus ab eo. Qui scit fratrem suum peccáre peccátum non ad mortem, petat, & dábitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccátum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis.

℟. Oráte pro ínvicem ut salvémini: *Multum enim valet deprecátio justi assídua. Allelúia. ℣. Sine intermissióne oráte. * Multùm. *Jac.* 5. *I. Thess.* 5.

L E C T I O XII.

OMnis iníquitas, peccátum est: & est peccátum ad mortem. Scimus quia omnis, qui natus est ex Deo, non peccat: sed generátio Dei consérvat eum, & malignus non tangit eum. Scimus quóniam ex Deo sumus: & mundus totus in maligno pósitus est. Et scimus quóniam Fílius Dei venit, & dedit nobis sensum ut cognoscámus verum Deum, & simus in vero Fílio ejus. Hic est verus Deus, & vita ætérna. Filíoli, custodíte vos à simulácris. Amen.

℟. Nosse te, Deus, consummáta justítia est; *Et scire justítiam, & virtútem tuam, radix est immortalitátis. † Allelúia. ℣. Hæc est vita ætérna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misísti Jesum Christum; * Et scire. ℣. Glória. † Allelúia. *Sap.* 15. *Joan.* 17.

E V A N G E L I U M.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joannem. *Cap.* 16.

DIxit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis: si quid petiéritis Patrem in nómine meo, dabit vobis. Usque modò non petístis quidquam in nómine meo. Pétite, & accipiétis, ut gáudium vestrum sit plenum. Hæc in provérbiis locútus sum vobis. Venit hora cùm jam non in provérbiis loquar vobis, sed palàm de Patre annuntiábo vobis. In illo die in nómine meo petétis; & non dico vobis quia ego rogábo Patrem de vobis: ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis quia ego à Deo exívi. Exívi à Patre, & veni in mundum: íterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Dicunt ei discípuli ejus: Ecce nunc palàm lóqueris, & provér-

bium nullum dicis. Nunc scimus quia scis ómnia, & non opus est tibi ut quis te intérroget: in hoc crédimus quia à Deo existi.

AD LAUDES.

Antiphonæ ut in Psalterio.

LECTIO. *I. Joan. 3.*

CArissimi, si cor nostrum non reprehénderit nos, fidúciam habémus ad Deũ; & quidquid petiérimus, accipiémus ab eo; quóniam mandáta ejus custodímus, & ea quæ sunt plácita corã eo, fácimus.

℟. *br. & Hymnus ut in die Paschæ, pag.* 336.

℣. Non sprevit, neque despexit deprecatióne̅ páuperis; ℟. Nec avertit fáciem suam à me. *Ps.* 21.

Ad Benedictus. *Ant.* Usque modò non petistis quidquam in nómine meo: pétite, & accipiétis Allelúia. *Joan.* 16.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

DEus, à quo bona cuncta procédunt, † largíre supplícibus tuis, * ut cogitémus te inspirante quæ recta sunt, & te gubernante, éadem faciámus; Per Dóminum.

AD HORAS, *Psalmi cum* Allelúia, *&c. ut in Psalterio.*

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Concílio Aurelianensi, *An.* 511. *Can.* 27.

ROgatiónes, id est Litánias ante Ascensiónem Dómini, ab ómnibus Ecclésiis plácuit celebrári; ita ut præmissum triduánum jejúnium in Domínicæ Ascensiónis festivitáte solvátur; per quod tríduum servi & ancillæ ab omni ópere relaxentur, quò magis plebs universa convéniat. Quo tríduo omnes abstíneant, & quadragesimálibus cibis utantur.

AD TERTIAM.

LECTIO. *I. Joan.* 2.

SI quis peccáverit, advocátum habémus apud Patrem, Jesum Christum justum; † & ipse est propitiátio pro peccátis nostris; * non pro nostris autem tantùm, sed étiam pro totíus mundi.

℣. Desidérium páuperum exaudívit Dóminus; ℟. Præparatiónem cordis eórum audívit auris tua. *Ps.* 9.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Jac.* 1.

SI quis vestrûm índiget sapiéntiâ, póstulet à Deo, qui dat ómnibus affluenter & non impróperat; & dábitur ei. † Póstulet autem in fide nihil hæsitans: qui enim hæsitat, símilis est flúctui maris, qui à vento movétur & circumfertur. * Non ergo æstimet homo ille quod accípiat áliquid à Dómino.

℣. Propè est Dómin[illegible]

ómnibus invocántibus eũ; ℟. Omnibus invocántibus eum in veritáte. *Ps.* 144.

AD NONAM.

LECTIO. *I. Joan.* 5.

CRéditis in nómine Filii Dei: † & hæc est fidúcia quam habémus ad eum, quia quodcumque petiérimus secundùm voluntátem ejus, audit nos. *Et scimus quia audit nos, quidquid petiérimus: scimus quóniam habémus petitiónes quas postulámus ab eo.

℣. Voluntátem timéntium se fáciet, & deprecatiónem eórum exáudiet; ℟. Et salvos fáciet eos. *Ps.* 144.

AD VESPERAS.

Antiphona ut in Psalterio.

LECTIO. *Hebr.* 10.

HAbentes, fratres, fidúciam in intróitu sanctórũ in sánguine Christi, quam initiávit nobis viam novam & viventem per velámen, id est, carnem suam, † & sacerdótem magnum super domum Dei: * accedámus cum vero corde in plenitúdine fidei.

℟. *br.* Tu Dómine, suávis & mitis; * Allelúia, allelúia. ℟. Tu Dómine. ℣. Et multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te; * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Tu Dómine. *Ps.* 85.

Hymnus ut in die Pascha, pag. 338.

℣. Oculi Dómini super justos; ℟. Et aures ejus in preces eórum. *Ps.* 33.

Ad Magníficat. *Ant.* In nómine meo petétis, & non dico vobis, quia ego rogábo Patrem de vobis: ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis quia ego à Deo exívi. Allelúia. *Joan.* 16.

FERIA SECUNDA

IN ROGATIONIBUS.

Omnia ut in Feriis Temporis Paschalis.

LECTIO I.

Ex Actibus Apostolórum. *Cap.* 26.

ET ego quidem existimáveram, me adversùs nomen Jesu Nazaréni debére multa contrária ágere. Quod & feci Jerosólymis, & multos sanctórum ego in carcéribus inclúsi, à princípibus sacerdótum potestáte acceptâ: & cùm occiderentur, détuli senténtiam. Et per omnes synagógas frequenter púniens eos, compellébam blasphemáre: & ampliùs insániens in eos, persequébar usque in éxteras civitátes. ¶ In quibus dum irem Damascum, cum potestáte & permissu príncipum sacerdótum, die médiâ in viâ, vidi, Rex, de cœlo supra splendórem solis circumfulsisse me lumen, & eos, qui mecum simul

ſimul erant. Omneſque nos cùm decidiſsémus in terram, audívi vocem loquentem mihi Hebráicâ linguâ: Saule, Saule, quid me perſéqueris? Durum eſt tibi contra ſtímulum calcitráre.

LECTIO II.

EGo autem dixi: Quis es, Dómine? Dóminus autem dixit: Ego ſum Jeſus, quem tu perſéqueris, ſed exſurge, & ſta ſuper pedes tuos: ad hoc enim appárui tibi, ut conſtítuam te miniſtrum, & teſtem eórum quæ vidiſti, & eórum quibus apparébo tibi, erípiens te de pópulo, & Géntibus, in quas nunc ego mitto te, aperíre óculos eórum, ut convertantur à ténebris ad lucem, & de poteſtáte sátanæ ad Deum; ut accípiant remiſsiónem peccatórum, & ſortem inter ſanctos per fidem, quæ eſt in me. ¶ Unde, rex Agrippa, non fui incrédulus cœleſti viſióni: ſed his, qui ſunt Damaſci primùm & Jeroſólymis, & in omnem regiónem Judææ, & Géntibus annuntiábam, ut pœniténtiam ágerent, & converterentur ad Deum, digna pœniténtiæ ópera facientes. Hâc ex causâ me Judæi, cùm eſſem in templo, comprehenſum tentábant interfícere. Auxílio autem adjútus Dei uſque in hodiernum diem ſto, teſtíficans minóri, atque majóri, nihil extrà dicens quàm ea, quæ Prophétæ locúti ſunt futúra eſſe, & Móyſes: Si paſsíbilis Chriſtus, ſi primus ex reſurrectióne mortuórum, lumen annuntiatúrus eſt pópulo, & Géntibus.

℟. I. Supra modum perſequébar Eccléſiam Dei, & expugnábam illam, * Abundántiùs æmulátor exſiſtens paternárum meárum traditiónum. Allelúia. ℣. Dómine, ipſi ſciunt quia ego eram conclúdens in cárcerem, & cædens per ſynagógas eos qui credébant in te, * Abundántiùs. *Galat.* 1. *Act.* 22.

℟. II. Grátiâ Dei ſum id quod ſum, * Et grátia ejus in me vácua non fuit. Allelúia. ℣. Priùs blaſphémus fui, & perſecútor, & contumelióſus: ſed miſericórdiam Dei conſecútus ſum: * Et grátia. *I. Cor.* 15. *I. Tim.* 1.

℟. III. Factum eſt reverténti mihi in Jerúſalem, & oranti in templo, vidére me, Jeſum dicentem mihi: * Exi velóciter de Jerúſalem: quóniam non recípient teſtimóniū tuum de me. Allelúia. ℣. Póſui te in lucem Géntium. * Exi. *Act.* 22. & 13.

℟. IV. Cùm plácuit ei qui me vocávit per grá-

tiam suam, ut reveláret Filium suum in me, ut evangelizárem illum in Géntibus, * Contínuò non acquiévi carni & sánguini. † Allelúja. ℣. Dixit Dóminus ad me: Vade; quóniam ego in natiónes longè mittam te. * Contínuò. ℣. Glória. † Allelúia. *Galat.* 1. *Act.* 22.

LECTIO III.

Ex Epístolâ sancti Augustíni Epíscopi ad Probam. *Epist.* 130. *Edit. Bened. n.* 21 & 22.

CUm dícimus: Líbera nos à malo; nos admonémus cogitáre, nondum nos esse in eo bono, ubi nullum patiémur malum. Et hoc quidem últimum quod in Domínicâ oratióne pósitum est, tam latè patet, ut homo Christiánus in quâlibet tribulatióne constitútus, in hoc gémitus edat, in hoc lácrymas fundat, hinc exordiátur, in hoc immorétur, ad hoc términet oratiónem. His enim verbis res ipsas memóriæ nostræ commendári oportébat. Nam quælibet ália verba dicámus, quæ affectus orantis vel præcedendo format ut cláreat, vel consequendo adtendit ut crescat; nihil áliud dícimus quàm quod in istâ Domínicâ oratióne pósitum est, si rectè & congruenter orámus. Quisquis autem id dicit quod ad istam Evangélicam precem pertinére non possit, étiamsi non illícitè orat, carnáliter orat: quod néscio quemádmodum non dicátur illícitè, quandóquidem Spíritu renátos nonnísi spirituáliter decet oráre. Et si per ómnia precatiónum sanctárum verba discurras, quantùm exístimo, nihil invénies quod in istâ Domínicâ non contineátur & concludátur oratióne. Unde líberum est áliis atque áliis verbis, éadem tamen in orando dícere, sed non debet esse líberum ália dícere. Hæc & pro nobis, & pro nostris, & pro aliénis, atque pro ipsis inimícis sine fluctu dubitatiónis oranda sunt: quàmvis álius pro isto, álius pro illo, sicut se habent propinquitátes vel longinquitátes necessitúdinum, in corde orantis oriátur aut excellat affectus.

℟. Pétite & dábitur vobis: * Omnis enim qui petit, áccipit; & qui quærit, ínvenit; & pulsanti aperiétur. † Allelúia. ℣. Propè est Dóminus ómnibus invocántibus eum: ómnibus invocántibus eum in veritáte. * Omnis. ℣. Glória. † Allelúia. *Luc.* 11. *Ps.* 144.

Ad Benedictus. *Ant.* Quis ex vobis patrem petit panem, numquid lápidem

dabit illi? Allelúia. *Luc.* 11.

COLLECTA. *Brev. Parif.*

DEus, qui Spíritus es, & eos qui te adórant, in fpíritu & veritáte jubes adoráre: ✝ purífica, quæ-fumus, fancto amóre tuo corda noftra, * ut te in ómnibus, & fuper ómnia diligentes, fincérâ tibi pietáte placeámus; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Colonienfi. *An.* 1536. *Part.* 9. *Can.* 7.

LItánias, id eft fupplicatiónes, feu Rogatiónes, indicto triduáno jejúnio ante Dómini afcenfiónem, Pátribus plácuit celebrári; quibus omnes intereffe jubentur, ut quemádmodùm omnes peccavérunt, fic & omnes pro véniâ súpplicent, omnefque ad Deum corda cum mánibus élevent.

Ad Magníficat. *Ant.* Si vos cùm fitis mali, noftis bona data dare fíliis veftris; quantò magìs Pater vefter de cœlo dabit fpíritum bonum peténtibus fe? Allelúia. *Luc.* 11.

¶ *Hoc Triduo, qui non interfunt Proceffionibus Rogationum, tenentur recitare Litanias Sanctorum cum fuis Orationibus.*

FERIA TERTIA
IN ROGATIONIBUS.

LECTIO I.

Ex Actibus Apoftolórum. *Cap.* 26.

LOquente Paulo, & ratiónem reddente, Feftus magnâ voce dixit: Insánis, Paule; multæ te lítteræ ad insániam convertunt. Et Paulus: non insánio, inquit, óptime Fefte, fed veritátis & fobrietátis verba loquor. Scit enim de his rex, ad quem & conftanter loquor. Latére enim eum nihil horum árbitror. Neque enim in ángulo quidquam horum geftum eft. ¶ Credis, rex Agrippa, Prophétis? Scio quia credis. Agrippa autem ad Paulum: In módico fuádes me Chriftiánum fieri. Et Paulus: Opto apud Deum & in módico, & in magno, non tantùm te, fed étiam omnes, qui áudiunt, hódie fieri tales, qualis & ego fum, excerptis vínculis his. Et exfurrexit rex, & præfes, & Bérnice, & qui adfidébant eis. Et cùm fecefliffent, loquebantur ad ínvicem, dicentes: Quia nihil morte, aut vínculis dignum quid fecit homo ifte. Agrippa autem Fefto dixit: Dimitti póterat homo hic, fi non appellaffet Cæfarem.

V 2

Lectio II. *Cap.* 27 & 28.

UT autem judicátum est navigáre eum in Itáliam, & tradi Paulum cum réliquis custódiis Centurióni nómine Júlio cohortis Augustæ, ascendentes navem Adrumetínam, incipientes navigáre circa Asiæ loca, sustúlimus. Multo autem témpore peracto, & cùm jam non esset tuta navigátio, eò quòd & jejúnium jam præteriisset, consolabátur eos Paulus dicens eis: Viri, video quóniam cum injúriâ, & multo damno non solùm óneris, & navis sed étiam animárnm íncipit esse navigátio. Válidâ autem nobis tempestáte jactátis, sequenti die jactum fecérunt. Et cùm multa jejunátio fuisset, tunc stans Paulus in médio eórum, dixit: Suádeo vobis bono ánimo esse; amíssio enim nullíus ánimæ erit ex vobis; præterquàm navis. Adstitit enim mihi hâc nocte Angelus Dei, cujus sum ego, & cui desérvio, dicens: Ne tímeas, Paule, Cæsari te oportet adsístere: & ecce donávit tibi Deus omnes, qui návigant tecum. Propter quod bono ánimo estóte, viri: credo enim Deo, quia sic erit, quemádmodum dictum est mihi. In ínsulam autem quamdam oportet nos deveníre. ¶ Et cùm evasissémus, tunc cognóvimus quia Melita ínsula vocabátur. Cùm congregasset autem Paulus sarmentórum aliquantam multitúdinem, & imposuisset super ignem, vípera à calóre cùm processisset, invásit manum ejus. Ut verò vidérunt Bárbari pendentem béstiam de manu ejus, ad ínvicem dicébant: Utique homicída est homo hic, qui cùm eváserit de mari, últio non sinit eum vívere. Et ille quidem excútiens béstiam in ignem, nihil mali passus est. At illi existimábant eum in túmórem convertendum, & súbitò casúrum, & mori. Diu autem illis exspectántibus, & vidéntibus nihil mali in eo fieri, convertentes se, dicébant eum esse deum.

℟. I. Verbum crucis pereúntibus quidem stultítia est: * Iis autem, qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est. Allelúia. ℣. Animális homo non pércipit ea quæ sunt Spíritûs Dei: stultítia enim est illi; * Iis autem. *I. Cor.* 1 & 2.

℟. II. In Evangélio labóro usque ad víncula, quasi malè óperans: sed * Verbum Dei non est alligátum. Allelúia. ℣. Loquébar de testimóniis tuis in conspectu regum, & non confundébar. * Verbum. *II. Tim.* 2. *Ps.* 118.

℟. III. Constans esto: * Sicut enim testificátus es de me in Jerúsalem, sic te oportet & Romæ testificári. Allelúia. ℣. Cùm transíeris per aquas, tecum ero, & flúmina non opérient te: * Sicut. *Act.* 23. *Isai.* 43.

℟. IV. Signa eos qui credíderint, hæc sequentur: * In nómine meo dæmónia ejícient, serpentes tollent, & si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit. † Allelúia. ℣. Qui credit in me, ópera quæ ego fácio & ipse fáciet, & majóra horum fáciet: * In nómine. ℣. Glória. † Allelúia. *Marc.* 16. *Joan.* 14.

LECTIO III.

Ex Sermóne sancti Augustíni Epíscopi ad Continentes. *Serm.* 354. *Edit. Bened.*

NE putétis magnum esse hoc, quando quisque orat pro magno, si exaudítur. Quære quid orat, quære in quo exaudiátur. Nam non habeátis pro magno, exaudíri ad voluntátem: habéte pro magno, exaudíri ad utilitátem. Ad voluntátem étiam princeps dæmonum exaudítus est diábolus, à quo pétitus Job tentandus non est negátus, ut esset ille probátus, iste confúsus. Ad voluntátem étiam Israelítæ exaudíti sunt; & cùm adhuc cibus esset in ore ipsórum, nostis quæ consecúti sunt. Nolíte ergo pro magno habére, exaudíri ad voluntátem. Aliquando Deus irátus dat quod petis, & Deus propítius negat quod petis. Cùm verò ea quæ Deus laudat, quæ Deus præcipit, quæ Deus in futúro século promittit, ab illo pétitis; secúri pétite, & incúmbite, quantùm potestis, oratiónibus, ut sumátis. Illa enim propítio Deo conceduntur: illa ejus non irâ, sed misericórdiâ largiuntur. Quando autem pétitis temporália, cum modo pétite, cum timóre pétite: illi commíttite, ut si prosunt, det; si scit obesse, non det. Quid autem obsit, quid prosit, médicus novit, non ægrótus.

℟. Nolíte sollíciti esse, dicentes: Quid manducábimus, aut quid bibémus, aut quo operiémur? * Scit enim Pater vester quia his ómnibus indigétis. † Allelúia. ℣. Quærite primùm regnum Dei & justítiam ejus, & hæc ómnia adjicientur vobis: * Scit. ℣. Glória. † All. *Matth.* 6.

Ad Benedictus. *Ant.* Dixit unus ex discípulis ad Jesum: Dómine, doce nos oráre. Allelúia. *Luc.* 11.

COLLECTA. *Brev. Parис.*

EXcita, Dómine, tuórum corda fidélium, † ut sacris intenta doctrínis,

quod precentur intélligant, * & petendo perseveranter, obtíneant; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Coloniensi. *An.* 1536. *Part.* 9. *Can.* 7.

LItániæ, seu Rogatiónes, princípio institútæ sunt, ut tum pópulus divínâ institutióne admónitus, cleméntiam Dei exóret, quò pestes, clades, calamitátes, fames, bella, & id géneris adversa, quæ nobis justíssimo Dei judício ob peccáta nostra infliguntur, avertat & tollat.

Ad Magníficat. *Ant.* Cùm orátis, dícite: Pater, sanctificétur nomen tuum. Allelúia. *Luc.* 11.

FERIA QUARTA
IN ROGATIONIBUS.

VIGILIA
ASCENSIONIS DOMINI.

Omnia ut in Feriis Temporis Paschalis.

LECTIO I.

Ex Actibus Apostolórum. *Cap.* 28.

CUm autem venissémus Romam, permissum est Paulo manére síbimet cum custodiente se mílite. Post tértium autem diem convocávit primos Judæórum. Cùmque convenissent, dicébat eis: Ego, viri fratres, nihil advérsus plebem fáciens, aut morem paternum, vinctus ab Jerosólymis tráditus sum in manus Romanórum, qui cùm interrogatiónem de me habuissent, voluérunt me dimíttere, eò quòd nulla esset causa mortis in me. ¶ Contradicéntibus autem Judæis, coactus sum appelláre Cæsarem, non quasi gentem meam habens áliquid accusáre. Propter hanc ígitur causam rogávi vos vidére, & álloqui. Propter spem enim Israel caténâ hâc circúmdatus sum. At illi dixérunt ad eum: Nos neque lítteras accépimus de te à Judæâ, neque advéniens áliquis fratrum nuntiávit, aut locútus est quid de te malum. Rogámus autem à te audíre quæ sentis: nam de sectâ hâc notum est nobis quia ubíque ei contradícitur.

Responsoria ut supra, Feriâ II. pag. 457.

LECTIO II.

CUm constituissent autem illi diem, venérunt ad eum in hospítium plúrimi, quibus exponébat testíficans regnum Dei, suadénsque eis de Jesu ex lege Móysi & Prophétis, à mane usque ad vésperam. Et quidam credébant his quæ dicebantur: quidam verò non credébant. Cùmque in-

vicem non essent consentientes, discedébant, dicente Paulo unum verbum: Quia bene Spíritus sanctus locútus est per Isaíam Prophétam ad patres nostros, dicens: Vade ad pópulum istum, & dic ad eos: Aure audiétis, & non intelligétis; & videntes vidébitis, & non perspiciétis. Incrassátum est enim cor pópuli hujus, & áuribus gráviter audiérunt, & óculos suos compressérunt: ne fortè vídeant óculis, & áuribus áudiant, & corde intélligant, & convertantur, & sanem eos. ¶ Notum ergo sit vobis, quóniam Géntibus missum est hoc salutáre Dei, & ipsi áudient. Et cùm hæc dixisset, exiérunt ab eo Judæi, multam habentes inter se quæstiónem. Mansit autẽ biénnio toto in suo conducto: & suscipiébat omnes, qui ingrediebantur ad eum, prædicans regnum Dei, & docens quæ sunt de Dómino Jesu Christo cum omni fidúciâ, sine prohibitióne.

LECTIO III.

Ex Sermóne secundo sancti Leónis Papæ, de Resurrectióne Dómini. *Cap. 3, 4 & 5.*

SI incunctanter crédimus corde, quod ore profitémur, nos in Christo crucifixi, nos sumus mórtui, nos sepulti, nos étiam in ipso die tértio suscitáti. Ut autem nóverint corda fidélium habére se, unde ad supernam sapiéntiam spretis mundi cupiditátibus váleant elevári, spondet nobis Dóminus præséntiam suam, dicens: Ecce ego vobiscum sum ómnibus diébus usque ad consummatiónem séculi. Non enim frustrà per Isaíam díxerat Spíritus sanctus: Ecce Virgo in útero accípiet & páriet Fílium, & vocábunt nomen ejus Emmánuel; quod est interpretátum: Nobiscum Deus. Implet ergo Jesus proprietátem nóminis sui: & qui ascendit in cœlos, non déserit adoptátos: qui sedet ad déxteram Patris, ipse totíus habitátor est córporis: Et ipse deorsùm confortat ad patiéntiam; qui sursùm invitat ad glóriam. Nec inter vana ígitur nobis desipiendum est, nec inter adversa trepidandum. Ibi quidem blandiuntur deceptiónes, & hìc gravescunt labóres. Sed quia misericórdiâ Dómini plena est terra, adest nobis Christi ubíque victória, ut impleátur quod ait: Nolíte timére, quia ego vici mundum. Sive ergo contra ambitiónem séculi, sive contra concupiscéntiam carnis, sive contrà hæreticórum jácula dimicémus, Domínicâ Cruce semper armémur.

Imitámini quod operátus est, dilígite quod diléxit; & inveniétis in vobis Dei grátiam. Vestram in illo redamáte natúram; quóniam sicut ille paupertáte divítias non amísit, glóriam humilitáte non mínuit, æternitátem morte non pérdidit; ita & vos eísdem grádibus, eísdem vestígiis, ut cœléstia apprehendátis, terréna despícite.

℟. Si consurrexístis cum Christo, * Quæ sursùm sunt quærite, ubi Christus est in déxterâ Dei sedens; quæ sursùm sunt sápite, non quæ super terram. † Allelúia. ℣. Usquequò gravi corde? Ut quid dilígitis vanitátem, & quærítis mendácium? * Quæ. ℣. Glória. † Allelúia. *Coloss.* 3. *Ps.* 4.

Ad Benedictus. *Ant.* Pater, non pro mundo rogo, sed pro his quos dedísti mihi, quia tui sunt. Et jam non sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te vénio. Allelúia. *Joan.* 17.

COLLECTA. *Sacr. Leon.*

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, † ut nostræ mentis inténtio, quò ventúræ solemnitátis gloriósus Autor ingressus est, semper intendat; * & quò fide pergit, conversatióne pervéniat; Per eumdem Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Cameracensi. *An.* 1565. *Tit.* 6. *Can.* 12.

SUpplicatiónes quas usitáto vocábulo Litánias dícimus, gráviter, religioséque, húmili & quasi depressâ voce cani debent: ut eâ cæremóniâ pius & adtentus affectus deprecantis Ecclésiæ declarétur, quò pópuli devótio magis accendátur.



IN ASCENSIONE DOMINI.

Solemnitas I. Classis.

AD I. VESPERAS.

Antiphonæ.

I. QUis ascendit in cœlum, atque descendit? Quis suscitávit omnes términos terræ? Quod nomen est ejus, si nosti? Allelúia. *Prov.* 30.

II. Non est Deus álius, ut Deus ascensor cœli: Magnificéntiâ ejus discurrunt nubes: habitáculum ejus sursum. Allelúia. *Deut.* 33.

III. Ascendet pandens iter ante eos: & transíbit Rex eórum coràm eis, & Dóminus in cápite eórum. Allelúia. *Mich.* 2.

IV. Ecce intélliget servus meus, exaltábitur, & elevábitur, & sublímis erit valde. Allelúia. *Isai.* 52.

Lectio. *Act.* 3.

PRædicátus est vobis Jesus Christus, † quem oportet quidem cœlum suscípere, usque in témpora restitutiónis ómnium, * quæ locútus est Deus per os sanctórum suórum à século Prophetárum.

℟. *br.* Elevámini, portæ æternáles, * Allelúia, allelúia. ℟. Elevámini. ℣. Et introíbit Rex glóriæ. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Elevámini. *Ps.* 23.

Hymnus.

Brev. Rom. emend.

JEsu, salus mortálium,
Orbis Parens & víctima,
Ægris levámen córdibus,
Verumque lumen méntium:

Quâ victus es cleméntiâ,
Ut tólleres mundi scelus,
Necem subíres ínnocens,
Nos ut neci subdúceres!

Perrumpis infernas domos;
Vinctis caténas détrahis:
Victor triumpho nóbili
Dextræ Parentis ássides.

Te cogat hæc cleméntia
Ut damna nostra sárcias;
Tuíque vultûs cómpotes
Reddas supernis sédibus.

Tu dux ad astra, tu via:
Sis meta nostris córdibus;
Et flétibus quos élicis
Divína misce gáudia.

Te mens anhelat, te sitit;
Tu, corda, Jesu, répleas,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

℣. Regnábit Deus super gentes: ℟. Deus sedet super sedem sanctam suam. *Ps.* 46.

Ad Magníficat. *Ant.* Dicit Maríæ Jesus : Vade ad fratres meos, & dic eis : Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum ; Deum meum, & Deum vestrum. Allelúia. *Joan.* 20.

Collecta infrà ad Laudes, pag. 475.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Allelúia. Dóminum Jesum euntem in cœlum ; * Veníte, adorémus. Allelúia. *Act.* 1.

HYMNUS. *B.*

PRomissa, tellus, cóncipe gáudia ;
Te fausta cœlo conciliat dies :
Deus tumentes ponet iras :
Sancta tuus Mediátor intrat.

Tu, Christe, victor mortis & ínferi,
Cruóre partam súscipe glóriam :
Procéde, regna, sume sceptrum ;
Subjicitur tibi totus orbis.

Quid obstupentes suspicitis polo,
O vos, euntem, discipuli, Deum ?
Ut nunc redemptor scandit astra,
Sic veniet metuendus ultor.

O Christe, dextræ qui Patris ádsides,
Fac nos triumphi partícipes tui :
Certámen urget : militémus,
Et, duce te, superémus hostem.

Laus summa Patri, qui Genitum polo
Pacis perennis súscipit óbsidem :
Laus, qui triumphat, summa Nato :
Par tibi laus, Utriúsque Nexus. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. I. Qui ædíficat in cœlo ascensiónem suam, Dóminus nomen illi. Allelúia. *Amos.* 9.

II. Ecce vir Oriens nomen ejus : & subter eum oriétur, & ædificábit templum Dómino. Allelúia. *Zach.* 6.

III. Ipse portábit glóriã, & sedébit, & dominábitur super sólio suo. Allelúia. *Zach.* 6.

IV. Erit sacerdos super sólio suo, & consílium pacis erit inter illos. Allelúia. *Zach.* 6.

V. Stabunt pedes ejus in die illâ super Montem olivárum qui est contra Jerúsalem ad Orientem. Allelúia. *Zach.* 14.

VI. Qui redémpti sunt à Dómino, reverténtur, & vénient in Sion laudantes. Allelúia. *Is.* 51.

℣. Iter fácite ei qui ascendit super Occásum.
℟. Dóminus, nomen est illi. *Ps.* 67.

LECTIO I.

Initium Libri Actuum Apostolórum.

Cap. 1.

PRimum quidem sermónem feci de ómnibus, ô Theóphile, quæ cœpit Jesus fácere, & docére, usque in diem quâ præcípiens Apóstolis per Spíritum sanctum, quos elégit, assumptus est: quibus & præbuit seipsum vivũ post passiónem suam in multis argumentis, per dies quadraginta appárens eis, & loquens de regno Dei.

℟. Dixit Jesus: Adhuc módicum: & mundus me jam non videt, vos autem vidétis me; quia ego vivo & vos vivétis. * In illo die vos cognoscétis, quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Allelúia. ℣. Non turbétur cor vestrum. Créditis in Deum, & in me crédite. * In illo. *Joan.* 14.

LECTIO II.

ET convescens, præcépit eis ab Jerosólymis ne discéderent, sed exspectárent promissiónem Patris, quam audistis, inquit, per os meum. Quia Joannes quidem baptizávit aquâ, vos autem baptizabímini Spíritu sancto non post multos hos dies. Igitur qui convénerant, interrogábant eum, dicentes: Dómine, si in témpore hoc restítues regnum Israel? Dixit autem eis: non est vestrûm nosse témpora vel momenta, quæ Pater pósuit in suâ potestáte: sed accipiétis virtútem supervenientis Spíritûs sancti in vos, & éritis mihi testes in Jerúsalem, & in omni Judæâ, & Samaríâ, & usque ad últimum terræ.

℟. Vado paráre vobis locum: íterum vénio, * Et accípiam vos ad meipsum; ut ubi sum ego, & vos sitis. Allelúia. ℣. Ego rogábo Patrem, & álium Paraclétum dabit vobis, ut máneat vobiscum in ætérnum. Non relinquam vos órphanos, véniam ad vos. * Et accípiam. *Joan.* 14.

LECTIO III.

ET cùm hæc dixisset, vidéntibus illis, elevátus est; & nubes suscépit eum ab óculis eórum. Cùmque intueréntur in cœlum eúntem illum, ecce duo viri adstitérunt juxta illos in véstibus albis, qui & dixérunt: Viri Galilæi, quid statis adspicientes in cœlum? hic Jesus, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic véniet, quemádmodum vidistis eum euntem in cœlum.

℟. Attóllite portas, príncipes, vestras, & * Elevámini portæ æternáles; & introíbit Rex glóriæ. Allelúia. ℣. Venit hora ut cla-

rificétur Fílius hóminis. * Elevámini. *Ps.* 23. *Joan.* 12.

LECTIO IV.

TUnc reversi sunt Jerosólymam, à monte qui vocátur Olivéti, qui est juxta Jerúsalem, sábbati habens iter. Et cùm introissent in cœnáculum, ascendérunt ubi manébant Petrus & Joannes, Jacóbus & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Jacóbus Alphæi, & Simon Zelótes, & Judas Jacóbi. Hi omnes erant perseverantes unanímiter in oratióne cum muliéribus, & Maríâ matre Jesu, & frátribus ejus.

℟. Ascendit Deus in júbilo: * Psállite Deo nostro: psállite: Psállite Regi nostro psállite; quóniam Rex omnis terræ Deus. † Allel. ℣. Dóminus Jesus assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei. * Psállite. ℣. Glória. † Allelúia. *Ps.* 46. *Marc.* 16.

IN II. NOCTURNO.

Ant. I. Præbuit se ipsum vivum Jesus Apóstolis post passiónem suam, per quadraginta dies appárens eis, & loquens de regno Dei. Allelúia. *Act.* 1.

II. Eduxit eos foràs in Bethániam, & elevátis mánibus suis, benedixit eis. Allelúia. *Luc.* 24.

III. Et factum est, dum benedíceret illis, recessit ab eis, & ferebátur in cœlum. Allelúia. *Luc.* 24.

IV. Profectus est in cœlum, subjectis sibi Angelis, & potestátibus, & virtútibus. Allelúia. *I. Petr.* 3.

V. Ipsi adorantes, regressi sunt in Jerúsalem cum gáudio magno. Allelúia. *Luc.* 24.

VI. Omnis lingua confiteátur quia Dóminus Jesus Christus in glóriâ est Dei Patris. Allelúia. *Philipp.* 2.

℣. Eleváta est magnificéntia tua, Dómine, ℟. Super cœlos. *Ps.* 8.

LECTIO V.

Sermo sancti Leónis Papæ.

De Ascensióne Dómini.

II. Serm. 72. *Edit. Paris. Cap.* 1.

SAcramentum, dilectíssimi, salútis nostræ, quam prétio sánguinis sui universitátis Cónditor æstimávit, à die corporális ortûs usque ad éxitum passiónis, per dispensatiónem humilitátis implétum est. Et licèt multa étiam in formâ servi divinitátis signa radiáverint, próprié tamen illíus témporis áctio ad demonstrandam suscepti hóminis pertínuit veritátem. Post passiónem verò, ruptis mortis vínculis, quæ vim suam in eum, qui peccáti erat néscius, incedendo perdíderat: infirmitas in virtútem, mortálitas in immortalitátem, contumélia

transívit in glóriam : quam Dóminus Jesus Christus in multis manifestisque documentis multórum declarávit adspéctibus, donec triumphum victóriæ, quem reportârat à mórtuis inferret & cœlis.

℞. Grátias ágimus tibi, Dómine Deus omnípotens, qui es, & qui eras, & qui ventúrus es : * Quia accepisti virtútem tuam magnã, & regnasti. Allelúia. ℣. Adónaï, Dómine, magnus es tu & præclárus in virtúte tuâ : tibi sérviat omnis creatúra. * Quia. *Apoc.* 11. *Judith.* 16.

LECTIO VI.

SIcut ergo in solemnitáte Paschâli Resurréctio Dómini fuit nobis causa lætandi : ita Ascénsio ejus in cœlos, præséntium nobis est matéria gaudiórum, recoléntibus illum diem & ritè venerántibus, quo natúræ nostræ humílitas in Christo super omnem cœli milítiam, ad Dei Patris est provecta consessum. Quo órdine óperum divinórum nos fundáti, nos ædificáti sumus : ut mirabílior fieret grátia Dei, cùm remótis à conspectu hóminum, quæ méritò reveréntiam suî sentiebantur indícere, fides non defíceret, spes non fluctuáret, cáritas non tẹpéret. Magnárum hic vigor est méntium, & valde fidélium lumen est animárum, incunctanter crédere, quæ corpóreo non vidéntur intúitu, & ibi fígere desidérium, quo néqueas inferre conspectum.

℞. Exsultávit ut gigas ad currendam viam : * A summo cœlo egréssio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus. Allelúia. ℣. Ascendit super omnes cœlos, ut impléret ómnia. * A summo. *Ps.* 18. *Ephes.* 4.

LECTIO VII. *Cap.* 2 & 3.

QUod ítaque Redemptóris nostri conspícuum fuit, in sacramenta transívit : & ut fides excelléntior esset ac firmior, visióni doctrína succéssit, cujus autoritátem supernis illumináta rádiis credéntium corda sequerentur. Hanc fidem Ascensióne Dómini auctã, & Spíritûs sancti múnere roborátam, non víncula, non cárceres, non exsília, non fames, non ignis, non laniátus ferárum, non exquisíta persequéntium crudelitátibus supplícia terruérunt. Pro hâc fide per univérsum mundum, non solùm viri, sed étiam féminæ, nec tantùm impúbes púeri, sed étiam téneræ vírgines, usque ad effusiónem sui sánguinis decertârunt.

℞. Autor fídei & consummátor Jesus, propósito sibi gáudio sustínuit cru-

nem, confusióne contemptâ; * Atque in dexterâ sedis Dei sedet. Allelúia. ℣. Humiliávit semetipsum factus obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod & Deus exaltávit illum; * Atque. *Hebr.* 12. *Philip.* 2.

LECTIO VIII.

HÆc fides dæmónia ejécit, ægritúdines dépulit, mórtuos suscitávit. Unde & ipsi beáti Apóstoli, qui tot miráculis confirmáti, tot sermónibus erudíti, atrocitátem tamen Domínicæ passiónis expáverant, & veritátem resurrectiónis ejus non sine hæsitatióne suscéperant, tantum de Ascensióne Dómini profecérunt, ut quidquid illis priùs intúlerat metum, verterétur in gáudium. Totam enim contemplatiónem ánimi in divinitátem ad Patris déxteram consedentis eréxerant, nec jam corpóreæ visiónis tardabantur objectu, quóminus in id áciem mentis inténderent, quod nec à Patre descendendo abfúerat, nec à discípulis ascendendo discésserat.

℟. Ad interióra veláminis præcursor * Pro nobis introívit Jesus, Póntifex factus in ætemum. † Allelúia. ℣. Pontifex ultra velum intrábit in Sancta, ut roget pro universo cœtu Israel. * Pro. ℣. Glória. † Allelúia. *Hebr.* 6. *Levit.* 16.

IN III. NOCTURNO.

I. CANTICUM. *Isai.* 4.

Christi Domini magnificentia & gloria. Reliquiarum Israëlis salvatio.

IN die illâ, erit germen Dómini in magnificéntiâ & glóriâ, & fructus terræ sublímis, * & exsultátio his qui salváti fúerint de Israel.

Et erit: Omnis qui relictus fúerit in Sion, & resíduus in Jerúsalem, sanctus vocábitur, * omnis qui scriptus est in vitâ in Jerúsalem:

Si ablúerit Dóminus sordes filiárum Sion, & sánguinem Jerúsalem láverit de médio ejus, * in spíritu judícii, & spíritu ardóris.

Et creábit Dóminus super omnem locum montis Sion, & ubi invocátus est, nubem per diem, & fumum, & splendórem ignis flammantis in nocte: * super omnem enim glóriam protéctio.

Et tabernáculum erit in umbráculum diei ab æstu, * & in securitátem, & absconsiónem à túrbine, & à plúviâ.

II. CANTICUM. *Ibid.* 52.

Futura Judæorum conversio. De totius gentium plenitudinis ad fidem vocatione vaticinium.

NOn in tumultu exíbitis, nec in fugâ properábitis; * præcédet enim vos Dóminus, & congregábit vos Deus Israel.

Ecce intélliget servus meus, exaltábitur & elevábitur, * & sublímis erit valde.

Sicut obstupuérunt super te multi, sic inglórius erit inter viros adspectus ejus, * & forma ejus inter filios hóminum.

Iste asperget Gentes multas, * super ipsum continébunt reges os suum:

Quia quibus non est narrátum de eo, vidérunt; * & qui non audiérunt, contempláti sunt.

III. CANTICUM. *Dan.* 3.

Christus Deus & Dominus noster cum Deo Patre in gloriâ suâ benedicendus.

BEnedictus es, Dómine Deus Patrum nostrórum; * & laudábilis, & gloriósus, & superexaltátus in sécula.

Et benedictum nomen glóriæ tuæ sanctum; * & laudábile & superexaltátum in ómnibus séculis.

Benedictus in templo sancto glóriæ tuæ * & superlaudábilis, & supergloriósus in sécula.

Benedictus es in throno regni tui; * & superlaudábilis & superexaltátus in sécula.

Benedictus es qui intuéris abyssos, & sedes super Chérubim; * & laudábilis & superexaltátus in sécula.

Benedictus es in firmamento cœli; * & laudábilis, & gloriósus in sécula.

Glória Patri.

Ant. Agnus Dóminus dominórum est, & Rex regum; & qui cum illo sunt, vocáti, electi, & fidéles. Allelúia. *Apoc.* 17.

℣. Regna terræ cantáte Deo, psállite Dómino.

℟. Psállite Deo, qui ascendit super cœlum cœli. *Ps.* 67.

LECTIO IX.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

Cap. 1.

IN Christo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum, secundùm divítias grátiæ ejus, quæ superabundávit in nobis, in omni sapiéntiâ, & prudéntiâ: ut notum fáceret nobis sacramentum voluntátis suæ, secundùm beneplácitũ ejus, quod propósuit in eo, in dispensatióne plenitúdinis témporum, instauráre ómnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terrâ sunt, in

ipso: in quo étiam & nos sorte vocáti sumus prædestináti secundùm propósitum ejus, qui operátur ómnia secundùm consílium voluntátis suæ; ut simus in laudem glóriæ ejus nos, qui antè sperávimus in Christo: in quo & vos, cùm audissétis verbum veritátis, Evangélium salútis vestræ, in quo & credentes signáti estis Spíritu promissiónis sancto, qui est pignus hæreditátis nostræ, in redemptiónem acquisitiónis, in laudem glóriæ ipsíus.

℞. Christus Jesus in sempitérnum sedet in dexterâ Dei, de cætero * Exspectans donec ponantur inimíci ejus scabellum pedum ejus. Allelúia. ℣. Dómini est regnum, & ipse dominábitur Géntium, * Exspectans. *Hebr.* 10. *Ps.* 21.

LECTIO X.

PRoptérea & ego áudiens fidem vestram, quæ est in Dómino Jesu, & dilectiónem in omnes sanctos, non cesso grátias agens pro vobis, memóriam vestrî fáciens in oratiónibus meis: ut Deus, Dómini nostri Jesu Christi Pater glóriæ, det vobis spíritum sapiéntiæ & revelatiónis, in agnitióne ejus; illumináto óculos cordis vestri, ut sciátis quæ sit spes vocatiónis ejus, & quæ divítiæ glóriæ hæreditátis ejus in sanctis, & quæ sit superéminens magnitúdo virtútis ejus in nos, qui crédimus secundùm operatiónem poténtiæ virtútis ejus, quam operátus est in Christo, súscitans illum à mórtuis, & constítuens ad déxteram suam in cœléstibus, supra omnem principátum, & potestátem, & virtútem, & dominatiónem, & omne nomen, quod nominátur non solùm in hoc século, sed étiam in futúro, Et ómnia subjécit sub pédibus ejus: & ipsum dedit caput supra omnem Ecclésiam, quæ est corpus ipsíus, & plenitúdo ejus, qui ómnia in ómnibus adimplétur.

℞. Ipse est ante omnes, & ómnia in ipso constant. * Et ipse est caput córporis Ecclésiæ, primogénitus ex mórtuis; ut sit in ómnibus ipse primátum tenens. Allelúia. ℣. Regnábit Dóminus in monte Sion, ex hoc nunc & usque in æternum; * Et ipse. *Coloss.* 1. *Mich.* 4.

LECTIO XI. *Cap.* 2.

ET vos cùm essétis mórtui delictis, & peccátis vestris in quibus aliquando ambulastis secundùm séculum mundi hujus, secundùm príncipem potestátis áeris hujus, spíritûs, qui nunc operátur in fílios dif-

fidéntiæ, in quibus & nos omnes aliquando conversáti sumus in desidériis carnis, & cogitatiónum, & erámus natúrâ filii iræ, sicut & cæteri: Deus autem, qui dives est in misericórdiâ, propter nímiam caritátem suam, quâ diléxit nos, & cùm essémus mórtui peccátis, convivificávit nos in Christo, (cujus grátiâ estis salváti) & conresuscitávit, & consedére fecit in cœléstibus in Christo Jesu; ut osténderet in séculis superveniéntibus abundantes divítias grátiæ suæ in bonitáte super nos in Christo Jesu.

℟. Suscitávit Deus Christum à mórtuis, & dedit ei glóriam, * Ut fides vestra & spes esset in Deo. Allelúia. ℣. Dedit ei potestátem, & honórem, & regnum, * Ut. *I. Petr.* 1. *Dan.* 7.

LECTIO XII. *Cap.* 4.

UNum corpus, & unus spíritus, sicut vocáti estis in unâ spe vocatiónis vestræ. Unus Dóminus, una fides, unum baptísma. Unus Deus & Pater ómnium, qui est super omnes, & per ómnia, & in ómnibus nobis. Unicuíque autem nostrûm data est grátia secundùm mensúram donatiónis Christi. Propter quod dixit: Ascendens in altum captívam duxit captivitátem: dedit dona homínibus. Quòd autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primùm in inferióres partes terræ? Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cœlos, ut impléret ómnia.

℟. Exaltáre, Dómine, in virtúte tuâ: * Cantábimus, & psallémus virtútes tuas. † Allelúia. ℣. Ascendisti in altum, cepisti captivitátem; accepisti dona in homínibus. * Cantábimus. ℣. Glória. † Allelúia. *Ps.* 20 & 67.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Marcum. *Cap.* 16.

REcumbéntibus úndecim discípulis appáruit illis Jesus: & exprobrávit incredulitátem eórum, & durítiam cordis: quia iis, qui víderant eum resurrexisse, non credidérunt. Et dixit eis: Euntes in mundũ universum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Qui credíderit, & baptizátus fúerit, salvus erit: qui verò non credíderit, condemnábitur. Signa autem eos, qui credíderint, hæc sequentur: In nómine meo dæmónia ejícient; linguis loquentur novis; serpentes tollent;

& si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit: super ægros manus impónent, & bene habébunt. Et Dóminus quidem Jesus, postquàm locútus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei. Illi autem profecti prædicavérunt ubique, Dómino cooperante, & sermónem confirmante, sequéntibus signis.

AD LAUDES.

Antiphonæ.

I. CHristus Póntifex futurórum bonórum, per próprium sánguinem introívit semel in Sancta. Allelúia. *Hebr.* 9.

II. Non in manufacta Sancta Jesus introívit, exemplária verórum; sed in ipsum cœlum, ut appáreat nunc vúltui Dei pro nobis. Allelúia. *Hebr.* 9.

III. Talis decébat ut nobis esset Póntifex, sanctus, innocens, excélsior cœlis factus. Allelúia. *Hebr.* 7.

IV. Habentes Sacerdótem magnum, accedámus cum vero corde, in plenitúdine fidei. Allelúia. *Hebr.* 10.

V. Deus dedit ei glóriam, ut fides vestra & spes esset in Deo. Allelúia. 1 *Petr.* 1.

LECTIO. *Hebr.* 1.

CHristus cùm sit splendor glóriæ, & figúra substántiæ Dei, † portansque ómnia verbo virtútis suæ, purgatiónem peccatórum fáciens, * sedet ad déxteram majestátis in excelsis.

℟. *br.* Ascendit Deus in júbilo, * Allelúia, allelúia. ℟. Ascendit. ℣. Et Dóminus in voce tubæ. * Allelúia, allelúia. ℣. Glória. ℟. Ascendit. *Ps.* 46.

HYMNUS. *Brev. Clun.*

VIctórem Dominum pángite, Cœlites,
Arces qui repetit jam celer árduas;
Et vos quos Erebi faucibus éripit,
Regem pángite glóriæ.

Gentes post domitas, quantus inest honor!
Nunc Patris lateri spléndidus ássidet;
Cujus magnificum nomen ad últimos
Fines, sánguine prótulit.

Quin vanos strepitus usque freméntium,
Tranquillus sólio, déspicit hóstium;
Artes tam fáciles fállere, quàm potens
Vires víncere víribus.

Partâ dum frueris fúnere glóriâ,

Ne dedisce tuos; sed generis memor,
Si te nostra movent, nunc age, quos amas,
Clemens prótege déxterâ.

Hostis ne variis fráudibus óccupet,
Et ne deliciæ péctora mólliant,
Fac nos ad patrias, quas habitas domos,
Puris téndere móribus.

Patri máxima laus: máxima Filio,
Qui nunc astra petens post domitam necem,
Mittet de súperis, ut benè cónsulat,
Cui laus máxima, Spíritum. Amen.

℣. Dóminus in cœlo parávit sedem suam, ℟. Et regnum ipsíus ómnibus dominábitur. *Ps.* 102.

Ad Benedictus. *Ant.* Christus Jesus mórtuus est, & resurrexit, qui est ad déxteram Dei, qui étiam interpellat pro nobis, Allelúia. *Rom.* 8.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

CONCÉDE, quæsumus, omnípotens Deus, † ut qui hodiernâ die Unigénitum tuum Redemptórem nostrum ad cœlos ascendisse crédimus, * ipsi quoque mente in cœléstibus habitémus; per eumdem.

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Constitutiónibus quæ dicuntur Apostólicæ. *Lib.* 5. *Cap.* 19. *Sec. II. vel III.*

A Primâ Domínicâ numerátis quadraginta diébus, post Domínicam diem, seu Hebdómadæ Feriâ quintâ, celebráte Festum Assumptiónis Dómini, in quo die, complétâ omni dispensatióne & constitutióne, ascendit ad Deum ac Patrem, emissórem suum; & sedet à dextris Dei virtútis, exspectatque donec ponantur inimíci ejus, sub ejus pédibus: qui & in consummatióne sǽculi véniet cum potestáte ac glóriâ multâ, ad judicandum vivos & mórtuos, & ad reddendum síngulis secundùm ea quæ gésserint.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Hebr.* 8.

TALEM habémus Pontíficem, qui consédit in déxterâ sedis magnitúdinis in cœlis, † sanctórum minister, & tabernáculi veri, * quod fixit Dóminus, & non homo.

℣. Tu es sácerdos in ætérnum, ℟. Secundùm órdinem Melchísedech. *Ps.* 109.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Hebr.* 7.

CHristus sempitérnum habet sacerdótium; † unde & salváre in perpétuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, * semper vivens ad interpellandum pro nobis.

℣. Ascendisti in altum cepisti captivitátem. ℟. Accepisti dona in homínibus. *Ps.* 67.

AD NONAM.

LECTIO. *Hebr.* 2.

EUm qui módico quàm Angeli minorátus est,† vidémus Jesum, propter passiónem mortis, * glóriâ & honóre coronátum.

℣. Glóriâ & honóre coronasti eum, Dómine, ℟. Et constituisti eum super ópera mánuum tuárum. *Ps.* 8.

AD II. VESPERAS.

PSALMI ET ANT.

I. *Ps.* 109. Dixit Dóminus. *pag.* 26.

Ant. Ad quem Angelórum dixit Deus aliquando: Sede à dextris meis, quoadusque ponam inimícos tuos scabellum pedum tuórum? Allelúia. *Hebr.* 1.

II. *Ps.* 112. Laudáte, púeri. *pag.* 27.

Ant. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Fílius hóminis qui est in cœlo. Allelúia. *Joan.* 3.

III. *Ps.* 121. Lætátus sum. *pag.* 69.

Ant. Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret ómnia. Allelúia. *Ephes.* 4.

IV. *Ps.* 137. Confitébor... quóniam. *pag.* 50.

Ant. Initiávit nobis viam novam & viventem per velámen, id est, carnem suam. Allelúia. *Hebr.* 10.

LECTIO. *Ephes.* 2.

COnresuscitávit nos Deus, & consedére fecit in cœléstibus in Christo Jesu, † ut osténderet in séculis superveniéntibus abundantes divítias grátiæ suæ * in bonitáte super nos in Christo Jesu.

℟. *br.* Sedébit Dóminus Rex in æternum. * Allelúia, allelúia. ℟. Sedébit. ℣. Dóminus virtútem pópulo suo dabit. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Sedébit. *Ps.* 28.

HYMNUS. *C.*

OPus peregisti tuum:
Te, Christe, victórem necis
Æterna, quam relíqueras,
Cœlo reposcit glória.

Jam nube vectus fúlgidâ,
Terras jacentes déspicis:
Educta longo cárcere
Regem sequuntur ágmina.

Mirante turmâ cœlitum,
Panduntur æternæ fores;
Ovansque sublímem Patris
Homo-Deus scandis thronum.

Illic patrónus, póntifex,
Pacis sequester, quem tua
Semel profúdit cáritas,
Offerre pergis sánguinem.

Illinc adornas & foves
Ecclésiam sponsus tuam;
Cunctisque vitam dívidis,
Infúsa ceu mens, ártubus.

Illinc, tot inter prælia
Periclitantem sústines;
Das militanti víncere,
Palmam triumphanti paras.

Quò, Christe, præcédis caput,
Huc íntegrum corpus vocas;
Vestígiis tritam tuis
Fac membra sectentur viâ.

¶ Qui victor ad cœlum redis,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempiterna sécula,
Amen.

¶ *Hæc Doxologia ad omnes Horas dicitur usque ad Octavam Ascensionis exclusivè.*

℣. Excelsus super omnes gentes Dóminus, ℟. Et super cœlos glória ejus. *Ps.* 112.

Ad Magníficat. *Ant.* Habentes Pontíficē magnum, qui penetrávit cœlos, Jesum Filium Dei, teneámus confessiónem. Allelúia. *Hebr.* 4.

I N D I E B U S
INTRA OCTAVAM.
AD OFFICIUM NOCT.

Ant. Ad Venite, & *Hymnus, ut in Die, pag.* 466.

IN I. NOCTURNO.

Psalmi dicuntur sub unicâ Antiphonâ, ut in Psalterio. Lectiones cum Responsoriis suis habentur infrà pro unâquâque die.

IN II. NOCTURNO.

Psalmi cum Allelúia, *&c. ut in Psalterio.*

LECTIO. *Hebr.* 6.

Confúgimus ad tenendam propósitam spem; quam sicut ánchoram habémus ánimæ tutam ac firmam, & incedentem usque ad interióra veláminis; ubi præcursor pro nobis introívit Jesus, secundùm órdinem Melchísedech póntifex factus in æternum.

℣. Quis sicut Dóminus Deus noster qui in altis hábitat, ℟. Et humília réspicit in cœlo & in terrâ? *Ps.* 112.

Collecta singulis diebus propria.

Ad reliquas Horas, omnia ut in Die, præter Psalmos Vesperales qui dicuntur de Feriâ. Antiphona ad Benedictus & Magníficat, & *Collecta singulis diebus propria.*

FERIA SEXTA

INTRA OCTAVAM

ASCENSIONIS.

LECTIO I.

Incipit Liber Apocalypsis beáti Joannis Apóstoli.

Cap. 1.

APocalypsis Jesu Christi, quam dedit illi Deus palàm fácere servis suis, quæ oportet fieri citò: & significávit, mittens per Angelum suum servo suo Joanni, qui testimónium perhíbuit verbo Dei, & testimónium Jesu Christi, quæcumque vidit. Beátus, qui legit, & audit verba prophetíæ hujus, & servat ea, quæ in eâ scripta sunt: tempus enim propè est. Joannes septem Ecclésiis, quæ sunt in Asiâ. Grátia vobis, & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui ventúrus est: & à septem spirítibus, qui in conspectu throni ejus sunt: & à Jesu Christo, qui est testis fidélis, primogénitus mortuórum, & princeps regum terræ, qui dilexit nos, & lavit nos à peccátis nostris in sánguine suo, & fecit nos regnum, & sacerdótes Deo & Patri suo: ipsi glória, & impérium in sécula seculórum. Amen. ¶ Ego Joannes frater vester, & párticeps in tribulatióne, & regno, & patiéntiâ in Christo Jesu; fui in ínsulâ, quæ appellátur Patmos, propter verbum Dei, & testimónium Jesu. Fui in spíritu in Domínicâ die, & audívi post me vocem magnam tamquàm tubæ, dicentis: Quod vides, scribe in libro: & mitte septem Ecclésiis quæ sunt in Asiâ, Epheso, & Smyrnæ, & Pérgamo, & Thyatíræ, & Sardis, & Philadélphiæ, & Laodicíæ.

LECTIO II.

ET conversus sum ut vidérem vocem, quæ loquebátur mecum. Et conversus vidi septem candelábra áurea: & in médio septem candelabrórum aureórum símilem Fílio hóminis, vestítum podére, & præcinctum ad mamillas zonâ áureâ: & habébat in déxterâ suâ stellas septem: & de ore ejus gládius utrâque parte acútus exíbat: & fácies ejus sicut sol lucet in virtúte suâ. ¶ Et cùm vidissem eum, cécidi ad pedes ejus tamquàm mórtuus. Et pósuit déxteram suam super me, dicens: Noli timére: Ego sum primus & novíssimus, & vivus, & fui mórtuus, & ecce sum vivens in sécula seculórum, & hábeo claves mortis, & inferni. Scribe ergo quæ vidisti, & quæ sunt, & quæ oportet fieri post hæc. Septem stel-

læ, Angeli sunt septem Ecclesiárum : & candelábra septem, septem Ecclésiæ sunt.

℟. I. Ecce venit cum núbibus, * Et vidébit eum omnis óculus, & qui eum pupugérunt. Et plangent se super eum omnes tribus terræ : Etiam. Amen. Allelúia. ℣. Stat ad judicandum Dóminus, & stat ad judicandum pópulos ; * Et vidébit. *Apoc.* 11. *Isai.* 3.

℟. II. Factum est regnum hujus mundi Dómini nostri & Christi ejus. * Et regnábit in sécula seculórum. Allelúia. ℣. Ejus regnum, regnum sempitérnum est ; & omnes reges sérvient ei, & obédient, * Et. *Apoc.* 11. *Dan.* 7.

℟. III. Ego sum Alpha & Omega, princípium & finis, * Dicit Dóminus Deus, qui est, & qui erat, & qui ventúrus est, omnípotens. Allelúia. ℣. Ego primus, & ego novíssimus, & absque me non est Deus, * Dicit. *Apoc.* 1. *Isai.* 44.

℟. IV. Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David : * Dignus est Agnus, qui occísus est, accípere virtútem, & honórem & glóriam. † Allelúia. ℣. Ipse est Deus vivens & æternus in sécula : ipse liberátor atque salvátor. *. Dignus. ℣. Glória. † Allelúia. *Apoc.* 5. *Dan.* 6.

LECTIO III.

Ex Sermóne primo sancti Leónis Papæ, de Ascensióne Dómini. *Serm.* 71. *Edit. Paris. Cap.* 2, 3 & 4.

NOn ii dies, dilectíssimi, qui inter Resurrectiónem Dómini Ascensionemque fluxérunt, otióso transiére decursu : sed magna in his confirmáta sacramenta, magna sunt reveláta mystéria. In his metus diræ mortis aufertur, & non solùm ánimæ, sed étiam carnis immortálitas declarátur. Cùm autem Discípuli trépidis cogitatiónibus æstuárent, & apparuisset in médio eórum Dóminus ; dixissetque : Pax vobis : ne hoc remanéret in eórum opiniónibus, quod volvebátur in córdibus, (putábant enim se spíritum vidére, non carnem,) redárguit cogitatiónes à veritáte discordes, íngerit dubitántium óculis manéntia in mánibus suis & pédibus crucis signa, & ut diligéntiùs pertractétur, invítat : quia ad sananda infidélium córdium vúlnera, clavórum & lánceæ erant serváta vestígia ; ut non dúbiâ fide, sed constantíssimâ sciéntiâ tenerétur, eam natúram in Dei Patris consessúram throno, quæ jacúerat in sepulcro. Per omne ergo hoc tempus, dilectíssimi, quod in-

ter Resurrectiónem Dómini, & Ascensiónem ejus exactum est, hoc providéntia Dei curávit, hoc dócuit, hoc suórum & óculis insinuávit & córdibus, ut Dóminus Jesus verè agnosceréтur resuscitátus, qui verè erat natus, & passus, & mórtuus.

℟. Stetit Jesus in médio discipulórum suórum, & dicit eis: * Pax vobis: ego sum; nolíte timére. † Allelúia. ℣. Ego sum frater vester, nolíte pavére: pro salúte enim vestrâ misit me Deus ante vos: * Pax. ℣. Glória. † Allelúia. *Luc.* 24. *Gen.* 45.

Ad Benedictus. *Ant.* Vidéntibus illis, Jesus elevátus est: & nubes suscépit eum ab óculis eórum. Allelúia. *Act.* 1.

Collecta. *Sacr. Gelas.*

DEus, qui ad declaranda tuæ mirácula majestátis, post resurrectiónem à mórtuis in cœlos, Apóstolis adstántibus, ascendisti; † concéde nobis tuæ pietátis auxílium: * ut secundùm tuam promissiónem, & tu nobiscum semper in terris, & nos tecum in cœlo vívere mereámur; Qui vivis.

Canon.

Ex Synodo Románâ quartâ. *Sub Damas. Papâ.* *An.* 373.

SI quis non dixerit excruciatum in carne Dei Filiũ, & carne mortem gustasse, fuisséque primogénitum ex mórtuis, quátenus vita est & vivíficus Deus; & quòd in carne, quam assumpsit, sedet ad déxteram Patris, in quâ ventúrus est judicáre vivos & mórtuos; anáthema sit.

Ad Magníficat. *Ant.* Jesus ferebátur in cœlum: & discípuli adorantes, regressi sunt in Jerúsalem cum gáudio magno. Allelúia. *Luc.* 24.

SABBATO
INTRA OCTAVAM
ASCENSIONIS.

Lectio I.

Ex Libro Apocalypsis beáti Joannis Apóstoli.
Cap. 2.

ANgelo Ephesi Ecclésiæ scribe: Hæc dicit qui tenet septem stellas in dexterâ suâ, qui ámbulat in médio septem candelabrórum aureórum: Scio ópera tua, & labórem, & patiéntiam tuam, & quia non potes sustinére malos: & tentasti eos, qui se dicunt Apóstolos esse, & non sunt; & invenisti eos mendáces: & patiéntiam habes, & sustinuisti propter nomen meum & non defecisti. Sed hábeo adversùm te, quòd caritátem tuam primam reliquisti. ¶ Memor esto ítaque undè excíderis; & age pœniténtiam,

pœniténtiam, & prima ópera fac. Sin autem, vénio tibi, & movébo candelábrum tuum de loco suo, nisi pœniténtiam égeris. Sed hoc habes, quia odísti facta Nicolaitárum, quæ & ego odi. Qui habet aurem, áudiat quid Spíritus dicat Ecclésiis: Vincenti dabo édere de ligno vitæ, quod est in paradíso Dei mei.

Responsoria ut heri.

LECTIO II.

ET Angelo Smyrnæ Ecclésiæ scribe: Hæc dicit primus, & novíssimus, qui fuit mórtuus & vivit: Scio tribulatiónem tuam, & paupertátem tuam, sed dives es: & blasphemáris ab his, qui se dicunt Judæos esse, & non sunt, sed sunt synagóga sátanæ. Nihil horum tímeas quæ passúrus es. ¶ Ecce missúrus est diábolus áliquos ex vobis in cárcerem, ut tentémini: & habébitis tribulatiónem diébus decem. Esto fidélis usque ad mortem, & dabo tibi corónam vitæ. Qui habet aurem, áudiat quid Spíritus dicat Ecclésiis: Qui vícerit, non lædétur à morte secundâ.

LECTIO III.

Ex Sermóne primo sancti Leónis Papæ de Ascensióne Dómini. *Serm.* 71. *Edit. Paris. Cap.* 4.

QUia Christi Ascénsio, nostra provéctio est, & quò præcessit glória cápitis, eò spes vocátur & córporis: dignis, dilectíssimi, exsultémus gáudiis, & piâ gratiárum actióne lætémur. Hódie non solùm paradísi possessóres firmáti sumus, sed étiam cœlórum in Christo superna penetrávimus: amplióra adepti per ineffábilem Christi grátiam, quàm per diáboli amiserámus invídiam. Nam quos virulentus inimícus primi habitáculi felicitáte dejécit, eos sibi concorporátos Dei Fílius ad déxteram Patris collocávit: cum quo vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus; per ómnia sécula seculórum. Amen.

℟. Crédimus secundùm operatiónem poténtiæ virtútis Dei, quam operátus est in Christo, * Suscitans illum à mórtuis, & constítuens ad déxteram suam in cœléstibus. † Allelúia. ℣. Cùm essémus mórtui peccátis, convivificávit nos Deus in Christo, & consedére fecit in cœléstibus in Christo Jesu, * Suscitans. ℣. Glória. † Allelúia. *Ephes.* 1. & 2.

Ad Benedictus. *Ant.* Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno. Allelúia. *Apoc.* 7.

COLLECTA. *Sacr. Leon.*

DA, quæsumus, omnípotens Deus, † illuc súbsequi tuórum membra

fidélium, * quò caput nostrum, principiumque præcessit; Per eumdem.

CANON.

Ex Concílio Florentíno. *An.* 1441. *Decret. Eugenii Papæ pro Jacob.*

SAcro - sancta Romána Ecclésia firmiter credit, profitétur & prædicat, Dei Fílium in assumptâ humanitáte ex Vírgine verè natum, verè passum, verè mórtuum & sepultum; verè ex mórtuis resurrexisse, in cœlum ascendisse, sedéreque ad déxteram Patris, & ventúrum in fine sæculórum ad vivos mortuosque judicandos.

AD VESPERAS.

Psalmi Feriales, Ant. de II. Vesp. Ascensionis.

LECTIO. *Coloss.* 3.

QUæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in déxterâ Dei sedens: quæ sursum sunt sápite, non quæ super terram. † Mórtui enim estis, & vita vestra est abscóndita cum Christo in Deo.* Cum Christus apparuérit, vita vestra; tunc & vos apparébitis cum ipso in glóriâ.

℟. *br.* Sedébit Dóminus Rex in æternum, * Allelúia, allelúia. ℟. Sedébit. ℣. Dóminus virtúté pópulo suo dabit.* Allelúia. ℣. Glória. ℟. Sedébit. *Ps.* 28.

Hymnus ut ad I. Vesp. Ascensionis, pag. 465.

℣. Redemptiónem misit Dóminus pópulo suo; ℟. Mandávit in æternum testamentum suum. *Ps.* 110.

Ad Magníficat. *Ant.* Per Christum máxima & pretiósa nobis promissa donávit Deus, ut per hæc efficiámini divínæ consortes natúræ. Allelúia. *II. Petr.* 1.

Collecta infrà ad Laudes, pag. 488.

DOMINICA
INTRA OCTAVAM
ASCENSIONIS.

AD OFFICIUM NOCT.

In Psalm. Veníte. *Ant.* Christum princípium, & primogénitum ex mórtuis; * Veníte, adorémus. Allelúia. *Coloss.* 1.

Hymnus, ut in die Ascensionis, pag. 466.

Psalmi Nocturnorum cum unicâ Antiphonâ & ℣. ut in Psalterio.

IN I. NOCTURNO.

LECTIO I.

Ex Apocalypsi beáti Joannis Apóstoli. *Cap.* 2.

ET Angelo Pérgami Ecclésiæ scribe: Hæc dicit qui habet romphæam utrâque parte acútam: Scio ubi hábitas, ubi sedes est sátanæ; & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam. Et in diébus illis Antipas testis meus fi-

qui occísus est apud
ubi sátanas hábitat.
beo adversùs te pau-
uia habes illic tenen-
ctrínam Bálaam, qui
at Balac míttere scán-
coram filiis Israel,
& fornicári: ita ha-
tu tenentes doctri-
Nicolaitarum.
Esto fidelis usque ad
m, * Et dabo tibi
am vitæ. Allelúia.
que ad mortem certa
stitiâ; * Et dabo.
2. Eccli. 4.

LECTIO II.

militer pœniténtiã age:
quóminus, véniam
tò, & pugnábo cum
gládio oris mei. Qui
aurem, áudiat quid
ts dicat Ecclésiis:
nti dabo manna ab-
itum, & dabo illi cál-
cándidum: & in
o nomen novum scri-
, quod nemo scit, nisi
ccipit.
Ego quos amo, ár-
t castígo. * Æmuláre
& pœniténtiam age.
ia. ℣. Si non vigilá-
véniam ad te tam-
fur, & néscies quâ
véniam ad te. * Æmu-
Apoc. 3.

LECTIO III.

Angelo Thyatíræ Ec-
lésiæ scribe: Hæc di-
lius Dei, qui habet
s tamquàm flammam
, & pedes ejus símiles
aurichalco: Novi ópera
tua, & fidem, & caritátem
tuam, & ministérium, &
patiéntiam tuam, & ópera
tua novíssima plura prióri-
bus. Sed hábeo adversùs te
pauca: quia permittis mu-
lierem Jézabel, quæ se di-
cit prophéten, docére, &
sedúcere servos meos, for-
nicári, & manducáre de
idolóthytis. Et dedi illi
tempus ut pœniténtiam áge-
ret: & non vult pœnitére
à fornicatióne suâ. Ecce
mittam eam in lectum; &
qui mœchantur cum eâ,
in tribulatióne máximâ
erunt, nisi pœniténtiam ab
opéribus suis égerint. Et
filios ejus interfíciam in
morte, & sciant omnes
Ecclésiæ, quia ego sum
scrutans renes & corda:
Et dabo unicuíque vestrûm
secundùm ópera sua.

℟. Ecce vénio citò; * Et
merces mea mecum est,
réddere unicuíque secun-
dùm ópera sua. Allelúia.
℣. Ego Dóminus, scrutans
cor, & probans renes, * Et
merces. Apoc. 22. Jerem.
17.

LECTIO IV.

ID, quod habétis, tenéte
donec véniam. Et qui ví-
cerit, & custodíerit usque
in finem ópera mea, dabo
illi potestátem super Gen-
tes, & reget eas in virgâ
férreâ, & tamquàm vas fí-
guli confringentur, sicut

& ego accépi à Patre meo. Et dabo illi stellam matutínam. Qui habet aurem, áudiat quid Spíritus dicat Ecclésiis.

℟. Exsultábunt sancti in glória, & gládii ancípites in mánibus eórum, ad faciendam vindíctam in natiónibus; * Ut fáciant in eis judícium conscríptum. † Allelúia. ℣. Glória hæc est ómnibus sanctis Dei; * Ut. ℣. Glória. † Allelúia. *Ps.* 149.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO V.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi in Ascensióne Dómini. *Serm.* 261. *Edit. Bened. n.* 1.

RESurréctio Dómini, spes nostra; Ascénsio Dómini, glorificátio nostra. Si ergo rectè, si fidéliter, si devótè, si sanctè, si piè Ascensiónem Dómini celebrámus, ascendámus cum illo, & sursum cor habeámus. Ascendentes autem non extollámur, nec de nostris quasi de própriis méritis præsumámus. Sursum enim cor habére debémus, sed ad Dóminum. Sursum enim cor, non ad Dóminum, supérbia vocátur. Illi enim dícimus qui ascendit: Dómine, refúgium factus es nobis.

℟. Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in déxterâ Dei sedens. * Quæ sursum sunt sápite, non quæ super terram. Allelúia. ℣. Ubi thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit. * Quæ. *Coloss.* 3. *Luc.* 12.

LECTIO VI.

REsurrexit ut spem nobis daret, quia resurgit quod móritur: ne moriendo desperarémus, & totam vitam nostram morte finítam putarémus. Ergo ascendit, quis? Qui descendit. Descendit ut sanáret te; ascendit ut leváret te. Cadis, si leváveris te; manes, si levàverit te. Sursum ergo cor, sed non ad Dóminum, supérbia est. Dicámus ergo illi resurgenti: Quóniam tu es Dómine spes mea; ascendenti autem: Altíssimum posuísti refúgium tuum. Quómodò enim ad eum cor sursum habentes, superbi érimus, qui propter nos húmilis factus est, ne superbi remanerémus?

℟. Exaltáte Dóminum Deum nostrum, & adoráte in monte sancto ejus, * Quóniam sanctus Dóminus Deus noster. Allelúia. ℣. Hæc est voluntas Dei, sanctificátio vestra. * Quóniam. *Ps.* 98. *I. Thess.* 4.

LECTIO VII.

Serm. 265. *n.* 1.

DOminus salvátor noster, pósito córpore, & recepto córpore posteà

quàm & resurrexit à mórtuis, exhíbuit se discípulis viventem, quem desperáverant morientem. Pósteà quàm se réddidit óculis intuendum, mánibus contrectandum, ædíficans fidem, exhibendo veritátem, quóniam parùm fuit humánæ fragilitáti, & infirmæ trepidatióni tam magnum miráculum uno die exhibére, & inde subtráhere; conversátus est cum eis in terrâ quadraginta diébus, intrans & éxiens, mandúcans & bibens: ut exhibéret veritátem, non quòd habéret necessitátem. Ipsa ergo quadragésimo die, eis vidéntibus, & videndo deducéntibus, ascendit in cœlum.

℟. Deus Christum constítuens ad déxteram suam in cœléstibus, * Ipsum dedit caput suprà omnem Ecclésiam. Allelúia. ℣. Fílii hóminum, scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum. * Ipsum. *Ephes.* 1. *Ps.* 4.

LECTIO VIII. *n.* 2.

ASCENDIT judex cœli, sónuit præco cœli. Bonam causam habeámus, ut futúrum judícium non timeámus. Ascendit enim: vidérunt qui nobis nuntiavérunt. Qui non vidérunt, credidérunt: álii non credentes irrisérunt. Non enim ómnium est fides. Quid disceptámus quòd ascendit in cœlum Deus? Resurréctio Christi, spes nostra: adventus Christi res nostra. Ille ergo qui est ad déxteram Patris, expectandus est donec véniat. Dicat ánima nostra sítiens illi: Quando véniet? & : Sitívit ánima mea ad Deum vivum: Quando véniet? véniet: sed quando véniet? optas ut véniat: útinam parátum te invéniat.

℟. Conversi estis ad Deum. Servíte Deo vivo & vero, * Et exspectáte fílium ejus de cœlis. † Allelúia. ℣. Sitis sine querélâ & símplices filii Dei. * Et exspectáte. ℣. Glória. † Allelúia. *I. Thess.* 1. *Philip.* 2.

IN III. NOCTURNO.

Cantica, Ant. & ℣. *ut in Ascensione Domini, pag.* 470.

LECTIO IX.

Incipit Epístola secunda beáti Joannis Apóstoli.

SENIOR Electæ dóminæ, & natis ejus, quos ego díligo in veritáte, & non ego solus, sed & omnes qui cognovérunt veritátem, propter veritátem quæ pérmanet in nobis, & nobíscum erit in ætérnum. Sit vobíscum grátia, misericórdia, pax à Deo Patre, & à Christo Jesu Fílio Patris, in veritáte & caritáte. Gavísus sum valde, quó-

niam invéni de filiis tuis ambulantes in veritáte, sicut mandátum accépimus à Patre. Et nunc rogo te, dómina, non tamquàm mandátum novum scribens tibi, sed quod habúimus ab inítio, ut diligámus altérutrum. Et hæc est cáritas, ut ambulémus secundùm mandáta ejus. Hoc est enim mandátum, ut quemádmodum audistis ab inítio, in eo ambulétis: quóniam multi seductóres exiérunt in mundum, qui non confitentur Jesum Christum venisse in carnem: hic est seductor, & antichristus.

℟. Sit cor nostrum perfectum cum Dómino Deo nostro, * Ut ambulémus in decrétis ejus, & custodiámus mandáta ejus. Allelúia. ℣. In hoc cáritas Dei perfecta est: * Ut. *III. Reg.* 8. *I. Joan.* 2.

Lectio X.

Vidéte vosmetipsos, ne perdátis quæ operáti estis: sed ut mercédem plenam accipiátis. Omnis, qui recédit, & non pérmanet in doctrínâ Christi, Deum non habet: qui pérmanet in doctrínâ, hic & Patrem, & Fílium habet. Si quis venit ad vos, & hanc doctrínam non affert, nolíte recípere eum in domum, nec Ave ei, dixéritis. Qui enim dicit illi Ave, commúnicat opéribus ejus malignis. Plura habens vobis scríbere, nólui per chartam & atramentum: spero enim me futúrum apud vos, & os ad os loqui: ut gáudium vestrum plenum sit. Salútant te filii soróris tuæ Electæ.

℟. Perdidisti, Dómine, omnes qui fornicantur abs te; * Mihi autem adhærére Deo bonum est, pónere in Dómino Deo spem meá. Allelúia. ℣. Mélius erat illis non cognóscere viam justítiæ, quàm post agnitiónem retrorsùm convérti. * Mihi. *Ps.* 72. *II. Petr.* 2.

Lectio XI.

Incipit Epístola tértia beáti Joannis Apóstoli.

Senior Gáio caríssimo, quem ego díligo in veritáte. Caríssime, de ómnibus oratiónem fácio prósperè te íngredi, & valére, sicut prósperè agit ánima tua. Gavísus sum valde veniéntibus frátribus, & testimónium perhibéntibus veritáti tuæ, sicut tu in veritáte ámbulas. Majórem horum non hábeo grátiam, quàm ut áudiam filios meos in veritáte ambuláre. Caríssime, fidéliter facis quidquid operáris in fratres, & hoc in peregrínos, qui testimónium reddidérunt caritáti tuæ in conspectu Ecclésiæ: quos, bene-

fáciens, dedúces dignè Deo. Pro nómine enim ejus profecti sunt, nihil accipientes à Géntibus. Nos ergo debémus suscípere hujúsmodi, ut cooperatóres simus veritátis.

℞. Sit Dóminus Deus noster nobiscum, sicut fuit cum pátribus nostris, non derelinquens nos, neque projíciens: sed * Inclínet corda nostra ad se, ut ambulémus in univérsis viis ejus. Allelúia. ℣. Qui dicit se in ipso manére, debet sicut ille ambulávit, & ipse ambuláre. * Inclínet. *III. Reg.* 8. *I. Joan.* 2.

LECTIO XII.

SCripsissem fórsitan Ecclésiæ: sed is, qui amat primátum gérere in eis, Diótrephes, non récipit nos. Propter hoc si vénero, commonébo ejus ópera quæ facit, verbis malignis gárriens in nos: & quasi non ei ista sufficiant; neque ipse súscipit fratres; & eos, qui suscípiunt, próhibet, & de Ecclésiâ éjicit. Caríssime, noli imitári malum, sed quod bonum est. Qui benéfacit, ex Deo est: qui maléfacit, non vidit Deum. Demétrio testimónium rédditur ab ómnibus, & ab ipsâ veritáte, sed & nos testimónium perhibémus: & nosti quóniam testimónium nostrum verum est. Multa hábui tibi scríbere: sed nólui per atraméntum & cálamum scríbere tibi. Spero autem prótinus te vidére, & os ad os loquémur. Pax tibi. Salútant te amíci. Salúta amícos nominátim.

℞. Cáritas pátiens est, benigna est, non æmulátur, non agit pérperam; * Non gaudet super iniquitáte, congaudet autem veritáti. † Allelúia. ℣. Odiū súscitat rixas, & univérsa delícta óperit cáritas. * Non. ℣. Glória. † Allelúia. *I. Cor.* 13. *Prov.* 10.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joannem. *Cap.* 15 & 16.

DIxit Jesus discípulis suis: Cùm vénerit Paraclétus, quem ego mittam vobis à Patre, Spíritum veritátis, qui à Patre procédit, ille testimónium perhibébit de me: & vos testimónium perhibébitis, quia ab inítio mecum estis. Hæc locútus sum vobis, ut non scandalizémini. Absque synagógis fácient vos; sed venit hora, ut omnis qui intérficit vos, arbitrétur obséquium se præstáre Deo. Et hæc fácient vobis, quia non novérunt Patrem, neque me. Sed hæc locútus sum vobis: ut cùm vénerit hora eórum, reminiscámini quia ego dixi vobis.

AD LAUDES.

Ant. de die Ascensionis, pag. 474.

LECTIO. *Ephes.* 1.

OMnia subjécit Deus sub pédibus ejus; & ipsum dedit caput supra omnem Ecclésiam, quæ est corpus ipsíus, & plenitúdo ejus qui ómnia in ómnibus adimplétur.

℟. *br. Hymn. &* ℣. *ut in Ascens. Dom. pag.* 474.

Ad Benedictus. *Ant.* Ego mittam vobis à Patre Spíritum veritátis. Allelúia. *Joan.* 15.

COLLECTA. *Brev. Paris.*

DEus, cujus Fílius in alta cœlórum potenter ascendens, captivitátem nostram suâ duxit virtúte captívam; † tríbue, quæsumus, * ut dona quæ discípulis suis cóntulit, largiátur & nobis; Qui tecum vivit.

AD HORAS, *Ant. Lect. &* ℣. *ut in die Ascensionis, suprà, pag.* 475.

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Concílio Nicæno secundo. *An.* 687. *Act.* 7.

QUi lucem agnitiónis suæ nobis donávit, & à ténebris idolórum ac insániâ redémit, Christus scílicet Deus noster, desponsátâ sibi sanctâ suâ Cathólicâ Ecclésiâ, non habentem máculam seu rugam hanc se conservatúrum promísit: sanctísque discípulis suis adseverábat dicens: Vobíscum sum ómnibus diébus usque ad consummatiónem séculi. Porrò hanc repromissiónem non solùm illis donávit, sed & nobis, qui per eos crédidimus in nómine ipsíus.

AD VESPERAS.

Psalmi de Dominicâ, Antiphona ut in Ascensione Domini, pag. 476.

LECTIO. *I. Petr.* 3.

JEsus Christus est in déxterâ Dei, deglútiens mortem, † ut vitæ ætérnæ hærédes efficerémur: * profectus in cœlum, subjectis sibi Angelis, & potestátibus, & virtútibus.

℟. *br. Hymnus, &* ℣. *ut in Ascensione Domini, pag.* 476.

Ad Magníficat. *Ant.* Hæc locútus sum vobis: ut cùm vénerit hora eórum, reminiscámini quia ego dixi vobis. Allelúia. *Joan.* 16.

FERIA SECUNDA

INTRA OCTAVAM

ASCENSIONIS.

LECTIO I.

Ex Apocalypsi beáti Joannis Apóstoli. *Cap.* 3.

ET Angelo Ecclésiæ Sardis scribe: Hæc dicit qui habet septem Spíritus

Dei, & septem stellas: Scio ópera tua, quia nomen habes quòd vivas, & mórtuus es. Esto vígilans, & confírma cætera quæ moritúra erant. Non enim invénio ópera tua plena coram Deo meo. In mente ergo habe quáliter accéperis, & audíeris, & serva, & pœniténtiam age. Si ergo non vigiláveris, véniam ad te tamquàm fur, & néscies quâ horâ véniam ad te. ¶ Sed habes pauca nómina in Sardis, qui non inquinavérunt vestimenta sua: & ambulábunt mecum in albis, quia digni sunt. Qui vícerit, sic vestiétur vestiméntis albis, & non delébo nomen ejus de Libro vitæ, & confitébor nomen ejus coram Patre meo, & coram ángelis ejus. Qui habet aurem, áudiat quid Spíritus dicat Ecclésiis.

LECTIO II.

ET Angelo Philadélphiæ Ecclésiæ scribe: Hæc dicit Sanctus & Verus, qui habet clavem David: qui áperit, & nemo claudit; claudit & nemo áperit: Scio ópera tua. Ecce dedi coram te óstium apertum, quod nemo potest cláudere: quia módicam habes virtútem, & servasti verbum meum, & non negasti nomen meũ. Ecce dabo de synagógâ sátanæ, qui dicunt se Judæos esse, & non sunt; sed mentiuntur: ecce fáciam illos ut véniant, & adórent ante pedes tuos: & scient quia ego dilexi te, quóniam servasti verbum patiéntiæ meæ, & ego servábo te ab horâ tentatiónis, quæ ventúra est in orbem universum tentáre habitantes in terrâ. ¶ Ecce vénio citò: tene quod habes, ut nemo accípiat corónam tuam. Qui vícerit, fáciam illum columnam in templo Dei mei, & foràs non egrediétur ámplius: & scribam super eum nomen Dei mei, & nomen civitátis Dei mei novæ Jerúsalem, quæ descendit de cœlo à Deo meo, & nomen meum novum. Qui habet aurem, áudiat quid Spíritus dicat Ecclésiis.

℟. I. Ego quos amo, árguo & castígo. * Æmuláre ergo, & pœniténtiam age. Allelúia. ℣. Ecce vénio sicut fur. * Æmuláre. *Apoc.* 3 *&* 16.

℟. II. Esto fidélis usque ad mortem, * Et dabo tibi corónam vitæ. Allelúia. ℣. Usque ad mortem certa pro justítiâ, * Et dabo. *Apoc.* 2. *Eccli.* 4.

℟. III. Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David: * Dignus est Agnus, qui occísus est, accípere virtútem, & divinitátem, & glóriam. Allelúia. ℣. Ipse est Deus vivens & ætérnus in sécula: ipse liberátor, atque salvátor. * Dignus est. *Apoc.* 5. *Dan.* 6.

℟. IV. Ego sum inítium & finis : ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis : * Qui vícerit, ero illi Deus, & ille erit mihi filius. † Allelúia. ℣. Certa bonum certámen fidei, apprehende vitam æternam in quâ vocátus es. * Qui. ℣. Glória. † Allelúia. *Apoc.* 21. *I. Tim.* 6.

LECTIO III.

Ex Libro quinto, sancti Irenæi Epíscopi & Mártyris contra Hæreses. *Cap.* 20.

NEcessitátē habent Hærétici, quóniam sunt cœci ad veritátem, álteram & álteram ambuláre exorbitantes viam, & propter hoc inconsonanter, & inconsequenter dispersa sunt vestígia doctrínæ ipsórum. Eórum autem, qui ab Ecclésiâ sunt, sémita, circumiens mundum universum, quippe firmam habens ab Apóstolis traditiónem, & vidére nobis donans ómnium unam & eamdem esse fidem, ómnibus unum & eumdem Deū Patrem præcipiéntibus, & eamdem dispositiónem incarnatiónis Filii Dei credéntibus, & eamdem donatiónem Spíritûs sciéntibus, & éadem meditántibus præcepta, & eamdem figúram ejus, quæ est erga Ecclésiam, ordinatiónis custodiéntibus, & eumdem exspectántibus adventum Dómini, & eamdem salútem totíus hóminis, id est, ánimæ & córporis sustinéntibus. Et Ecclésiæ quidem prædicátio vera & firma, apud quam una & éadem salútis via in universo mundo osténditur. Huic enim créditum est lumen Dei.

℟. Odívi omnem viam iniquitátis. * Lucerna pédibus meis verbum tuum, & lumen sémitis meis. † Allelúia. ℣. Dómine, ad quem íbimus? Verba vitæ ætérnæ habes. * Lucerna. ℣. Glória. † Allelúia. *Ps.* 118. *Joan.* 6.

Ad Benedictus. *Ant.* Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut vídeant claritátem meam. Allelúia. *Joan.* 17.

COLLECTA. *Sacr. Leon.*

VIrtútum cœléstium Deus, † promissiónis tuæ munus exséquere, * ut Evangélicæ veritáti rebellántium corda subdantur; per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Senonensi, *An.* 1528. *decret.* 1.

NOn dormitábit neque dórmiet qui custódit Ecclésiam; is nimírum qui ascendens in altum, dedit quosdam quidem Apóstolos, quosdam autem Prophétas, álios verò Evangelistas, álios Pastóres & Do-

ctóres, ad consummatiónem sanctórum, in opus ministérii, in ædificatiónem Córporis Christi, donec occurrámus omnes in unitátem fidei & agnitiónis Filii Dei, in virum perfectum, in mensúram ætátis plenitúdinis Christi.

Ad Magníficat. *Ant.* Advocátum habémus apud Patrem, Jesum Christum Justum; & ipse est propitiátio pro peccátis nostris; non pro nostris autem tantùm, sed étiam pro totíus mundi. Allelúia. *I. Joan.* 2.

FERIA TERTIA *INTRA OCTAVAM* ASCENSIONIS.

LECTIO I.

Ex Apocalypsi beáti Joannis Apóstoli. *Cap.* 3.

ET Angelo Laodíciæ Ecclésiæ scribe: Hæc dicit. Amen, testis fidélis & verus, qui est princípium creatúræ Dei. Scio ópera tua, quia neque frígidus es, neque cálidus: útinam frígidus esses, aut cálidus! Sed quia tépidus es, & nec frígidus, nec cálidus, incípiam te evómere ex ore meo. Quia dicis: Quòd dives sum, & locupletátus, & nullíus égeo: & nescis quia tu es miser: & miserábilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Suádeo tibi émere à me aurum ignitum probátum, ut lócuples fias, & vestiméntis albis induáris, & non appáreat confúsio nuditátis tuæ; & collyrio inunge óculos tuos, ut vídeas. ℣ Ecce sto ad óstium, & pulso: si quis audíerit vocem meam, & aperúerit mihi jánuam, intrábo ad illum, & cœnábo cum illo, & ipse mecum. Qui vícerit, dabo ei sedére mecum in throno meo: sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus. Qui habet aurem, áudiat quid Spíritus dicat Ecclésiis.

Responsoria ut heri.

LECTIO II. *Cap.* 5 & 6.

ET vidi in dexterâ sedentis supra thronum librum scriptum intùs & foris signátum sigillis septem, & unus de senióribus dixit mihi: Ne fléveris: Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David aperíre librum, & sólvere septem signácula ejus. Et vidi: & ecce in medio throni & quátuor animálium, & in médio seniórum, Agnum stantem tamquàm occísum, habentem córnua septem & óculos septem: qui sunt septem spíritus Dei missi in omnem terram. Et venit, & accépit de dexterâ sedentis in throno librum. Et vidi quòd aperuisset Agnus unum de septem sigillis, & audivi

unum de quátuor animálibus, dicens, tamquàm vocem tonítrui: Veni & vide. Et vidi: Et ecce equus albus, & qui sedébat super illum habébat arcum, & data est ei coróna, & exívit vincens ut vinceret. ¶ Et cùm aperuisset sigillum secundum, audívi secundum ánimal, dicens: Veni & vide. Et exívit álius equus rufus: & qui sedébat super illum, datum est ei ut súmeret pacem de terrâ, & ut ínvicem se interfíciant, & datus est ei gládius magnus. Et cùm aperuisset sigillum tértium, audívi tértium ánimal, dicens: Veni, & vide. Et ecce equus niger: & qui sedébat super illum, habébat statéram in manu suâ. Et audívi tamquàm vocem in médio quátuor animálium dicéntium: Bílibris trítici denário, & tres bílibres hórdei denário; & vinum & óleum ne læseris.

LECTIO III.

Ex Libro quinto sancti Irenæi Epíscopi & Mártyris contra Hæreses. *Cap.* 20.

QUi relinquunt præcónium Ecclésiæ, imperítiam sanctórum Presbiterórum árguunt, non contemplantes, quantò plúris sit idióta religiósus à blasphémo & impudente Sophistâ. Tales sunt autem omnes hærétici, & qui se plus áliquid præter veritátem invenire putant; sequentes ea quæ prædicta sunt, várie & multifórmiter, & imbecille faciéntes iter, de iisdem non semper easdem senténtias habentes, velut cœci à cœcis circumducuntur: justè cadent in sublatentem ignorántiæ fóveam, semper quærentes, & nunquam verum invenientes. Fúgere ígitur oportet senténtias ipsórum, & inténtiùs observáre, necubi vexémur ab ipsis: confúgere autem ad Ecclésiam, & in ejus sinu educári, & domínicis Scriptúris enutríri. Plantáta est enim Ecclésia, paradísus in hoc mundo.

℟. Israel, audi præcepta & judícia, quæ ego dóceo te: * Non addétis ad verbum quod vobis loquor, nec auferétis ab eo. † Allelúia. ℣. Verba quæ ego locútus sum vobis, spíritus & vita sunt: * Non addétis. ℣. Glória. † Allelúia. *Deut.* 4. *Joan.* 6.

Ad Benedictus. *Ant.* Dignus est Agnus, qui occísus est, accípere virtútem & divinitátem, & sapiéntiam, & fortitúdinem, & honórem, & glóriam, & benedictiónem. Allelúia. *Apoc.* 5.

COLLECTA. *Sacr. Leon.*

DA nobis, Dómine, non terréna sápere, sed amáre cœléstia, † &

inter prætereúntia constitútos * jam nunc inhærére mansúris; Per Dóminum.

C A N O N.

Ex Concílio Florentíno. *Decret. Eugenii Papæ, pro Jacob. An.* 441.

SAcro - sancta Romána Ecclésia firmiter credit, profitétur, & prædicat nullos intra Cathólicam Ecclésiam non existentes, non solùm pagános; sed nec Judæos aut hæréticos, atque schismáticos, æternæ vitæ fieri posse partícipes: sed in ignem ætérnum itúros qui parátus est diábolo & Angelis ejus, nisi ante finem vitæ eídem fúerint aggregáti.

Ad Magníficat. *Ant.* Fílii Dei sumus: & nondum appáruit quid érimus. Scimus quóniam cùm apparúerit, símiles ei érimus: quóniam vidébimus eum sicuti est. Allelúia. *I. Joan.* 3.

FERIA QUARTA

INTRA OCTAVAM

ASCENSIONIS.

L E C T I O I.

Ex Apocalypsi beáti Joannis Apóstoli. *Cap.* 6.

ET cùm aperuisset sigillum quartum, audívi vocem quarti animális dicentis: Veni, & vide. Et ecce equus pállidus; & qui sedébat super eum, nomen illi Mors, & infernus sequebátur eum, & data est illi potestas super quátuor partes terræ; interfícere gládio, fame, & morte, & béstiis terræ. ¶ Et cùm aperuisset sigillum quintum, vidi subtus altáre ánimas interfectórum propter verbum Dei, & propter testimónium quod habébant; & clamábant voce magnâ dicentes: Usquequò, Dómine, (sanctus & verus,) non júdicas, & non víndicas sánguinem nostrum de iis qui hábitant in terrâ? Et datæ sunt illis síngulæ stolæ albæ: & dictum est illis ut requiéscerent adhuc tempus módicum, donec compleantur conservi eórum, & fratres eórum, qui interficiendi sunt sicut & illi.

L E C T I O II.

ET vidi cùm aperuisset sigillum sextum: Et ecce terræ motus magnus factus est; & sol factus est niger tamquàm saccus cilícinus, & luna tota facta est sicut sanguis: & stellæ de cœlo cecidérunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos, cùm à vento movétur. Et cœlum recessit sicut liber involútus: & ínsulæ de locis suis motæ sunt. ¶ Et reges terræ, & príncipes, & tribúni, & dívites, & fortes, & óm-

nis servus, & liber, abscondérunt se in speluncis, & in petris móntium : & dicunt móntibus, & petris : Cádite super nos, & abscóndite nos à fácie sedentis super thronum, & ab irâ Agni : quóniam venit dies magnus iræ ipsórum : & quis póterit stare?

℟. I. Captívus ductus est pópulus meus : quia non hábuit sciéntiam, & nóbiles ejus interiérunt fame, & multitúdo ejus siti exáruit. * Proptéreà dilatávit infernus ánimam suam, & opéruit os suum absque ullo término. Allelúia. ℣. Obtexit calígine in furóre suo Dóminus fíliam Sion, & Prophétæ ejus non invenérunt visiónem à Dómino. * Proptéreà. *Is.* 5. *Thren.* 2.

℟. II. Effunde iram tuam, Dómine, in Gentes quæ te non novérunt : * Et innotescat in natiónibus coram óculis nostris, últio sánguinis servórum tuórum, qui effúsus est. Allelúia. ℣. Dómine, exaltétur manus tua, & ignis hostes tuos dévoret ; * Et innotescat. *Ps.* 78. *Isai.* 26.

℟. III. Sol & luna obtenebráti sunt, & stellæ retraxérunt splendórem suũ. Et movebuntur cœli, & terra : * Et Dóminus spes pópuli sui ; & fortitúdo filiórum Israel. Allelúia. ℣. Stellæ cœli erunt decidentes, & virtútes, quæ in cœlis sunt, movebuntur. * Et Dóminus. *Joel.* 3. *Marc.* 13.

℟. IV. Introíbunt in speluncas petrárum, & in vorágines terræ, à fácie formídinis Dómini ; * Et dicent móntibus : Operíte nos ; & cóllibus : Cádite super nos. † Allelúia. ℣. In diébus illis quærent hómines mortem, & non invénient eam : & desiderábunt mori, & mors fúgiet ab eis ; * Et dicent. ℣. Glória. † Allelúia. *Isai.* 2. *Osee*, 10. *Apoc.* 9.

LECTIO III.

Ex Catechési octávâ décimâ sancti Cyrilli Jerosolymitáni Epíscopi de Ecclésiâ Cathólicâ. *Edit. Bened. Sec. IV. n.* 23. *&* 26.

CAthólica seu universális Ecclésia vocátur eo quòd per totum orbem ab extrémis terræ fínibus ad extrémos usque fines diffúsa est. Et quia universè & absque defectu docet ómnia quæ in hóminum notítiam veníre debent dógmata, sive de visibílibus & invisibílibus, sive de cœléstibus & terréstribus rebus ; tum étiam eo quòd omne hóminum genus recto cúltui subjíciat, príncipes & privátos, doctos & imperítos ; ac dénique,

quia generáliter quidem omne peccatórum genus quæ per ánimam & corpus perpetrantur, curat & sanat; éadem verò omne póssidet, quovis nómine significétur, virtútis genus, in factis & verbis, & spirituálibus cujusvis speciéi donis. Quóniam verò Ecclésiæ nomen diversis accommodátur rebus, nunc cautíssimè tibi trádidit fides ita tenendum: Et in unam sanctam Cathólicam Ecclésiam: ut eórum abominanda collégia fúgiens, adhæreas semper sanctæ Cathólicæ Ecclésiæ, in quâ & renátus es. Et si quando peregrinátus fúeris in civitátibus, ne simplíciter requíras ubi sit Domínicum; nam & cæteræ impiórum sectæ atque hæreses, suas ipsórum speluncas Dominicórum nómine honestáre nituntur: neque ubi sit simplíciter Ecclésia; sed ubi sit Cathólica Ecclésia: hoc enim próprium nomen est hujus sanctæ & matris ómnium nostrûm.

℟. Exaltáte Dóminum Deum nostrum, & adoráte scabellum pedum ejus. * Quóniam sanctus Dóminus Deus noster. † Allelúia. ℣. Veri adoratóres adorábunt Patrem in spíritu & veritáte: nam & Pater tales quærit qui adórent eum. * Quóniam. ℣. Glória. † Allelúia. *Ps.* 98. *Joan.* 4.

Ad Benedictus. *Ant.* Habentes Pontíficem magnum, qui penetrávit cœlos, Jesum fílium Dei, adeámus cum fidúciâ, ad thronum grátiæ, ut misericórdiam consequámur. Allelúia. *Hebr.* 4.

Collecta. *Sacr. Leon.*

ADesto, Dómine, supplicatiónibus nostris: † ut sicut humáni géneris Salvatórem consedére tecum in tuâ majestáte confídimus: * ita usque ad consummatiónem sǽculi manére nobiscum, quemádmodum est pollícitus, sentiámus; Per eumdem.

C A N O N.

Ex Concílio Florentíno. *Decret. Eugenii Papæ pro Jacob. An.* 1441.

SAcro-sancta Románа Ecclésia firmiter credit, profitétur & prædicat tantùm valére Ecclesiástici córporis unitátem, ut solùm in eâ manéntibus ad salútem Ecclesiástica sacramenta profíciant; & jejúnia, eleemósynæ christiánæ, præmia æterna partúriant: neminemque, quantascumque eleemósynas fécerit, & si pro Christi nómine sánguinem effúderit, posse salvári, nisi in Cathólicæ Ecclésiæ grémio & unitáte permánserit.

FERIA QUINTA.

OCTAVA

ASCENSIONIS.

PRÆMEMORATIO
ULTIMI JUDICII.

Solemnitas III. Classis.

AD I. VESPERAS.

ANTIPHONÆ.

I. FActum est regnum hujus mundi, Dómini nostri & Christi ejus, & regnábit in sécula seculórum. Allelúia. *Apoc.* 11.

II. Ecce venit cum núbibus, & vidébit eum omnis óculus, & qui eum pupugérunt. Allelúia. *Apoc.* 1.

III. Filius hóminis ventúrus est in glóriâ Patris sui cum Angelis suis: & tunc reddet unicuíque secundùm ópera ejus. Allelúia. *Matth.* 16.

IV. Neque enim Pater júdicat quemquam; sed omne judícium dedit Fílio, ut omnes honoríficent Fílium, sicut honoríficant Patrem. Allelúia. *Joan.* 5.

LECTIO. *Isai. 66.*

COgnoscétur manus Dómini servis ejus, & indignábitur inimícis suis. † Quia ecce Dóminus in igne véniet, & quasi turbo quadrígæ ejus: * réddere in indignatióne furórem suum, & increpatiónem suam in flammâ ignis.

℟. *br.* Parávit Dóminus in judício thronum suum, * Allelúia, allelúia. ℟. Parávit. ℣. Et ipse judicábit orbem terræ in æquitáte. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Parávit. *Ps.* 9.

HYMNUS. *S. V.*

FElix dies mortálibus,
Quâ per profúsum sánguinem,
Homo-Deus clausas diu
Intrávit æternas domos!

Nos membra, quò nostrum caput,
Quò dux præívit, íbimus;
Si jungat una mens simul,
Nos una junget glória.

Discessit, & suis adest
Præsente semper Spíritu;
Miscens suo se córpori
Omnes in artus ínfluit.

At illa quæ! qualis dies!
Dies tremenda sóntibus,
Dum sede descendens suâ
Redíbit ultor críminum!

Damnátus insons à reis
Partes resúmet júdicis,
Ad cujus ora cóntremeunt
Dijudicandi júdices.

Ut morte dignos sólveret,
Morti volens se súbdidit;
Cui mors Dei non próderit
Vindícta qualis ímminet!

Quem noxa lethális premit,
Prævertat iram Núminis,
Largísque prudens débitos
Exstinguat ignes flétibus.

¶ Ventúre Judex séculi,
Jesu, tibi sit glória;
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

¶ *Hæc Doxologia dicitur ad omnes Horas.*

℣. Sedísti super thronum, Dómine, ℟. Qui júdicas justítiam. *Ps.* 9.

Ad Magníficat. *Ant.* Amodo *vidébitis Fílium hóminis sedentem à dextris virtútis Dei, & venientem in núbibus cœli. Allelúia. *Matth.* 26.

Collecta infrà ad Laudes, pag. 506.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Allelúia. Júdicem vivórum & mortuórum Dóminum; * Veníte, adorémus. Allelúia. *Act.* 10.

HYMNUS. *S. V.*

O Plenus irárum dies,
Dies furóris últimi,
Quo stabit immutábilis
Decréta sors mortálium!

Reos paventes óbruet
Tremenda majestas Dei;
Pœnas ferentem víndices
Quis sustinébit Júdicem?

Scriptus notis fatálibus
Hic explicábitur liber;
Quod ante commissum fuit
Hâc lance ponderábitur.

Quod multa nox celáverat
Pleno patébit lúmine;
Et cónscius sibi Reus
In se feret senténtiam.

Tunc, Christe, sis placábilis,
Oppóne te totum tibi;
Ultóris exarment manus
Suscepta pro me vúlnera.

Delícta si non flétibus
Delére nostris póssumus:
Hæc tu tuo poténtior
Dele efficáci sánguine.

Offensus ultor díceris;
Puníre scis, scis párcere:
Nunc ure, sævi, nunc seca,
Hâc dum die pepérceris.

Jesu, tuo vel nómine
Qui prædicas cleméntiam,
Cum Patre & almo Spíritu,
Jugis tibi sit glória. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. I. Ecce cum núbibus cœli Fílius hóminis veniébat, & usque ad antíquum diérum pervénit. Allelúia. *Dan.* 7.

II. In conspectu ejus obtulérunt eum; & dedit ei potestátem, & honórem, & regnum. Alleluia. *Ibid.*

III. Omnes pópuli, tribus & linguæ ipsi sérvient. Allelúia. *Ibid.*

IV. Potestas ejus, potestas ætern a, quæ non auferétur; & regnum ejus, quod non corrumpétur. Allelúia. *Ibid.*

V. Potestátem dedit ei Pater judícium fácere; quia fílius hóminis est. Allelúia. *Joan.* 5.

VI. Adventum Dómini nostri Jesu Christi suis tempóribus ostendet beátus & solus potens Rex regum,

& Dóminus dominántium. Allelúia. *I. Tim. 6.*

℣. Dómine, cùm accépero tempus; ℟. Ego justítias judicábo.. *Ps.* 74.

Lectio I.

Ex Isaíâ Prophétâ. *Cap.* 13.

EGo mandávi sanctificátis meis, & vocávi fortes meos in irâ meâ, exsultantes in glóriâ meâ. Vox multitúdinis in móntibus, quasi populórum frequéntium: vox sónitûs regum, géntium congregatárum: Dóminus exercítuum præcépit milítiæ belli, veniéntibus de terrâ procul, à summitáte cœli: Dóminus, & vasa furóris ejus, ut disperdat omnem terram. Ululáte, quia propè est dies Dómini: quasi vástitas à Dómino véniet. Propter hoc, omnes manus dissolventur, & omne cor hóminis contabescet, & conterétur. Torsiónes & dolóres tenébunt: quasi partúriens dolébunt: unusquisque ad próximum suũ stupébit, fácies combustæ vultus eórum.

℟. Conturbentur omnes habitatóres terræ: Quia venit dies Dómini, quia propè est: * Dies tenebrárum & calíginis, dies nubis & túrbinis. Allelúia. ℣. Advéniet dies Dómini ut fur, in quo cœli magno ímpetu tránsient, elementa verò calóre solventur, terra autem & quæ in ipsâ sunt ópera, exurentur. * Dies. *Joel.* 2. *II. Petr.* 3.

Lectio II.

ECce dies Dómini véniet, crudélis, & indignatiónis plenus, & iræ furorísque, ad ponendam terram in solitúdinem, & peccatóres ejus conterendos de eâ. Quóniam stellæ cœli, & splendor eárum, non expandent lumen suum: obtenebrátus est sol in ortu suo, & luna non splendébit in lúmine suo. Et visitábo super orbis mala, & contra ímpios iniquitátem eórum, & quiéscere fáciam supérbiam infidélium, & arrogántiam fórtium humiliábo.

℟. Introíbunt in speluncas petrárum, & in vorágines terræ, à fácie formídinis Dómini, & à glóriâ majestátis ejus, * Cùm surréxerit percútere terram. Allelúia. ℣. Erunt signa in sole, & lunâ, & stellis, arescéntibus homínibus præ timóre, & exspectatióne, quæ supervénient universo orbi: * Cùm surréxerit. *Isai.* 2. *Luc.* 21.

Lectio III.

Ex Apocalypsi beáti Joannis Apóstoli. *Cap.* 20.

CUm consummáti fúerint mille anni, solvétur sátanas de cárcere suo,

& exíbit, & sedúcet gentes quæ sunt super quátuor ángulos terræ, Gog, & Magog, & congregábit eos in prælium, quorum númerus est sicut aréna maris. Et ascendérunt super latitúdinem terræ, & circuiérunt castra sanctórum, & civitátem dilectam. Et descendit ignis à Deo de cœlo, & devorávit eos: & diábolus, qui seducébat eos missus est in stagnum ignis & súlfuris, ubi & béstia & pseudoprophéta cruciabuntur die ac nocte in sécula seculórum.

℞. Ecce Dóminus in igne véniet, & quasi turbo quadrígæ ejus, * Réddere in indignatióne furórem suum, & increpatiónem suam in flammâ ignis. Allelúia. ℣. Hic Jesus qui assumptus est in cœlum sic véniet, * Réddere. *Isai. 66. Act.* 1.

LECTIO IV.

ET vidi thronum magnum cándidum, & sedentem super eum, à cujus conspectu fugit terra & cœlum, & locus non est inventus eis. Et vidi mórtuos, magnos, & pusillos, stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt: & álius Liber apertus est qui est vitæ: & judicáti sunt mórtui ex his quæ scripta erant in libris, secundum ópera ipsórum. Et dedit mare mórtuos, qui in eo erant: & mors & inférnus dedérunt mórtuos suos qui in ipsis erant: & judicátum est de síngulis secundùm ópera ipsórum. Et inférnus & mors missi sunt in stagnum ignis. Hæc est mors secunda. Et qui non inventus est in Libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.

℞. Parávit Dóminus in judício thronum suum: * Et ipse judicábit orbem terræ in æquitáte, judicábit pópulos in justítiâ. † Allelúia. ℣. Sedébit super sedem majestátis suæ. Et congregabuntur ante eum omnes gentes; * Et ipse. ℣. Glória. † Allelúia. *Ps.* 9. *Matth.* 25.

IN II. NOCTURNO.

Ant. I. Cùm vénerit Fílius hóminis in majestáte suâ & omnes Angeli ejus cum eo; tunc sedébit super sedem majestátis suæ & congregabuntur ante eum omnes gentes; Allelúia. *Matth.* 25.

II. Omnes qui in monuméntis sunt, áudient vocem Fílii Dei; Allelúia. *Joan.* 5.

III. Procédent qui bona fecérunt, in resurrectiónem vitæ; qui verò mala egérunt, in resurrectiónem judícii. Allelúia. *Joan.* 5.

IV. Separábit eos ab ínvicem, sicut pastor ségregat oves ab hædis; & státuet

oves quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris. Allelúia. *Matth.* 25.

V. Permundábit áream suam; & congregábit tríticum suum in hórreum; páleas combúret igni inextinguíbili; Allelúia. *Matth.* 3.

VI. Corónam justítiæ reddet in illâ die justus Judex iis qui díligunt adventum ejus. Allel. *II. Tim.* 4.

℣. Judicábit Dóminus pópulum suum. ℟. Et in servis suis deprecábitur. *Ps.* 134.

LECTIO V.

Ex Libro Sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris, de bono Patiéntiæ. *Edit. Baluz.*

QUando véniet sánguinis justi divína vindícta declárat per Malachíam Prophétam Spíritus sanctus dicens: Ecce dies Dómini venit ardens velut clíbanus: eruntque omnes alienígenæ & omnes iníqui stípula, & succendet illos advéniens dies, dicit Dóminus. Quod item légimus in Psalmis, ubi Dei júdicis prædicátur adventus censúræ suæ majestáte venerandus. Deus manifestus véniet, Deus noster, & non silébit. Ignis ante eum ardébit, & in circúitu ejus procella nímia. Hic est qui cùm in passióne tacúerit, in ultióne póstmodum non tacébit. Hic est Deus noster; id est non ómnium, sed fidélium & credéntium Deus, qui, cùm in secundo adventu manifestus vénerit, non silébit. Nam cùm in humilitáte priùs fúerit occultus, véniet in potestáte manifestus. Hunc exspectémus, fratres dilectíssimi, júdicem & víndicem nostrum, Ecclésiæ suæ pópulum, & ab inítio mundi justórum ómnium númerum secum páriter vindicatúrum. Qui ad vindíctam suam nímium festínat & próperat, consíderet quia necdum vindicátus est ipse qui víndicat.

℟. Deus manifestè véniet: Deus noster & non silébit. * Ignis in conspectu ejus exardescet: & in circúitu ejus tempestas válida. Allelúia. ℣. Stat ad judicandum Dóminus, & stat ad judicandos pópulos: Dóminus ad judícium véniet cum sénibus pópuli sui & princípibus ejus. * Ignis. *Ps.* 49. *Isai.* 3.

LECTIO VI.

Ex Catechési quintâ décima sancti Cyrilli Jerosolymitáni Epíscopi de secundo Christi adventu. *Edit. Bened. n.* 1.

CHristi adventum annuntiámus non unum dumtaxat, sed & álterum prióre multò speciosiórem. Ille enim patiéntiæ significatiónem prætulit, iste ve-

rò divíni regni diadéma feret. Nam ut plúrimum duplicia sunt ómnia apud Dóminum nostrum Jesum Christum. Duplex natívitas; áltera ex Deo ante sécula, áltera ex Vírgine in consummatióne seculórũ: duplex descensus; unus obscúrus, quia tamquàm plúviæ in vellus, alter verò conspícuus, nimírum futúrus. In primo adventu fásciis involútus est in præsépio; in secundo amicítur lúmine quasi vestimento. In prióri sustínuit crucem, ignomíniam adspernátus; in áltero véniet Angelórum exércitu stipátus, glorificátus. Non ígitur in primo tantùm adventu adquiéscimus, sed & secundum exspectámus. Véniet Salvátor, non ut íterum judicétur, sed ut in jus vocet à quibus in judícium est vocátus.

℟. Fílius hóminis ventúrus est in glóriâ Patris sui cum Angelis suis: & * Tunc reddet unicuíque secundùm ópera ejus. Allelúia. ℣. Cùm vénerit Dóminus glorificári in sanctis suis, & admirábilis fíeri in ómnibus qui credidérunt; * Tunc. *Matth. 16. II. Thess. 1.*

LECTIO VII. *n. 22.*

SEd quodnam est ejus adventûs signum? Et tunc, inquit, apparébit signum Fílii hóminis in cœlo. Signum autem verum & Christi próprium, crux est. Lúcidæ crucis signum regem præcédit, demonstrans eum qui priùs crucifixus fuit: ut videntes qui eum ante pupugérunt & insídiis circumvenére Judæi, deplórent tribus contra tribus dicentes: Hic est qui álapis cæsus est; hic est quem crucifixum priùs contémptui habuére. Quònam, ínquient, fugiémus à fácie iræ tuæ? Angélicis verò exercítibus cincti nusquam sanè fúgere póterunt. Signum crucis hóstibus terror erit; gáudium verò amícis qui in eum credidére, vel eum prædicavére, vel pro eo passi sunt.

℟. Ecce venit cum núbibus, * Et vidébit eum omnis óculus, & qui eum pupugérunt. Et plangent se super eum omnes tribus terræ. Allelúia. ℣. Parébit signum Fílii hóminis in cœlo: * Et vidébit. *Apoc. 1. Matth. 24.*

LECTIO VIII.

Ex Enarratióne sancti Augustíni Epíscopi in Psalmum quadragésimum nonum. *Edit. Bened. n. 7.*

VEniet manifestus, & non silébit. Ignis ante eum præíbit. Timémus? mutémur, & non timébimus. Ignem pálea tímeat;

auro quid facit? Est autem nunc in potestáte quid fácias, ne illud quod & te nolente ventúrum est, non correctus experiáris. Si enim possémus fácere, fratres, ut dies judícii non veníret; puto quia nec sic erat malè vivendum. Si non veníret ignis die judícii, & sola peccatóribus imminéret separátio à fácie Dei, in quâlibet essent affluéntiâ deliciárum, non videntes à quo creáti sunt, & separáti ab illâ dulcédine ineffábilis vultûs ejus, in quâlibet æternitáte, & impunitáte peccáti, plángere se debérent. Sed quid loquar, aut quibus loquar? Hæc amántibus pœna est, non contemnéntibus. Qui dulcédinem sapiéntiæ & veritátis utcumque sentíre cœpérunt, novérunt quod dico, quanta pœna sit tantúmmodo à fácie Dei separári. Qui autem illam dulcédinem non gustavérunt, si nondum desíderant Dei fáciem, tímeant vel ignem; supplícia térreant, quem præmia non invítant.

℟. Ecce dies véniet succensa quasi camínus; * Et erunt omnes superbi, & omnes facientes impietátem, stípula: & inflammábit eos dies véniens. † Allelúia. ℣. In igne Dóminus dijudicábit; * Et erunt. ℣. Glória. † Allelúia. *Malach.* 4. *Isai.* 66.

IN III. NOCTURNO.

I. Canticum. *Apoc.* 11.

In consummatione seculi, Regnum Christi perpetuum. Sanctorum gloria. Malorum damnatio. Summa laus Deo Justo Judici.

Factum est regnum hujus mundi, Dómini nostri & Christi ejus, * & regnábit in sécula sæculórum. Amen.

Grátias ágimus tibi, Dómine Deus omnípotens, qui es, & qui eras, & qui ventúrus es: * quia accepísti virtútem tuam magná, & regnásti.

Et irátæ sunt Gentes, & advénit ira tua, * & tempus mortuórum judicári;

Et réddere mercédem servis tuis Prophétis, & sanctis, & timéntibus nomen tuum pusíllis & magnis, * & exterminandi eos qui corrupérunt terram.

II. Canticum. *Cap.* 14 & 15.

Timéte Dóminum, & date illi honórem; * quia venit hora judícii ejus.

Et adoráte eum, qui fecit cœlum & terram, * mare & fontes aquárum.

Magna & mirabília sunt ópera tua, Dómine Deus omnípotens: * justæ, & veræ sunt viæ tuæ, Rex seculórum.

Quis non timébit te, Dómine, & magnificábit nomen tuum ? * quia solus pius es.

Quóniam omnes Gentes vénient, & adorábunt in conspectu tuo, * quóniam judícia tua manifesta sunt.

III. CANTICUM. *Cap.* 16.

JUstus es, Dómine, qui es, & qui eras; * Sanctus, qui hæc judicasti:

Quia sánguinem sanctórum & Prophetárum effudérunt, & sánguinem eis dedisti bíbere: * digni enim sunt.

Etiam, Dómine Deus omnípotens, * vera & justa judícia tua.

Ant. Allelúia: salus, & glória, & virtus Deo nostro est: quia vera, & justa judícia sunt ejus. Allelúia. *Apoc.* 19.

℣. Exaltáre, Dómine, qui júdicas terram: ℟. Redde retributiónem superbis. *Ps.* 93.

LECTIO IX.

Ex Epístolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicenses. *Cap.* 4.

SI crédimus quòd Jesus mórtuus est, & resurréxit; ita & Deus eos, qui dormiérunt per Jesum, addúcet cum eo. Hoc enim vobis dícimus in verbo Dómini, quia nos, qui vívimus, qui resídui sumus in adventum Dómini, non præveniémus eos, qui dormiérunt. Quóniam ipse Dóminus in jussu, & in voce Archángeli, & in tubâ Dei descendet de cœlo: & mórtui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui vívimus, qui relinquimur, simul rapiémur cum illis in núbibus óbviàm Christo in áera, & sic semper cum Dómino érimus. Itaque consolámini ínvicem in verbis istis.

℟. Omnes quidem resurgémus: in momento, in ictu óculi, in novíssimâ tubâ: * Canet enim tuba, & mórtui resurgent incorrupti; & nos immutábimur. Allelúia. ℣. Mittet Fílius hóminis Angelos suos cum tubâ, & voce magnâ: & congregábunt electos ejus à quátuor ventis; * Canet. *I. Cor.* 15. *Matth.* 24.

LECTIO X. *Cap.* 5.

DE tempóribus autem, & momentis, fratres, non indigétis ut scribámus vobis. Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Dómini, sicut fur in nocte, ita véniet. Cùm enim dixerint: Pax & secúritas; tunc repentínus eis supervéniet intéritus, sicut dolor in útero habenti, & non effúgient. Vos autem, fratres, non estis in ténebris, ut vos dies illa tamquàm fur comprehendat: omnes enim vos filii lucis estis, & filii

ejus. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Ignis. *Ps.* 96.

HYMNUS. *S. V.*

SEnsus quis horror pércutit?
Cœlum profundum scínditur:
Christum sedentem núbibus
Hinc inde stipant ágmina.

Ferális ad sonum tubæ
Mors jussa reddit mórtuos,
Quos ad tribúnal Júdicis
Urgent coactos Angeli.

Pios locans ad déxteram,
Repellit ad lævam reos:
Novit gregem pastor suum,
Oves ab hœdis ségregat.

Ad Júdicis sedent latus
Quicumque, spretis ómnibus,
Fugére mundum páuperes,
Deum secúti páuperem.

Crux ante Judæis probrum,
Ludíbrium crux Géntibus,
Terror reis, probis amor,
Summo micábit æthere.

Fixére quem diræ trabi,
Cernent, pavébunt, íngement:
Vultu beábit quo suos,
Hoc territábit ímpios.

Fac, Christe, ne mores bonos
Contáge mundus ínquinet;
Secerne nos ab ímprobis,
Ne misceámur sóntibus.

Ventúre Judex séculi,
Jesu, tibi sit glória
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

℣. Jubiláte in conspectu Regis Dómini; ℟. Quóniam venit judicáre terram. *Ps.* 97.

Ad Benedictus. *Ant.* Accepisti, Dómine Deus, virtútem tuam magnam, & regnasti, & irátæ sunt gentes: & advénit ira tua, & tempus mortuórum judicári, & réddere mercédem servis tuis Prophétis & sanctis. Allelúia. *Apoc.* 11.

COLLECTA. *Brev. Paris.*

DEus, cujus Unigénitum in infirmitáte carnis venisse crédimus Salvatórem, & in glóriâ majestátis ventúrum Júdicem exspectámus; † fac nos eídem in dexterâ tuâ regnanti casto timóre, subjectos; * ut in conspectu judicantis stare cum fidúciâ mereámur; Per eumdem Dóminum.

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Concílio Lateranensi quarto. *An.* 1215.

Can. 1.

PRo salúte humáni géneris in ligno crucis passus & mórtuus Christus descendit ad ínferos, resurrexit à mórtuis, & ascendit in cœlum. Sed descendit in ánimâ, resurrexit in carne, ascenditque páriter in utróque: ventúrus in fine séculi judicáre vivos & mórtuos, & red-

dítúrus síngulis secundùm ópera sua, tam réprobis, quàm electis. Qui omnes cum suis própriis corpóribus resurgent, quæ nunc gestant; ut recípiant secundùm mérita sua, sive bona fécerint, sive mala; illi cum diábolo pœnam perpétuam, & isti cum Christo glóriam sempitérnam.

AD TERTIAM.

Lectio. I. Tim. 6.

ADventum Dómini nostri Jesu Christi suis tempóribus ostendet beátus & solus potens, Rex regum, & Dóminus dominántium: † Qui solus habet immortalitátem, & lucem inhábitat inaccessíbilem: quem nullus hóminum vidit, sed nec vidére potest: * cui honor, & impérium sempitérnū. Amen.

℣. Deus manifestè véniet; ℟. Deus noster, & non silébit. Ps. 49.

AD SEXTAM.

Lectio. Hebr. 10.

CHristus in sempitérnum sedet in déxterâ Dei,† de cætero exspectans donec ponantur inimíci ejus scabellum pedum ejus. * Unâ enim oblatióne consummávit in sempitérnum sanctificátos.

℣. Exsurge, Dómine, non confortétur homo; ℟. Judicentur Gentes in conspectu tuo. Ps. 9.

AD NONAM.

Lectio. II. Cor. 5.

OMnes nos manifestári oportet ante tribúnal Christi; † ut réferat unusquisque própria córporis, prout gessit, * sive bonum sive malum.

℣. Potestas Dei est, & tibi, Dómine, misericórdia: ℟. Quia tu reddes unicuíque juxta ópera sua. Ps. 61.

AD II. VESPERAS.

Psalmi et Ant.

I. Ps. 109. Dixit Dóminus. pag. 26.

Ant. Ecce venit Dóminus in sanctis míllibus suis, fácere judícium contra omnes, & argúere omnes ímpios. Allelúia. Epist. Judæ.

II. Ps. 112. Laudáte, púeri. pag. 27.

Ant. De die illâ & horâ nemo scit, neque Angeli cœlórum, nisi solus Pater. Allelúia. Matth. 24.

III. Ps. 121. Lætátus sum. pag. 69.

Ant. Vidéte, vigiláte, & oráte: nescítis enim quando tempus sit. Allelúia. Marc. 13.

IV. Ps. 136. Super flúmina Babylónis. pag. 89.

Ant. Beáti servi illi, quos cùm vénerit Dóminus, invénerit vigilantes. Allelúia. Luc. 12.

LECTIO. *Jud.*

CAríſſimi, ſuperædificantes voſmetipſos ſanctíſſimæ veſtræ fidei, † in Spíritu ſancto orantes, voſmetipſos in dilectióne Dei ſerváte, * exſpectantes miſericórdiam Dómini noſtri Jeſu Chriſti in vitam æternam.

℟. *br.* Qui ſedes ſuper Chérubim, * Allelúia, allelúia. ℟. Qui. ℣. Oſtende fáciem tuam, & ſalvi érimus. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Qui ſedes. *Pſ.* 79.

HYMNUS. *S. V.*

QUalis decet te ſánctitas,
Qui ſic tuos probas, Deus!
Cur longa poſt ſuſpíria
Adhuc negas te cérnere?
Ut, dira quem premit ſitis,
Ardens aquas cervus petit,
Sic quos amor rapit tuî,
Ardent, anhelant te frui.
Nectis moras amántibus,
Quos igne multo pérficis,
Judex modo, modo Pater,
Utrumque munus ſúſtines.
Memento quòd tu fínxeris
Nos de luto; quid éxigis?
Nos corpus, & tu Spíritus,
Coinquinátos réjicis?
Si quæ piáti críminis
Adhuc manent veſtígia,
Mundi ſcelus qui díluis
Tuo cruóre díluas.
Nos membra qui ſumus tua,
Jungas tuo nos córpori;
Paſtos tuis altáribus
Menſis ſupernis éxcipe.
JESU, tuo vel nómine
Qui prædicas cleméntiam,
Cum Patre & almo Spíritu,
Jugis tibi ſit glória.
Amen.

℣. Lætentur omnes qui ſperant in te, Dómine; ℟. In æternum exultábunt, & habitábis in eis. *Pſ.* 5.

Ad Magníficat. *Ant.* Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in mánibus veſtris; & vos ſímiles homínibus exſpectántibus dóminum ſuum quando revertátur à núptiis. Allelúia. *Luc.* 12.

FERIA SEXTA POST OCTAVAM *ASCENSIONIS.*

AD OFFICIUM NOCT.

In Pſ. Veníte. *Ant.* Aſcendit Chriſtus in altum; * Veníte, adorémus. Allelúia. *Epheſ.* 4.

HYMNUS. *Brev. Pariſ.*

O Chriſte, qui noſter poli
Præcurſor intras Régiam,
Quos hìc jacentes réſpicis,
Surſùm voca, ſurſùm rape.
Ad illa fac nos cúrrere
Amóre caſto gáudia,
Terréna quæ mens non capit,
Quæ ſola pérſpicit fides:
Ubi labórum præmium,
Dat ipſe ſe ſuis Deus;

Et ut beátos éxpleat,
In ómnibus sit ómnia.
Qui nos ad istam, grátiâ
Ducat potenti, glóriam,
Tu, de supernis sédibus
Da, Christe, nobis Spíritum.

¶ Qui Patris ad déxtram sedes,
Jesu, tibi sit glória;
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

¶ *Doxologia hæc dicitur ad omnes Horas hujus diei.*

IN I. NOCTURNO.

Psalmi cum Ant. unicâ & ℣. ut in Psalterio.

Lectio I.

Ex Apocalypsi beáti Joannis Apóstoli. *Cap.* 7.

Et vidi álterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi: & clamávit voce magnâ quátuor Angelis, quibus datum est nocére terræ & mari, dicens: Nolíte nocére terræ & mari, neque arbóribus, quoadusque signémus servos Dei nostri in fróntibus eórum. Et audívi númerum signatórum, centum quadraginta quátuor míllia signáti, ex omni tribu filiórum Israel. ¶ Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumeráre nemo póterat ex ómnibus géntibus, & tríbubus, & pópulis, & linguis: stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amícti stolis albis, & palmæ in mánibus eórum; & clamábant voce magnâ dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno. Et omnes Angeli stabant in circúitu throni, & seniórum, & quátuor animálium; & cecidérunt in conspectu throni in fácies suas, & adoravérunt Deum, dicentes: Amen: Benedíctio, & cláritas, & sapiéntia, & gratiárum áctio, honor, & virtus, & fortitúdo Deo nostro in sécula seculórum. Amen.

Lectio II. *Cap.* 7 & 8.

Et respondit unus de senióribus, & dixit mihi: Hi, qui amícti sunt stolis albis, qui sunt? & unde venérunt? Et dixi illi: Dómine mi, tu scis. Et dixit mihi: Hi sunt, qui venérunt de tribulatióne magnâ, & lavérunt stolas suas, & dealbavérunt eas in sánguine Agni. Ideò sunt ante thronum Dei, & sérviunt ei die ac nocte in templo ejus: & qui sedet in throno habitábit super illos: non esúrient, neque sítient ámpliùs, nec cadet super illos sol, neque ullus æstus, quóniam Agnus, qui in médio throni est, reget illos, & dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum;

& absterget Deus omnem lácrymam ab óculis eórum. ¶ Et cùm aperuisset sigillum séptimum, factum est siléntium in cœlo, quasi médiâ horâ. Et vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei: & datæ sunt illis septem tubæ. Et álius Angelus venit, & stetit ante altáre habens thuríbulum áureum: & data sunt illi incensa multa, ut daret de oratiónibus sanctórum ómnium super altáre áureum, quod est ante thronum Dei. Et ascendit fumus incensórum de oratiónibus sanctórum de manu Angeli coram Deo.

℟. I. Signa Thau super frontes * Virórum geméntium & doléntium super cunctis abominatiónibus quæ fiunt in médio Jerúsalem. Allelúia. ℣. Nomen Dei & Agni in fróntibus eórum. * Virórum. *Ezech.* 9. *Apoc.* 22.

℟. II. Cantábant cánticum Agni, dicentes: Magna & mirabília sunt ópera tua, Dómine Deus omnípotens: * Justæ & veræ sunt viæ tuæ, Rex seculórum. Allelúia. ℣. Quis símilis tuî in fórtibus, Dómine? quis símilis tuî? magníficus in sanctitáte, fáciens mirabília: * Justæ. *Apoc.* 15. *Exod.* 15.

℟. III. Absterget Deus omnem lácrymam ab óculis eórum: * Et mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abiérunt. Allelúia. ℣. Oblivióni tráditæ sunt angústiæ prióres. * Et mors. *Apoc.* 21. *Isai.* 65.

℟. IV. Audívi vocem dicéntium: Allelúia: quóniam regnávit Dóminus Deus noster omnípotens. * Gaudeámus, & exsultémus, & demus glóriam ei. † Allelúia. ℣. Factum est regnum hujus mundi, Dómini nostri & Christi ejus. * Gaudeámus. ℣. Glória. † Allelúia. *Apoc.* 19 *&* 11.

LECTIO III.

Ex Sermóne secundo sancti Augustíni Epíscopi in Psalmum centésimũ primum. *Edit. Bened. n.* 8 *&* 9.

ILla Ecclésia quæ fuit ómnium Géntium, jam non est, périit. Hoc dicunt qui in illâ non sunt. O impudentem vocem! Illa non est, quia tu in illâ non es? Vide ne tu ideò non sis: nam illa erit, etsi tu non sis. Interrogétur ipse Christus cui dictum est ab Ecclésiâ: Exiguitátem diérum meórum núntia mihi. Et prædicábitur, inquit, hoc Evangélium. Ubi? In toto orbe terrárum. Quibus? In testimónium ómnibus Géntibus. Quid póstea? Et tunc véniet finis. Non vides adhuc esse Gentes in quibus

nondum est prædicátum Evangélium ? Cùm ergo necesse sit impléri quod Dóminus dixit, quid est quòd dicis jam periisse Ecclésiam de ómnibus Géntibus, quando ad hoc prædicátur Evangélium, ut possit esse in ómnibus Géntibus? Ergo usque in finem séculi, Ecclésia in ómnibus Géntibus : & ipsa est exigúitas diérum, quia exíguum est omne quod finítur ; ut jam in æternitátem ab istâ exiguitáte transeátur. Exigúitas ídeò, quia totum hoc tempus, non dico ab hodierno die usque in finem séculi, sed ab Adam usque in finem séculi, exígua gutta est comparáta æternitáti.

℟. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terrâ. Euntes ergo docéte omnes Gentes. * Et ecce ego vobiscum sum ómnibus diébus, usque ad consummatiónem séculi. † Allelúia. ℣. Prædicábitur hoc Evangélium regni in universo orbe, in testimónium ómnibus Géntibus : & tunc véniet consummátio; * Et ecce. ℣. Glória. † Allelúia. *Matth.* 28 *&* 24.

IN II. NOCTURNO.

Psalmi cum Allelúia. *&c. ut in Psalterio.*

LECTIO. *Hebr.* 12.

PEr patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen : adspicientes in autórem fidei, & consummatórem Jesum, qui propósito sibi gáudio sustínuit crucem, confusióne contemptâ, atque in déxterâ sedis Dei sedet.

℣. Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, ℟. Et humília réspicit in cœlo & in terrâ? *Ps.* 112.

Collecta ut infrà.

AD LAUDES.

Psalmi sub unicâ

Ant. Jesus ferebátur in cœlum : & discípuli adorantes regressi sunt in Jerúsalem cum gáudio magno. Allelúia. *Luc.* 23.

Lectio, ℟. *br. Hymnus &* ℟. *ut in die Ascensionis, pag.* 474.

Ad Benedictus. *Ant.* Nondum erat Spíritus datus, quia Jesus nondum erat glorificátus. Allelúia. *Joan.* 7.

COLLECTA. *Brev. Paris.*

DEus, qui nos Resurrectiónis & Ascensiónis Domínicæ solémnia celebráre fecisti : † da fámulis tuis, * ut & advenientis Spíritûs sancti grátiam, purificátis méntibus, suscípere mereámur ; Per eumdem... in unitáte ejusdem.

AD HORAS, *Psalmi cum Ant.* Allelúia, *&c. Lectiones &* ℣. *ut in die Ascensionis, pag.* 475.

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Concílio Toletáno sexto. *An.* 638. *Cap.* I.

ECclésiam Cathólicam crédimus, sine máculâ in ópere, & sine rugâ in fide, Christi corpus esse, regnumque habitúrũ cum cápite suo omnipotente Christo Jesu, postquam hoc corruptíbile indúerit incorruptiónem, & mortále immortalitátem, ut sit Deus ómnia in ómnibus.

AD VESPERAS.

Psalmi sub unicâ

Ant. Cum introissent in cœnáculum, ascendérunt ubi manébant (Apóstoli.) Hi ómnes erant perseverantes unanímiter in oratióne, Allelúia. *Act.* I.

Lectio, ℟. *br. Hymnus* & ℣. *ut in die Ascensionis, pag.* 476.

Ad Magníficat. *Ant.* Erant semper in templo discípuli, laudantes & benedicentes Deum, Allelúia. *Luc.* 24.

SABBATO IN VIGILIA *PENTECOSTES.*

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Sedentem ad déxteram majestátis Dei Jesum; * Veníte, adorémus. Allelúia. *Hebr.* I.

HYMNUS. *S. V.*

NObis, olympo rédditus,
Qui, Christe, sedes præparas,
Nos éxules in pátriam
Trahas amóris néxibus.

Illic beátos íncolas
Curis solútos & metu,
Largo voluptas púrior
Inebriábit flúmine.

Bonis abundans ómnibus
Ingens eris merces, Deus:
Quàm longa pro pœnâ brevi
Tuos manébunt gáudia!

Tunc ore nudo qualis es,
Quantusque, te vidébimus;
Amábimus te júgiter,
Te júgiter laudábimus.

Si quos amas, non déseris,
Nostræ salútis óbsidem
Mittas ab altis sédibus,
Qui nos adoptet, Spíritum.

¶ Qui Patris ad déxtram sedes,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

¶ *Hæc Doxologia dicitur ad omnes Horas.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. unica. Clamábat Jesus dicens: Si quis sitit, véniat ad me, & bibat. Qui credit in me, flúmina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit Jesus de Spíritu quem acceptúri erant

erant credentes in eum. Allelúia. *Joan.* 7.

℣. Quemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum, ℟. Ita desíderat ánima mea ad te, Deus. *Ps.* 41.

LECTIO I.

Ex Apocalypsi beáti Joannis Apóstoli. *Cap.* 11.

ET datus est mihi cálamus símilis virgæ, & dictum est mihi: Surge & metíre templum Dei, & altáre, & adorantes in eo. Atrium autem, quod est foris templum, éjice foràs, & ne metiáris illud: quóniam datum est Géntibus, & civitátem sanctam calcábunt ménsibus quadraginta duóbus: & dabo duóbus téstibus meis, & prophetábunt diébus mille ducentis sexaginta, amicti saccis. Hi sunt duæ olivæ & duo candelábra, in conspectu Dómini terræ stantes. Et si quis volúerit eis nocére, ignis éxiet de ore eórum, & devorábit inimícos eórum: & si quis volúerit eos lædere, sic oportet eum occídi. Hi habent potestátem claudendi cœlum, ne pluat diébus prophetiæ ipsórum: & potestátem habent super aquas convertendi eas in sánguinem, & percútere terram omni plagâ quotiescumque volúerint.

℟. Tempus est ut incípiat judícium à domo Dei, si autem primùm à nobis, quis finis eórum qui non credunt Dei Evangélio? * Et si justus vix salvábitur, ímpius & peccátor, ubi parébunt? Allelúia. ℣. Ecce qui sérviunt ei non sunt stábiles; * Et si. *I. Petr.* 4. *Job.* 4.

LECTIO II.

ET cùm finíerint testimónium suum, béstia quæ ascendit de abysso, fáciet adversùm eos bellum, & vincet illos, & occídet eos. Et córpora eórum jacébunt in platéis civitátis magnæ, quæ vocátur spirituáliter Sódoma & Ægyptus, ubi & Dóminus eórum crucifixus est. Et vidébunt de tríbubus, & pópulis, & linguis, & Géntibus, córpora eórum per tres dies & dimídium: & córpora eórum non sinent poni in monumentis. Et inhabitantes terram gaudébunt super illos, & jucundabuntur: & múnera mittent ínvicem, quóniam hi duo Prophétæ cruciavérunt eos, qui habitábant super terram. Et post tres dies & dimídium, spíritus vitæ à Deo intrávit in eos. Et stetérunt super pedes suos, & timor magnus cécidit super eos qui vidérunt eos. Et audiérunt vocem magnam de cœlo, dicentem eis: Ascén-

dite huc. Et ascendérunt in cœlum in nube: & vidérunt illos inimíci eórum.

℟. Accepísti, Dómine Deus, virtútem tuam magnam & regnasti; & irátæ sunt Gentes. * Et advénit ira tua, & tempus mortuórum judicári, & réddere mercédem servis tuis, & exterminandi eos qui corrupérunt terram. Allelúia. ℣. Sedísti super thronum, qui júdicas justítiam; * Et advénit. *Apoc.* 11. *Ps.* 9.

LECTIO III.

Ex Libro tértio sancti Irenæi Epíscopi & Mártyris contra Hæreses. *Edit. Bened. Cap.* 17.

DOminus Spíritum promísit per Prophétas effúndere in novíssimis tempóribus super servos & ancillas, ut prophétent: unde & in Fílium Dei, fílium hóminis factum descendit, cum ipso adsuescens habitáre in génere humáno, & requiéscere in homínibus & habitáre in plásmate Dei, voluntátem Patris óperans in ipsis, & rénovans eos à vetustáte in novitátem Christi. Hunc Spíritum pétiit David humáno géneri, dicens: Et Spíritu principáli confirma me. Quem & descendisse Lucas ait post ascensum Dómini super discípulos in Pentecoste, habentem potestátem ómnium Géntium ad intróitum vitæ & ad apertiónem novi testamenti: Unde & Dóminus pollícitus est míttere se Paraclétum, qui nos aptáret Deo. Sicut enim de árido trítico massa una fieri non potest sine humóre, neque unus panis: ita nec nos multi unum fieri in Christo Jesu poterámus, sine aquâ quæ de cœlo est. Et sicut árida terra, si non percípiat humórem, non fructíficat: sic & nos, lignum áridum exsistentes primùm, nunquam fructificarémus vitam sine supernâ voluntáriâ plúviâ.

℟. Adhuc multa hábeo vobis dícere, sed non potestis portáre modo; * Cùm autem vénerit ille Spíritus veritátis, docébit vos omnem veritátem. † Allelúia. ℣. Ténebræ & palpátio in æternum, donec effundátur Spíritus de excelso; * Cùm. ℣. Glória. † Allelúia. *Joan.* 16. *Isai.* 32.

IN II. NOCTURNO.

Psalmi cum Allelúia, *ut in Psalterio. Lectio & ℣. ut suprà Feriâ VI, pag.* 511.

Collecta ut infrà.

AD LAUDES.

ANTIPHONÆ.

I. JOannes baptizávit aquâ, vos autem baptizabímini Spíritu sancto. Allelúia. *Act.* 1.

II. Spíritum veritátis non potest mundus accípere, quia non videt eum, nec scit eum: vos autem cognoscétis eum. Allelúia. *Joan.* 14.

III. Spíritus apud vos manébit, & in vobis erit non relinquam vos órphanos. Allelúia. *Joan.* 14.

IV. Ille me clarificábit, quia de meo accípiet & annuntiábit vobis. Allelúia. *Joan.* 16.

V. Docébit vos ómnia, & súggeret vobis ómnia quæcumque díxero vobis. Allelúia. *Joan.* 14.

LECTIO. *Sap.* 9.

SEnsum tuum, Dómine, quis sciet, nisi tu déderis sapiéntiam, & míseris Spíritum sanctum tuum de altíssimis; & sic correctæ sint sémitæ eórum qui sunt in terris, & quæ tibi placent didícerint hómines?

℟. *br.* Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam; *Allelúia, allelúia. ℟. Spíritus. ℣. Propter nomen tuum vivificábis me in æquitáte tuâ. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Spíritus. *Ps.* 142.

HYMNUS. *Brev. Parif.*

SUpréme Rector cœlitum,
Qui morte devictâ potens,
Cruóre signátam tuo
Ad astra pandis sémitam:

Alto benignus è throno,
E Patris almi déxterâ,
Quos hìc relinquis órphanos
Non intuéri désinas.

Nos, Christe, tot dolóribus
Quos parturísti, réspice,
Quos obstetríce lánceâ
Apertus effúdit sinus.

Partâ tuis labóribus
Jam tu potíris glóriâ:
Nunc hora; promíssum Patris
Nunc mitte nobis Spíritum.

Qui Patris ad déxtram sedes,
JESU, tibi sit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

℣. Non erubescant qui exspectant te, Dómine; ℟. Dómine virtútum. *Ps.* 68.

Ad Benedictus. *Ant.* Qui díligit me, diligétur à Patre meo; & ego díligam eum, & manifestábo ei meipsum. Allelúia. *Joan.* 14.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

PRæsta quæsumus, omnípotens & miséricors Deus, † ut Spíritus sanctus advéniens, * templum nos glóriæ suæ dignanter inhabitando perfíciat; Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

AD HORAS, *Antiphonæ Laudum.*

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Concílio Mediolanensi quinto. *An.* 1579. *Part.* 3. *tit. de Baptismo.*

REligiósi institúti olim fuit diem Baptismi quotannis à fidélibus piè celebrári : quæ sanè institútio cùm ad pietátis christiánæ cultum non parùm adjumenti afferre possit, eam in usum revocári vehementer cúpimus. Itaque fidélium unusquisque quò die baptizátus est, quotannis ardentióri prece, eleémosynâ, si per facultátes potest, spiritálisque gáudii celebritáte récolat se, chirógrapho damnatiónis deléto, hæreditátis cœlestis partícipem in Christo factum esse. Eo potíssimùm die sanctè se éxcitet ad præcláram illam sponsiónem & Christiánam professiónem, quam in sacro lavácro per sponsóres solémniter édidit.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Sap.* 1.

IN malévolam ánimam non introíbit sapiéntia, nec habitábit in córpore súbdito peccátis. † Spíritus enim sanctus disciplínæ effúgiet fictum, & áuferet se à cogitatiónibus, quæ sunt sine intellectu, & corripiétur à superveniente iniquitáte. *Benignus est enim Spíritus sapiéntiæ.

℣. Ne projícias me, Dómine, à fácie tuâ; ℟. Et Spíritum sanctum tuum ne áuferas à me. *Ps.* 50.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Ezech.* 36.

SPíritum meum ponam in médio vestri; † & fáciam ut in præceptis meis ambulétis,* & judícia mea custodiátis, & operémini.

℣. Cor mundum crea in me Deus, ℟. Et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis. *Ps.* 50.

AD NONAM.

LECTIO. *Act.* 1.

ACcipiétis virtútem superveniéntis Spíritûs sancti in vos : † & éritis mihi testes in Jerúsalem, & in omni Judæâ, & Samaríâ, * & usque ad últimum terræ.

℣. Turbabúntur Gentes; ℟. Et timébunt à signis tuis, Dómine. *Ps.* 64.



IN DIE SANCTO PENTECOSTES.

Solemnitas I. Classis.

AD I. VESPERAS.

Antiphonæ.

I. SPíritus meus erit in médio vestrûm : nolíte timére, dicit Dóminus exercítuum; Allel. *Agg.* 2.

II. Effundam super vos aquam, mundam & mundabímini ab ómnibus inquinamentis vestris; & ab universis idólis mundábo vos. Allelúia. *Ezech.* 36.

III. Dabo vobis cor novum, & Spíritum novum ponam in médio vestri; & áuferam cor lapídeum de carne vestrâ. Allelúia. *Ezech.* 36.

IV. Cùm dédero Spíritum meum in vobis, sciétis quia ego Dóminus locútus sum, & feci. Allelúia. *Ezech.* 37.

Lectio. *Act.* 2.

DIctum est per Prophétam Joel : Et erit in novíssimis diébus, dicit Dóminus : † Effundam de Spíritu meo super omnem carnem; & prophetábunt filii vestri, & filiæ vestræ;* & júvenes vestri visiónes vidébunt, & senióres vestri sómnia somniábunt.

℟. *br.* Plúviam voluntáriam segregábis, Deus, * Allelúia, allelúia. ℟. Plúviam. ℣. Hæreditáti tuæ. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Plúviam. *Ps.* 67.

Hymnus. *C.*

VEni superne Spíritus :
Purgáta Christi sánguine,
Tuîque terra jam capax,
Expandit arentes sinus.

Christi petentis æthera
Exsolve promissam fidem;
Et nostra præsens ígneo
Munda lavácro péctora.

Lugémus amissum Patrem,
Te nostra tangat órbitas :
Soláre mœstos, ánxiis
Spem redde, qui solus potes.

Docére quæ Christus rudes
Prudens alumnos distulit,
Hæc præparátis ínsere
Novus magister méntibus.

Olim per umbras vátibus.
Retecta paucis véritas,

Nunc orbe toto díssitis
Per te patescat Géntibus.
Divína jam nos únctio
Informet omnes : háctenus
Mutis arátam lítteris
Inscribe legem córdibus.
Sit laus Patri ; laus Fiiio ;
Utrumque qui nectis Deus,
Utríque compar sit tibi
Decus perenne, Spíritus.
Amen.

℣. Deus Israel ipse dabit virtútem, & fortitúdinem plebi suæ. ℟. Benedictus Deus. *Ps.* 67.

Ad Magníficat. *Ant.* Ecce dies vénient, & hoc erit pactum quod fériam cum domo Israel : Dabo legem meam in viscéribus eórum, & in corde eórum scribam eam. Allelúia. *Jerem.* 31.

Collecta Deus, qui corda. *infrà ad Laudes*, *pag.* 528.

¶ *Doxologia sequens dicitur ad omnes Horas per totam Octavam.*

¶ Sit laus Patri ; laus Fílio :
Par sit tibi laus, Spíritus,
Afflante quo mentes sacris
Lucent & ardent ígnibus.
Amen.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Allelúia. Spíritus Dómini replévit orbem terrárum ; * Veníte, adorémus. Allelúia. *Sap.* 1.

HYMNUS.

INter sulfurei fúlgura túrbinis,
Flammarumque globos, & sonitum tubæ,
Antíquam veteri, monte Sinâ super,
Legem das populo, Deus.
His infida probas corda pavóribus,
Et peccáre vetas, aut pretium mori :
Verùm terribiles quid parient minæ ?
Quò tantus recidet tremor ?
En fumantis adhuc montis ad ínfima
Plebs oblíta datam contínuò fidem ;
Brutam pérfida plebs effigiem colit,
Veri Núminis in locum.
Heu ! mens nostra, Deus, te sine nil potest :
Lucem prome animis, cordis ahéneam
Molli duritiem ; redde, potes, Deus,
Voci nos dociles tuæ.
Sit laus summa Patri, súmmaque Fílio :
Sit par, alme, tibi laus quoque, Spíritus,
Per quem legis amor córdibus ínsitus
Dat quod lex jubet, éxsequi. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. I. Numerábitis vobis ab áltero die sábbati

azymórum, quinquaginta dies; dicit Dóminus, & sic offerétis sacrificium novum Dómino. Allelúia. *Levit.* 23.

II. Vocábitis hunc diem celebérrimum atque sanctíssimum. Allelúia. *Ibid.*

III. Legítimum sempitérnum erit in cunctis habitáculis, & generatiónibus vestris. Allelúia. *Ibid.*

IV. Creábit Dóminus super omnem locum montis Sion splendórem ignis. Allelúia. *Is.* 4.

V. De Sion egrediétur lex, & verbum Dómini de Jerúsalem. Allelúia. *Mich.* 4.

VI. Effundétur super nos Spíritus de excelso, & erit secúritas, usque in sempitérnum. Allelúia. *Is.* 32.

℣. Vox Dómini in virtúte. ℟. Vox Dómini in magnificéntiâ. *Ps.* 28.

LECTIO I.

Ex Libro Deuteronómii.

Cap. 5.

VOcávit Móyses omnem Isráëlem, & dixit ad eum: Audi, Israel, ceremónias atque judícia, quæ ego loquor in áuribus vestris hódie: díscite ea, & ópere compléte. Dóminus Deus noster pépigit nobíscum fœdus in Horeb. Non cum pátribus nostris íniit pactum, sed nobíscum qui inpræsentiárum sumus, & vívimus. Fácie ad fáciem locútus est nobis in monte de médio ignis. Ego sequester & médius fui inter Dóminum & vos in témpore illo, ut annuntiárem vobis verba ejus. Timuístis enim ignem, & non ascendístis in montem, & ait: Ego Dóminus Deus tuus: qui edúxi te de terrâ Ægypti, de domo servitútis. Non habébis Deos aliénos in conspectu meo.

℟. Super servos meos & ancillas in diébus illis effundam spíritum meum, * Et dabo prodígia in cœlo & in terrâ; & erit: Omnis qui invocáverit nomen Dómini, salvus erit. Allelúia. ℣. Oportébat Christum pati, & resúrgere à mórtuis; vos autem testes estis horum; & ego mitto promíssum Patris mei in vos. * Et dabo. *Joel.* 2. *Luc.* 24.

LECTIO II.

HÆc verba locútus est Dóminus ad omnem multitúdinem vestram in monte, de médio ignis & nubis & calíginis, voce magnâ, nihil addens ámplius: & scripsit ea in duábus tábulis lapídeis, quas trádidit mihi. Vos autem postquam audístis vocem de médio tenebrárũ, & montem ardére vidístis, accessístis ad me omnes príncipes tribuum, & majóres natu, atque dixístis: Ecce

ostendit nobis Dóminus Deus noster majestátem & magnitúdinem suam: vocem ejus audívimus de médio ignis, & probávimus hódie quòd loquente Deo cum hómine, víxerit homo. Cur ergo moriémur, & devorábit nos ignis hic máximus? Si enim audiérimus ultrà vocem Dómini Dei nostri, moriémur. Quid est omnis caro, ut áudiat vocem Dei viventis, qui de médio ignis lóquitur sicut nos audívimus, & possit vívere? Tu magìs accéde: & audi cuncta quæ díxerit Dóminus Deus noster tibi: loquérisque ad nos, & nos audientes faciémus ea.

℟. Auferam cor lapídeum de carne vestrâ, & *Dabo vobis cor cárneum: & spíritum meum ponam in médio vestrî: & fáciam ut in præceptis meis ambulétis. Allelúia. ℣. Ait Dóminus: Quis det talem eos habére mentem, ut tímeant me, & custódiant universa mandáta mea? * Dabo. *Ezech.* 36. *Deut.* 5.

LECTIO III. *Cap.* 16.

SEptem hebdómadas numerábis tibi ab eâ die quâ falcem in ségetem míseris, & celebrábis diem festum hebdomadárũ Dómino Deo tuo, oblatiónem spontáneam manûs tuæ, quam ófferes juxta benedictiónem Dómini Dei tui: & epuláberis coram Dómino Deo tuo, tu, filius tuus, & filia tua, servus tuus & ancilla tua, & Levítes qui est intra portas tuas, ádvena ac pupillus & vídua, qui morantur vobiscum: in loco quem elégerit Dóminus Deus tuus, ut hábitet nomen ejus ibi: & recordáberis quóniam servus fúeris in Ægypto: custodiesque, ac fácies quæ præcepta sunt.

℟. Effundam aquas super sitientem, & fluenta super áridam; effundam Spíritum meum. * Et germinábunt quasi sálices juxta præterfluentes aquas. Allelúia. ℣. Fiet fons aquæ salientis in vitam æternam. * Et. *Is.* 44. *Joan.* 4.

LECTIO IV.

Ex Actibus Apostolórum. *Cap.* 2.

CUm complerentur dies Pentecostes, erant omnes páriter in eódem loco: & factus est repentè de cœlo sonus, tamquàm advenientis spíritûs vehementis, & replévit totam domum ubi erant sedentes. Et apparuérunt illis dispertítæ linguæ tamquàm ignis, seditque supra síngulos eórum: Et repléti sunt omnes Spíritu sancto, & cœpérunt loqui váriis linguis,

prout Spíritus sanctus dabat éloqui illis. Erant autem in Jerúsalem habitantes judæi, viri religiósi ex omni natióne quæ sub cœlo est. Factâ autem hâc voce, convénit multitúdo, & mente confúsa est; quóniam audiébat unusquisque linguâ suâ illos loquentes.

℟. Non accessistis ad tractábilem montem, & accensíbilem ignem, & túrbinem, & calíginem, & tubæ sonum: * Sed accessistis ad Sion montem, & testamenti novi mediatórem Jesum: vidéte ne recusétis loquentem. † Allelúia. ℣. Cunctus pópulus pertérriti ac pavóre concussi stetérunt procul dicentes Móysi: Non loquátur nobis Dóminus, ne forte moriámur; * Sed. ℣. Glória. † Allelúia. *Hebr.* 12. *Exod.* 20.

IN II. NOCTURNO.

Ant. I. Expedit vobis, ut ego vadam; si enim non abíero, Paraclétus non véniet ad vos: si autem abíero, mittam eum ad vos. Allelúia. *Joan.* 16.

II. Cùm autem vénerit Paraclétus, quem ego mittam vobis à Patre, ille testimónium perhibébit de me. Allelúia. *Joan.* 15.

III. Cùm vénerit ille, árguet mundum de peccáto, & de justítiâ, & de judício. Allelúia. *Joan.* 16.

IV. Docébit vos omnem veritátem; & quæ ventúra sunt, annuntiábit vobis; Allelúia. *Joan.* 16.

V. Accipiétis virtútem supervenientis Spíritûs sancti in vos, & éritis mihi testes usque ad últimum terræ; Allelúia. *Act.* 1.

VI. Non vos estis loquentes, sed Spíritus sanctus. Allelúia. *Marc.* 13.

℣. Emittes Spíritum tuũ & creabuntur. ℟. Et renovábis fáciem terræ. *Ps.* 103.

LECTIO V.

Sermo sancti Leónis Papæ de Pentecoste. *I. Serm.* 73. *Edit. Paris.*

AB illo die, quo Dóminus super omnem cœlórum altitúdinem ad déxteram Dei Patris consessúrus ascendit, décimus iste est, qui ab ejusdem Resurrectióne quinquagésimus nobis in eo, à quo cœpit, illuxit, magna mystéria in se & veterum sacramentórum cóntinens & novórum: quibus manifestíssimè declarátur, & grátiam prænunciátam fuisse per legem, & legem implétam esse per grátiam. Sicut enim Hebræo quondam pópulo ab Ægyptiis liberáto, quinquagésimo die post immolatiónem agni lex data est in monte Sinâ; ita post passiónem

Dómini, quâ verus Dei Agnus occísus est, quinquagésimo à resurrectióne ipsíus die in Apóstolos plebemque credéntium Spíritus sanctus illapsus est: ut fácilè díligens Christiánus agnoscat inítia véteris Testamenti Evangélicis ministrasse princípiis, & ab eódem spíritu cónditum Fœdus secundum, à quo primum fúerat institútum.

℟. Terra mota est; * Etenim cœli distillavérunt à fácie Dei Sínai, à fácie Dei Israel. Allelúia. ℣. Repléti sunt omnes Spíritu sancto; * Etenim. *Ps.* 67. *Act.* 2.

LECTIO VI.

REpléti sunt omnes Spíritu sancto, & cœpérunt loqui áliis linguis, prout Spíritus sanctus dabat éloqui illis. O quam velox est sermo sapiéntiæ, & ubi Deus magister est, quàm citò díscitur, quod docétur. Non est adhíbita interpretátio ad audiendũ, non consuetúdo ad usum, non tempus ad stúdium: sed spirante ubi vóluit Spíritu veritátis, própriæ singulárum Géntium voces, factæ sunt in Ecclésiæ ore commúnes. Ab hoc ígitur die tuba Evangélicæ prædicatiónis intónuit, ab hoc die imbres charísmatum, flúmina benedictiónum, omne desertum & universam áridam rigavérunt: quóniam ad renovandam fáciem terræ Spíritus Dei ferebátur super aquas: & ad véteres ténebras abigendas, novæ lucis fúlgura coruscábant, cùm, micántium splendóre linguárum, & verbum Dómini lúcidum, & elóquium conciperétur ignítum, cui ad creandum intellectum, consumendumque peccátum, & efficácia illuminandi, & vis inesset urendi.

℟. Factus est repentè de cœlo sonus, tamquàm advenientis spíritûs vehementis: * Sedit ignis supra síngulos eórum; & cœpérunt loqui váriis linguis, prout Spíritus sanctus dabat éloqui illis. Allelúia. ℣. Dóminus de Sínai venit; in déxterâ ejus ígnea lex: & qui appropinquant pédibus ejus, accípient de doctrínâ illíus. * Sedit. *Act.* 2 *Deut.* 33.

LECTIO VII.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi. *Serm.* 156. *de verbis Apost. Edit. Bened. Cap.* 13.

FOrtè dictúri erátis: Et lex súfficit nobis. Lex timórem dedit: & vidéte quid hinc subjunxit Apóstolus, cùm díceret: Quotquot enim Spíritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei: quia cùm Spíritu Dei aguntur, caritáte aguntur. Cá-

ritas enim Dei diffúsa est in córdibus nostris, per Spíritum sanctum qui datus est nobis. Secútus adjunxit: Non enim accepistis spíritum servitútis íterum in timóre. Idem ergo spíritus, sed in tábulis lapídeis in timóre, in tábulis cordis in dilectióne.

℟. Epístola estis Christi, scripta non atramento, sed Spíritu Dei vivi, * Non in tábulis lapídeis, sed in tábulis cordis carnálibus. Allelúia. ℣. Non accepistis spíritum servitútis íterum in timóre: sed accepistis Spíritum adoptiónis filiórum, * Non in. *II. Cor.* 3. *Rom.* 8.

LECTIO VIII.

JAm ergo non in timóre, sed in dilectióne; ut non servi, sed filii simus. Qui enim adhuc ídeò benè agit, quia pœnam timet, Deum non amat, nondum est inter fílios. Utinam tamen vel pœnam tímeat. Timor servus est, cáritas líbera est; & ut sic dicam, timor est servus caritátis. Ne possídeat diábolus cor tuum, præcédat servus in corde tuo, & servet dóminæ ventúræ locum. Fac, fac vel timóre pœnæ, si nondum potes amóre justítiæ. Véniet dómina, & servus abscédet: quia consummáta cáritas foràs mittit timórem. Non enim accepistis spíritum servitútis íterum in timóre. Novum testamentum est, non vetus. Vétera transiérunt, & ecce nova facta sunt ómnia: ómnia autem ex Deo.

℟. Nunc solúti sumus à lege mortis in quâ detinebámur: * Ita ut serviámus in novitáte Spíritûs, & non in vetustáte litteræ. † Allelúia. ℣. Cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris, per Spíritum sanctum qui datus est nobis: * Ita ut. ℣. Glória. † Allelúia. *Rom.* 7 & 5.

IN III. NOCTURNO.

I. CANTICUM. *Judith*, 16.

Vox exultationis in Sion ob immensam Dei potentiam & magnificentiam.

HYmnum cantémus Dómino; * hymnum novum cantémus Deo nostro.

Adónai Dómine, magnus es tu, & præclárus in virtúte tuâ * & quem superáre nemo potest.

Tibi sérviat omnis creatûra tua: * quia dixisti, & facta sunt;

Misisti Spíritum tuum, & creáta sunt, * & non est qui resistat voci tuæ.

Montes à fundamentis movebuntur cum aquis: * petræ sicut cera, liquescent ánte fáciem tuam.

Qui autem timent te, * magni erunt apud te per ómnia.

Non solùm autem illa, sed & nos ipsi primítias spíritûs habentes; & ipsi intra nos gémimus; adoptiónem filiórum Dei exspectántes, redemptiónem córporis nostri. Spe enim salvi facti sumus. Spes autem quæ vidétur, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat? Si autem quod non vidémus, sperámus; per patiéntiam exspectámus. Simíliter autem & Spíritus ádjuvat infirmitátem nostram: nam quid orémus, sicut oportet nescímus: sed ipse Spíritus póstulat pro nobis gemítibus inenarrabílibus. Qui autem scrutátur corda, scit quid desíderet Spíritus: quia secundùm Deum póstulat pro sanctis.

℟. Qui sumus in hoc tabernáculo ingemíscimus graváti. * Qui autem éfficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus spíritûs. † Allelúia. ℣. In hoc ingemíscimus, habitatiónem nostram quæ de cœlo est superíndui cupientes; * Qui. ℣. Glória. † Allelúia. *II. Cor. 5.*

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joannem.

Cap. 14.

DIxit Jesus discípulis suis: Si quis díligit me, sermónem meum servábit, & Pater meus díliget eum, & ad eum veniémus, & mansiónem apud eum faciémus. Qui non díligit me, sermónes meos non servat. Et sermónem quem audístis, non est meus: sed ejus, qui misit me, Patris. Hæc locútus sum vobis, apud vos manens. Paraclétus autem Spíritus sanctus, quem mittet Pater in nómine meo, ille vos docébit ómnia, & súggeret vobis ómnia, quæcumque díxero vobis. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quómodo mundus dat, ego do vobis. Non turbétur cor vestrum, neque formídet. Audístis quia ego dixi vobis: Vado; & vénio ad vos. Si diligerétis me, gauderétis útique, quia Pater major me est. Et nunc dixi vobis priusquam fiat: ut cùm factum fúerit, credátis. Jam non multa loquar vobiscum. Venit enim princeps mundi hujus; & in me non habet quidquam. Sed ut cognoscat mundus quia díligo Patrem, & sicut mandátum dedit mihi Pater, sic fácio.

COLLECTA. *Sacr. Rom.*

DEus, qui Sacramento festivitátis hodiernæ universam Ecclésiam tuam in omni gente & natióne sanctíficas: † in totam mundi latitúdinem Spíritûs tui Sancti dona diffunde; *

ut quod inter ipsa Evangélicæ prædicatiónis exórdia operáta est divína dignátio, nunc quoque in credéntium córdibus operétur; Per Dóminum.... in unitáte ejusdem.

AD LAUDES.

Antiphonæ.

I. ERant Apóstoli perseverantes unanímiter in oratióne, cum muliéribus, & Maríâ matre Jesu, & frátribus ejus, Allelúia. *Act.* 1.

II. Sonus replévit totam domum ubi erant sedentes; & apparuérunt illis dispertítæ linguæ tamquàm ignis. Allelúia. *Act.* 2.

III. Audiébat unusquisque linguâ suâ illos loquentes. Allelúia. *Act.* 2.

IV. Stupébant omnes; & mirabantur, dicentes: Nonne ecce omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt? Et quómodo nos audívimus unusquisque linguam nostram in quâ nati sumus? Allelúia. *Act.* 2.

V. Audívimus eos loquentes nostris linguis magnália Dei. Allelúia. *Act.* 2.

Lectio. *Ephes.* 4.

UNus Deus & Pater ómnium, qui est super omnes, & per ómnia, & in ómnibus nobis. † Unicuíque autem nostrûm data est grátia secundùm mensúram donatiónis Christi. * Propter quod dicit: Ascendens in altum, captívam duxit captivitátem: dedit dona homínibus.

℟. *br.* Spíritus Dómini replévit orbem terrárum, * Allelúia, allelúia. ℟. Spíritus. ℣. Et hoc quod cóntinet ómnia, sciéntiam habet vocis. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Spíritus. *Sap.* 1.

Hymnus. *C.*

AUdímur: almo Spíritus
Descendit è sinu Patris,
Ægrisque fert mortálibus
Promissa cœli múnera.

Quot próditur miráculis
Præsentis adventus Dei!
Jam tota sublími domus
Repentè flatu pérsonat.

Puro cadúcus æthere,
Candentis ad linguæ modum,
In considentûm vérticem
Ignítus imber dépluit.

Quæ flamma summas álluit
Innóxio tactu comas,
Hæc gliscit arcánis simul
In pectus & mentem viis.

Stupente turbâ Géntium
Linguis loquuntur ómnibus;
Vatum crepant orácula:
Quidquid profantur, ignis est.

Inter profandum, Spíritus
In audientes írruit;
Instincta quo passim nova
Surgit Prophetárum seges.

Sit laus Patri, laus Fílio:
Par sit tibi laus, Spíritus,
Quo flante puris péctora
Lucent & ardent ignibus.
Amen.

℣. Dóminus dabit verbum Evangelizántibus. ℟. Virtúte multâ. *Ps.* 67.

Ad Benedictus. *Ant.* Non hi ébrii sunt; sed hoc est, quod dictum est per Prophétam: Effundam de Spíritu meo super omnem carnem. Allelúia. *Act.* 2.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

DEus, qui hodiernâ die corda fidélium Sancti Spíritûs illustratióne docuisti, † da nobis in eódem Spíritu recta sápere, * & de ejus semper consolatióne gaudére; Per Dóminum.... in unitáte ejusdem.

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Constitutiónibus quæ dicuntur Apostólicæ. *Lib.* 5. *Cap.* 20. *Sec. II. vel. III.*

POst decem dies ab Ascensióne, seu quinquagésimo post primam Domínicam die, magnum sit vobis festum Pentecostes: in eo quippe die Dóminus Jesus ad Apóstolos horâ tértiâ misit donum Spíritûs sancti; ac repléti sunt ejus efficáciâ; & linguis novis locúti sunt, prout idem Spíritus illis suggerébat; & prædicavérunt Judæis atque Géntibus Jesum esse Christum Dei, & constitútum à Deo Júdicem vivórum ac mortuórum.

AD TERTIAM.

Hodie & per totam Octavam loco Hymni O fons, *dicitur*

HYMNUS. *Raban. Maur.*

VEni, Creátor Spíritus,
Mentes tuórum vísita,
Imple supernâ grátiâ
Quæ tu creasti péctora.
Qui Paraclétus díceris,
Altíssimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, cáritas,
Et spiritális únctio.
Tu septiformis múnere,
Dextræ Dei tu digitus,
Tu ritè promissum Patris,
Sermóne ditans gúttura.
Accende lumen sénsibus,
Infunde amórem córdibus,
Infirma nostri córporis
Virtúte firmans pérpeti.
Hostem repellas lóngiùs,
Pacemque dones prótinus;
Ductóre sic te prævio,
Vitémus omne nóxium.
Per te sciámus, da Patrem,
Noscámus atque Fílium:
Te utriusque Spíritum
Credámus omni témpore.
Sit laus Patri, laus Fílio:
Par sit tibi laus, Spíritus,
Afflante quo mentes sacris
Lucent & ardent ignibus.
Amen.

LECTIO. *II. Cor.* 3.

SI ministrátio mortis lítteris deformáta in lapídibus, fuit in glóriâ; † ita ut non possent inténdere filii Israel in fáciem Móysi, propter glóriam vultûs ejus, quæ evacuátur: * quómodo non magis ministrátio Spíritûs erit in glóriâ?

℣. Commóta est & contremuit terra, ℟. Ignis à fácie ejus exarsit. *Ps.* 17.

AD SEXTAM.

LECTIO. *I. Cor.* 12.

ALii quidem per Spíritum datur sermo sapiéntiæ: álii autem sermo sciéntiæ secundùm eumdem Spíritum: † Alteri fides in eódem Spíritu: álii grátia sanitátum in uno Spíritu; álii operátio virtútum; álii Prophetía, álii discrétio spírituum, * álii génera linguárum; álii interpretátio sermónum.

℣. Non sunt loquélæ, neque sermónes, ℟. Quorum non audiantur voces eórum. *Ps.* 18.

AD NONAM.

LECTIO. *I. Cor.* 2.

QUæ Dei sunt, nemo cognóvit, nisi Spíritus Dei. † Nos autem non spíritum hujus mundi accépimus, sed Spíritum qui ex Deo est, ut sciámus quæ à Deo donáta sunt nobis: * quæ & lóquimur non in doctis humánæ sapiéntiæ verbis, sed in doctrínâ Spíritûs.

℣. Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos, ℟. Et tímuit omnis homo. *Ps.* 63.

AD II. VESPERAS.

PSALMI ET ANT.

I. *Ps.* 109. Dixit Dóminus. *pag.* 26.

Ant. Déxterâ Dei exaltátus Jesus, & promissióne Spíritûs sancti acceptâ à Patre, effúdit hunc, quem vos vidétis, & audítis. Allelúia. *Act.* 2.

II. *Ps.* 110. Confitébor. *pag.* 26.

Ant. Sanctificáti estis in nómine Dómini nostri Jesu Christi, & in Spíritu Dei nostri. Allelúia. *I. Cor.* 6.

III. *Ps.* 112. Laudáte púeri. *pag.* 27.

Ant. Signáti estis Spíritu promissiónis sancto, qui est pignus hæreditátis nostræ, in redemptiónem acquisitiónis. Allelúia. *Ephes.* 1.

IV. *Ps.* 137. Confitébor... quóniam. *pag.* 50.

Ant. Nolíte contristáre Spíritum sanctum Dei: in quo signáti estis in diem redemptiónis. Allelúia. *Ephes.* 4.

LECTIO. *Tit.* 3.

SEcundùm suam misericórdiam salvos nos fecit Deus, per lavácrum regeneratiónis & renovatiónis Spíritûs sancti, † quem effúdit in nos abundè per Jesum Christum Salvatórem nostrum, * ut justificáti grátiâ ipsíus, hærédes simus secundùm spem vitæ ætérnæ.

℟. *br.* Unxit nos Deus: qui & signávit nos, * Allelúia, allelúia. ℟. Unxit, ℣. Et dedit pignus Spíritûs in córdibus nostris. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Unxit. *II. Cor.* 1.

HYMNUS. *C.*

QUò vos Magistri glória, quò salus
Invítat orbis, sancta cohors, novam
Portáte legem: vos reposcit,
Prima seges, pia cura fratrum.

Proh! quanta messis prótinus éxstitit!
Ter mille verbum concipiunt viri:
Deoque maturante, reddunt
Multiplicem, bona terra, fructum.

Compuncta passim péctora flétibus
Mœrent amáris, atque piáculo
Ardent salutáris lavácri
Præteritas abolére labes.

At non Hebræis limitibus sacer
Hærébit ardor. Sol habitábiles
Quà lustrat oras, hàc triumphis
Materies patet ampla vestris.

Jam mille divûm templa solo ruunt:
Cedit superbæ vis sapiéntiæ,
Cedunt tyranni: victa cedit
Carnificum rabies furentûm.

Novum potentis grátia Spíritûs
Creávit orbem: nos quoque, nos tuæ
Succendat ardor caritátis,
Alme Deus, renovetque totos.

Sit summa Patri, summaque Fílio;
Sit, Sancte, compar laus tibi, Spíritus,
Quo dura mitescunt, novasque
Concipiunt pia corda flammas. Amen.

℣. Manda Deus virtúti tuæ. ℟. Confirma hoc, Deus, quod operátus es in nobis. *Ps.* 67.

Ad Magníficat. *Ant.* Det vobis Deus virtúte corroborári per Spíritum ejus in interiórem hóminem, ut in caritáte radicáti & fundáti, impleámini in omnem plenitúdinem Dei. Allelúia. *Ephes.* 3.

FERIA SECUNDA
INTRA OCTAVAM
PENTECOSTES.
Solemnitas II. Classis.

Omnia ut in die Pentecostes, exceptis quæ sequuntur.

IN I. NOCTURNO.

LECTIO I.

Ex Apocalypsi beáti Joannis Apóstoli. *Cap.* 11.

Et séptimus Angelus tubâ cécinit : & factæ sunt voces magnæ in cœlo dicentes : Factum est regnum hujus mundi, Dómini nostri & Christi ejus, & regnábit in sécula seculórum : Amen. Et viginti quátuor senióres, qui in conspectu Dei sedent in sédibus suis, cecidérunt in fácies suas, & adoravérunt Deum. Et apertum est templum Dei in cœlo : & visa est arca testamenti in templo ejus, & facta sunt fúlgura, & voces, & terræ motus, & grando magna.

℟. Grátias ágimus tibi, Dómine Deus omnípotens, quia accepisti virtútem tuã magnam, & regnasti ; & irátæ sunt Gentes, * Et advénit ira tua, & tempus mortuórum judicári, & réddere mercédem servis tuis. Allelúia. ℣. Sedisti super thronum qui júdicas justítiam ; * Et advénit. *Apoc.* 11. *Ps.* 9.

LECTIO II. *Cap.* 12.

Et factum est prælium magnum in cœlo : Míchael & ángeli ejus præliabantur cum dracóne, & draco pugnábat & ángeli ejus : & non valuérunt, neque locus inventus est eórum ámpliùs in cœlo. Et projectus est draco ille magnus, serpens antíquus, qui vocátur diábolus & sátanas, qui sedúcit universum orbem : & projectus est in terram, & ángeli ejus cum illo missi sunt.

℟. Consurget Míchael princeps magnus, qui stat pro fíliis pópuli tui. * Et in témpore illo salvábitur omnis qui inventus fúerit scriptus in Libro. Allelúia. ℣. Erit tunc tribulátio magna, qualis non fuit ab inítio mundi, usque modo, neque fiet. * Et in. *Dan.* 12. *Matth.* 24.

LECTIO III.

Et audívi vocem magnam in cœlo dicentem : Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus : quia projectus est accusátor fratrum nostrórũ, qui accusábat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte. Et ipsi vicérunt

cum propter sánguinem Agni, & propter verbum testimónii sui, & non dilexérunt ánimas suas usque ad mortem. Proptérea lætámini, cœli, & qui habitátis in eis. Væ terræ, & mari, quia descendit diábolus ad vos, habens iram magnam, sciens quod módicum tempus habet.

℟. Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? * Hi sunt, qui venérunt de tribulatióne magnâ, & lavérunt stolas suas, & dealbavérunt eas in sánguine Agni. Allelúia. ℣. Vidi ánimas decollatórum propter testimónium Jesu, & propter verbum Dei, & qui non adoravérunt béstiam, nec accepérunt charactéré ejus. * Hi sunt. *Apoc.* 7 & 20.

LECTIO IV. *Cap.* 13.

VIdi de mari béstiam ascendentem, habentem cápita septem, & córnua decem, & super córnua ejus decem diadémata, & super cápita ejus nómina blasphémiæ. Et vidi unum de capítibus suis quasi occísum in mortem: & plaga mortis ejus curáta est. Et admiráta est universa terra post béstiam. Et adoravérunt dracónem, qui dedit potestátem béstiæ: & adoravérunt béstiam, dicentes: quis símilis béstiæ? & quis póterit pugnáre cum eâ? Et datum est ei os loquens magna, & blasphémias: & data est ei potestas fácere menses quadraginta duos.

℟. Beáti qui lavant stolas suas in sánguine Agni, * Ut sit potestas eórum in ligno vitæ, & per portas intrent in civitátē. † Allelúia. ℣. Ruent in gládio, & in flammâ, & in captivitáte, & in rapínâ diérum, * Ut sit. ℣. Glória. † Allelúia. *Apoc.* 22. *Dan.* 11.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO V.

Ex Sermóne primo sancti Leónis Papæ de Pentecoste. *Serm.* 73. *Edit. Paris. Cap.* 3.

QUàmvis dilectíssimi, valde fúerit ipsa rei gestæ forma mirábilis, nec dúbium sit, in illo ómnium humanárum vocum exsultante conventu, majestátem Spíritûs sancti fuisse præséntem; nemo tamen in iis, quæ corpóreis visa sunt óculis, divínam ejus putet apparuisse substántiam. Natúra enim invisíbilis, & cum Patre, & cum Fílio commúnis, qualitátem múneris atque óperis sui, quâ vóluit significatióne monstrávit, proprietátem verò esséntiæ suæ in suâ deitáte continuit: quia sicut nec Patrem, nec Fílium, ita nec Spíritum sanctum humánus potest visus adtíngere. In Trinitáte

enim divínâ, nihil dissími-le, nihil impar est, & ómnia quæ de illâ possunt substántiâ cogitári, nec virtúte, nec glóriâ, nec æternitáte discréta sunt. Cùmque in personárum proprietátibus álius sit Pater, álius sit Filius, álius Spíritus sanctus: non tamen ália déitas: nec diversa natúra est.

℟. Est in sapiéntiâ Spíritus intelligéntiæ, sanctus, únicus, múltiplex, subtílis, disertus, amans bonum, quem nihil vetat; * Omnem habens virtúté; ómnia prospíciens, & qui cápiat omnes spíritus. Allelúia. ℣. Spíritus ómnia scrutátur étiam profunda Dei; * Omnem. *Sap.* 7. *I. Cor.* 2.

LECTIO VI.

NOn ergo ália sunt Patris, ália Fílii, ália Spíritûs sancti: sed ómnia quæcumque habet Pater, habet & Fílius, habet & Spíritus sanctus, nec unquam in illâ Trinitáte défuit ista commúnio: quia hoc est ibi ómnia habére, quod semper exsístere. Nulla ibi témpora, nulli gradus, nullæ differéntiæ cogitentur: & si nemo de Deo potest explicáre quod est, nemo áudeat affirmáre quod non est. Excusabílius enim est de natúrâ ineffábili non éloqui digna, quàm definíre contrária. Quidquid ítaque de sempiternâ & incommutábili glóriâ Patris, pia possunt corda concípere, hoc simul & de Filio, & de Spiritu sancto, inseparabíliter atque indifferenter intélligant. Ideò enim hanc beátam Trinitátem, unum confitémur Deum, quia in his tribus persónis, nec substántiæ, nec poténtiæ, nec voluntátis, nec operatiónis est ulla divérsitas.

℟. Séraphim clamábant alter ad álterum: * Sanctus, sanctus, sanctus Dóminus Deus exercítuum; plena est omnis terra glóriâ ejus. Allelúia. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spíritus sanctus, & hi tres unum sunt: * Sanctus. *Isai.* 6. *I. Joan.* 5.

LECTIO VII. *Cap.* 4.

SIcut ergo detestámur Ariános, qui inter Patrem & Fílium áliquam volunt esse distántiam; ita étiam Macedoniános páriter detestámur, qui licèt Patri & Fílio tribuant æqualitátem, Spíritum tamen sanctum inferióris putant esse natúræ: non considerantes in eam blasphémiã se incídere, quæ neque in præsenti século, neque in futúro sit remittenda judício. Pérmanens ítaque in hâc impietáte, sine véniâ est, quia exclúsit eum à se, per quem póterat confitéri; nec unquam pervéniet ad

íterum caput pédibus: Non estis mihi necessárii. Sed multò magìs quæ videntur membra córporis infirmióra esse, necessarióra sunt: & quæ putámus ignobilióra membra esse córporis, his honórem abundantiórem circúmdamus. Honesta autem nostra nullíus egent: sed Deus temperávit corpus ei cui déerat, abundantiórem tribuendo honórem, ut non sit schisma in córpore, sed idipsum pro ínvicem sollícita sint membra. Et si quid pátitur unum membrum, compatiuntur ómnia membra: sive quid gloriátur unum membrum, congaudent ómnia membra. Vos autem estis corpus Christi & membra de membro.

℟. Obsecro vos in Dómino, ut dignè ambulétis vocatióne, quâ vocáti estis; * Sollíciti serváre unitátem Spíritûs in vínculo pacis. † Allelúia. ℣. Unum corpus, & unus Spíritus, sicut vocáti estis in unâ spe vocatiónis vestræ. * Sollíciti. ℣. Glória. † Allelúia. *Ephes.* 4.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joannem.

Cap. 3.

DIxit Jesus Nicodémo: Amen, amen, dico tibi, nisi quis renátus fúerit ex aquâ & Spíritu sancto, non potest introíre in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spíritu, spíritus est. Non miréris, quia dixi tibi: oportet vos nasci dénuo. Spíritus ubi vult spirat: & vocem ejus audis; sed nescis unde véniat, aut quò vadat: sic est omnis qui natus est ex Spíritu. Respondit Nicodémus, & dixit ei: Quómodò possunt hæc fieri? Respondit Jesus, & dixit ei: Tu es Magister in Israel, & hæc ignóras? Amen, amen dico tibi, quia quod scimus lóquimur; & quod vídimus testámur, & testimónium nostrum non accípitis. Si terréna dixi vobis, & non créditis, quómodò si díxero vobis cœléstia, credétis? Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Fílius hóminis qui est in cœlo. Et sicut Móyses exaltávit serpentem in deserto; ita exaltári oportet Fílium hóminis: ut omnis qui credit in ipsum, non péreat, sed hábeat vitam ætérnam. Sic enim Deus diléxit mundũ, ut Fílium suum unigénitum daret: ut omnis qui credit in eum, non péreat, sed hábeat vitam ætérnam. Non enim misit Deus Fílium suum in mundum, ut júdicet mundum, sed ut salvétur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non

judicátur: qui autem non credit, jam judicátus est, quia non credit in nómine Unigéniti Filii Dei. Hoc est autem judícium: quia lux venit in mundum, & dilexérunt hómines magis ténebras, quàm lucem: erant enim eórum mala ópera. Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur ópera ejus. Qui autem facit veritátem, venit ad lucem, ut manifestentur ópera ejus, quia in Deo sunt facta.

Ad Benedíctus. *Ant.* Spíritus ubi vult spirat; & vocem ejus audis, sed nescis unde véniat aut quò vadat: sic est omnis qui natus est ex Spíritu, Allel. *Joan.* 3.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

DEus, qui Apóstolis tuis sanctum dedisti Spíritum, † concéde plebi tuæ piæ petitiónis effectum; * ut quibus dedisti fidem, largiáris & pacem; Per Dóminum.... in unitáte ejusdem.

CANON.

Ex Concílio Románo tértio sub Damáso Papâ. *Can. ex Epist. Damasi ad Paulinum Ep. Antioch. An.* 373.

SI quis non díxerit Spíritum sanctum de Patre esse verè ac próprie, sicut & Fílium de divínâ substantiâ, & Deum Dei Verbum. Omnia posse Spíritum sanctum, ómnia nosse, & ubíque esse, sicut & Patrem & Fílium, & adorandum ab omni creatúrâ, sicut & Fílium & Patrem; Anáthema sit.

Ad Magníficat. *Ant.* Non misit Deus Fílium suum in mundum, ut júdicet mundum: sed ut salvétur mundus per ipsum. Allelúia. *Joan.* 3.

FERIA TERTIA

INTRA OCTAVAM

PENTECOSTES.

Solemnitas II. Classis.

Omnia ut in die Pentecostes, exceptis quæ sequuntur.

IN I. NOCTURNO.

LECTIO I.

Ex Apocalypsi beáti Joannis Apóstoli. *Cap.* 13.

ET apéruit béstia os suum in blasphémias ad Deum, blasphemáre nomen ejus; & tabernáculum ejus, & eos qui in cœlo hábitant. Et datum est illi bellum fácere cum sanctis, & víncere eos. Et data est illi potestas in omnem tribum, & pópulum, & linguam, & gentem: & adoravérunt eam omnes

ut qui secundùm præclára Christi præcepta vixerint, bonam spem hábeant éadem se ac nos à dominatóre ómnium Deo consecutúros.

℟. Erámus aliquando & nos insipientes, incréduli, errantes, in malítiâ & invídiâ agentes, odíbiles, odientes ínvicem; * Sed secundùm suam misericórdiam salvos nos fecit Deus, per lavácrum regenerationis & renovatiónis Spíritûs sancti. Allelúia. ℣. Nos omnes aliquando conversáti sumus in desidériis carnis nostræ; & erámus natúrâ filii iræ, sicut & cæteri; * Sed. *Tit.* 3. *Ephes.* 2.

LECTIO VIII.

Ex Epístolâ ejusdem ad Diognétum. *n.* 5.

CHristiáni neque regióne, neque sermóne, neque políticis vitæ institútis à cæteris homínibus sunt distincti. Pátrias próprias hábitant; sed tamquàm inquilíni. Omnia cum áliis commúnia habent, tamquàm cives: & ómnia patiuntur, tamquàm peregríni. Omnis peregrína régio, pátria est eórum: & omnis pátria est peregrína. In carne sunt, sed non secundùm carnem vivunt. In terrâ degunt; sed in cœlo politíam suam habent. Obsequuntur légibus quæ sancitæ sunt, & suo vitæ género leges súperant. Amant omnes, & omnes illos persequuntur. Ignorantur, & condemnantur: morte afficiuntur, & vivificantur. Mendíci sunt, & multos ditant. Rebus ómnibus índigent, & ómnia illis redundant. Dedecorantur, & inter dedécora glóriâ afficiuntur. Eórum fama lacerátur, & justítiæ eórum testimónium perhibétur. Maledictis ac convíciis incessuntur, & bonis verbis prosequuntur. Cùm se gerant ut probos decet, tamquàm ímprobi puniuntur: dum puniuntur, gaudent tamquàm vivificentur.

℟. Maledícimur & benedícimus; persecutiónem pátimur, & sustinémus; blasphemámur, & obsecrámus; * Sed in his ómnibus superámus propter eum qui diléxit nos. † Allelúia. ℣. Tamquàm purgamenta hujus mundi facti sumus; * Sed. ℣. Glória. † Allelúia. *I. Cor.* 4. *Rom.* 8.

IN III. NOCTURNO.

LECTIO IX.

Ex Epístolâ secundâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 3.

INcípimus íterum nosmetipsos commendáre? aut numquid egémus (sicut

quidam) commendatítiis epístolis ad vos, aut ex vobis ? Epístola nostra vos estis, scripta in córdibus nostris, quæ scitur & légitur ab ómnibus homínibus: manifestáti quòd Epístola estis Christi, ministráta à nobis, & scripta non atraménto, sed Spíritu Dei vivi: non in tábulis lapídeis, sed in tábulis cordis carnálibus.

℟. Vos unctiónem habétis à Sancto, & nostis ómnia. * Et vos unctiónem quam accepistis ab eo, máneat in vobis. Et non necesse habétis ut áliquis dóceat vos, sed únctio ejus docet vos de ómnibus. Allelúia. ℣. Unxit nos Deus; qui & signávit nos, & dedit pignus Spíritûs in córdibus nostris; * Et vos. *I. Joan.* 2. *II. Cor.* 1.

LECTIO X.

FIdúciam autem talem habémus per Christum ad Deum: non quòd sufficientes simus cogitáre áliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficiéntia nostra ex Deo est: qui & idóneos nos fecit ministros novi Testamenti; non litterâ, sed spíritu: littera enim occídit, spíritus autem vivíficat. Quòd si ministrátio mortis, lítteris deformáta in lapídibus, fuit in glóriâ; ita ut non possent inténdere filii Israel in fáciem Móysi, propter glóriam vultûs ejus quæ evacuátur: quómodo non magìs ministrátio Spíritûs erit in glóriâ ?

℟. Quis hóminum scit quæ sunt hóminis, nisi spíritus hóminis qui in ipso est? ita * Et quæ Dei sunt nemo cognóvit, nisi Spíritus Dei. Allelúia. ℣. Corpus quod corrúmpitur, ággravat ánimam, & terréna inhabitátio déprimit sensum multa cogitantem. * Et. *I. Cor.* 2. *Sap.* 9.

LECTIO XI.

NAm si ministrátio damnatiónis glória est; multò magìs abundat ministérium justítiæ in glóriâ. Nam nec glorificátum est, quod cláruit in hâc parte, propter excellentem glóriam. Si enim quod evacuátur, per glóriam est: multò magìs quod manet, in glóriâ est. Habentes ígitur talem spem, multâ fidúciâ útimur: & non sicut Móyses ponébat velámen super fáciem suam, ut non inténderent filii Israel in fáciem ejus, quod evacuátur, sed obtúsi sunt sensus eórum.

℟. Quæ præparávit Deus iis qui díligunt eum, nobis revelávit Deus per Spíritum suum: * Spíritus enim ómnia scrutátur, étiã profunda Dei. Allelúia. ℣. Sensum tuum, Dómine, quis sciet, nisi tu de-

perales de Feriâ. Antiphona ad Benedictus *&* Magníficat, *& Collecta singulis diebus propria.*

FERIA QUARTA.

QUATUOR TEMPORUM.

INTRA OCTAVAM

PENTECOSTES.

LECTIO I.

Ex Apocalypsi beáti Joannis Apóstoli. *Cap.* 14.

ET vidi álterum Angelum volantem per médiũ cœli, habentem Evangélium ætérnum, ut evangelizáret sedéntibus super terram, & super omnem gentem, & tribum, & linguam, & pópulum: dicens magnâ voce: Timéte Dóminum, & date illi honórem, quia venit hora judícii ejus: & adoráte eum, qui fecit cœlum & terram, mare & fontes aquárum. Et álius Angelus secútus est dicens: Cécidit, cécidit Bábylon illa magna, quæ à vino iræ fornicatiónis suæ potávit omnes gentes.

℟. Exsulta super Babylónem, cœlum, & sancti Apóstoli & Prophétæ: * Quóniam judicávit Deus judícium vestrum de illâ. Allelúia. ℣. Cécidit, cécidit Bábylon, & ómnia sculptília deórum ejus contríta sunt in terram, * Quóniam. *Apoc.* 18. *Isai.* 21.

LECTIO II.

ET tértius Angelus secútus est illos, dicens voce magnâ: Si quis adoráverit béstiam, & imáginem ejus, & accéperit charactérem in fronte suâ, aut in manu suâ: & hic bibet de vino iræ Dei, quod mistum est mero in cálice iræ ipsíus, & cruciábitur igne & súlfure in conspectu Angelórum sanctórum, & ante conspectum Agni: & fumus tormentórum eórum ascendet in sécula seculórum: nec habent réquiem die ac nocte, qui adoravérunt béstiam, & imáginem ejus, & si quis accéperit charactérem nóminis ejus. Hic patiéntia sanctórum est, qui custódiunt mandáta Dei, & fidem Jesu. Et audívi vocem de cœlo dicentem mihi: Scribe: Beáti mórtui qui in Dómino moriuntur. Amodo jam dicit Spíritus, ut requiescant à labóribus suis: ópera enim illórum sequuntur illos.

℟. Fúgite de médio Babylónis, & salvet unusquisque ánimam suam: * Nolíte tacére super iniquitátem ejus; quóniam tempus ultiónis est à Dómino, vicissitúdinem ipse retríbuet ei. Allelúia. ℣. In eâ sanguis Prophetárum & sanctórum inventus est; &

omnium qui interfecti sunt in terrâ. * Nolíte. *Jerem.* 51. *Apoc.* 18.

LECTIO III.

Ex Tractátu vigésimo sexto sancti Augustíni Epíscopi in Joannem. *Edit. Bened. n.* 2, 4.

MAgna grátiæ commendátio. Nemó venit nisi tractus. Quem trahat & quem non trahat, quare illum trahat & illum non trahat, noli velle judicáre, si non vis erráre. Semel áccipe, & intéllige: Nondum tráheris? Ora ut traháris. Inde & hìc si advertis, noli cogitáre te invítum trahi: tráhitur ánimus & amóre. Nec timére debémus ne dicátur nobis: Quómodo voluntáte credo si trahor? Ego dico: Parum est voluntáte, étiam voluptáte tráheris. Quid est trahi voluptáte? Delectáre in Dómino, & dabit tibi petitiónes cordis tui. Est quædam voluptas cordis, cui panis dulcis est ille cœlestis. Porrò si Poétæ dícere lícuit, Trahit sua quemque voluptas; non necéssitas, sed voluptas; non obligátio, sed delectátio: quantò fórtiùs nos dícere debémus, tráhi hóminem ad Christum, qui delectátur veritáte, delectátur beatitúdine, delectátur justítiâ, delectátur sempiternâ vitâ, quod totum Christus est? Da desiderantem, da esurientem, da in istâ solitúdine peregrinantem atque sitientem, & fontem æternæ pátriæ suspirantem: da talem, & scit quid dicam. Si autem frígido loquor, nescit quid loquor.

℞. Est scriptum in Prophétis: Et erunt omnes docíbiles Dei. * Omnis qui audívit à Patre, & dídicit, venit ad me. † Allelúia. ℣. Nemo potest veníre ad me, nisi Pater, qui misit me, tráxerit eum. * Omnis. ℣. Glória. † Allelúia. *Joan.* 6.

Ad Benedictus. *Ant.* Nemo potest veníre ad me, nisi Pater, qui misit me, tráxerit eum; & ego resuscitábo eum in novíssimo die. Allelúia. *Joan.* 6.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

MEntes nostras, quæsumus, Dómine, Paraclétus, qui à te procédit, illúminet; † & indúcat in omnem, * sicut tuus promísit Fílius, veritátem; Qui tecum.... in unitáte ejusdem.

CANON.

Ex Concílio Bituricensi. *An.* 1584. *Tit.* 20.

VIta hóminis milítia est super terram, ut habet Scriptúra: ídeò quotquot per Baptismum regeneráti sunt ad vitam, confirman-

di sunt ad pugnam: quod consecúti sunt Apóstoli in die Pentecostes, quibus priùs à Dómino dictum fúerat: Si non abíero, Paraclétus non véniet: Si autem abíero, mittam eum ad vos.

Ad Magníficat. *Ant.* Amen, amen dico vobis: Qui credit in me, habet vitam æternam. Allelúia. *Joan. 6.*

FERIA QUINTA *INTRA OCTAVAM* PENTECOSTES.

LECTIO I.

Ex Apocalypsi beáti Joannis Apóstoli. *Cap.* 18.

VIdi álium Angelum descendentem de cœlo, habentem potestátem magnam, & terra illumináta est à glóriâ ejus. Et exclamávit in fortitúdine dicens: Cécidit, cécidit Bábylon magna: & facta est habitátio dæmoniórum, & custódia omnis spíritûs immundi, & custódia omnis vólucris immundæ & odíbilis: quia de vino iræ fornicatiónis ejus bibérunt omnes gentes: & reges terræ cum illâ fornicáti sunt: & mercatóres terræ de virtúte deliciárum ejus dívites facti sunt.

Responsoria ut heri.

LECTIO II.

ET audívi áliam vocem de cœlo, dicentem: Exíte de illâ, pópulus meus, ut ne partícipes sitis delictórum ejus, & de plagis ejus non accipiátis. Quóniam pervenérunt peccáta ejus usque ad cœlum, & recordátus est Dóminus iniquitátum ejus. Réddite illi sicut & ipsa réddidit vobis: & duplicáte dupl̄icia secundùm ópera ejus: in póculo, quo míscuit, miscéte illi duplum. Quantùm glorificávit se, & in delíciis fuit, tantùm date illi tormentum & luctum: quia in corde suo dicit: Sédeo regína: & vídua non sum: & luctum non vidébo. Ideò in unâ die vénient plagæ ejus, mors, & luctus, & fames, & igne comburétur: quia fortis est Deus, qui judicábit illam.

LECTIO III.

Ex Libro vigésimo secundo sancti Augustíni Epíscopi de Civitáte Dei. *Edit. Bened. Cap.* 5.

TRia sunt incredibília, quæ tamen facta sunt. Incredíbile est Christum resurrexisse in carne; & in cœlum ascendisse cum carne: incredíbile est mundum rem tam incredíbilem credidisse: incredíbile est hómines ignóbiles, infirmos, paucissimos, imperítos rem

tam incredíbilem, tam efficáciter mundo, & in illo étiam doctis persuadére potuisse. Horum trium incredibílium primum nolunt isti, cum quibus ágimus, crédere, secundum coguntur & cérnere; quod non invéniunt unde sit factum, si non credunt tértium. Resurréctio certè Christi, & in cœlum cum carne in quâ resurrexit, ascénsio, toto jam mundo prædicátur & créditur: si credíbilis non est, unde toto terrárum orbe jam crédita est? Si multi nóbiles, sublímes, docti, eam se vidisse dixérunt, & quod vidérunt diffamáre curárunt, eis mundum credidisse non mirum est; sed istos adhuc crédere nolle perdúrum est: si autem, ut verum est, paucis, obscúris, mínimis, indoctis eam se vidisse dicéntibus & scribéntibus crédidit mundus; cur pauci obstinatíssimi, qui remansérunt? ipsi mundo jam credenti adhuc usque non credunt! qui proptérea número exíguo ignobílium, infirmórum, imperitórum hóminum crédidit, quia in tam contemptibílibus téstibus multò mirabíliùs divínitas seipsa persuásit. Elóquia namque persuadéntium, quæ dicébant, mira fuérunt facta, non verba. Qui enim Christum in carne resurrexisse, & cum illâ in cœlum ascendisse non víderant, id se vidisse narrántibus, non loquéntibus tantùm, sed étiam mirífica faciéntibus signa credébant. Si verò per Apóstolos Christi, ut eis crederétur, resurrectiónem & ascensiónem prædicántibus Christi, étiã ista mirácula facta esse non credunt, hoc nobis unum grande miráculum súfficit, quòd eam terrárum orbis sine ullis miráculis crédidit.

℟. Salus, ab eis qui audiérunt, in nos confirmáta est, * Contestante Deo signis, & portentis, & váriis virtútibus, & Spiritûs sancti distributiónibus. † Allelúia. ℣. Crevérunt, & quasi germinantes multiplicáti sunt; ac roboráti nimis implevérunt terram, * Contestante. ℣. Glória. † Allelúia. *Hebr.* 2. *Exod.* 1.

Ad Benedictus. *Ant.* Dedit Apóstolis Jesus virtútem & potestátem super ómnia dæmónia, & ut languóres curárent. Allelúia. *Luc.* 9.

Collecta. *Sacr. Greg.*

Illo nos igne, quæsumus, Dómine, Spíritus sanctus inflammet, † quem Dóminus noster Jesus Christus misit in terram, * & vóluit vehementer accendi; Qui tecum.... in unitáte ejusdem.

CANON.

Ex Concílio Vaurensi. *An.* 1368. *Cap.* 1.

QUamquàm unus sit Spíritus Dómini, qui est cum Patre & Filio unus consubstantiáliter Deus, quasi áliquod eórum flamen: multi tamen sunt spirituáliũ donórum meátus, quibus Spíritus sanctus omnem superéminens creatúram, mentis nostræ arcána végetat & infundit.

Ad Magníficat. *Ant.* Egressi Apóstoli circuíbant per castella, evangelizantes & curantes ubíque. Allelúia. *Luc.* 9.

FERIA SEXTA.

QUATUOR TEMPORUM.

INTRA OCTAVAM PENTECOSTES.

LECTIO I.

Ex Apocalypsi beáti Joannis Apóstoli. *Cap.* 22.

ET dixit mihi Angelus: Hæc verba fidelíssima sunt & vera. Et Dóminus Deus spírituum Prophetárum misit Angelum suum osténdere servis suis quæ opórtet fieri citò. Et ecce vénio velóciter. Beátus qui custódit verba Prophetíæ libri hujus. Et ego Joannes, qui audívi & vidi hæc. Et postquam audíssem & vidíssem, cécidi ut adorárem ante pedes Angeli, qui mihi hæc ostendébat: & dixit mihi: Vide ne féceris: consérvus enim tuus sum, & fratrum tuórum Prophetárum, & eórum qui servant verba Prophetíæ libri hujus. Deo adóra.

℟. Ego sum inítium & finis; * Ego sitiénti dabo de fonte aquæ vitæ gratìs. Allelúia. ℣. Omnes sitiéntes veníte ad aquas. * Ego. *Apoc.* 21. *Isai.* 55.

LECTIO II.

ET dicit mihi: Ne signáveris verba Prophetíæ libri hujus: tempus enim propè est. Qui nocet, nóceat adhuc: & qui in sórdibus est, sordéscat adhuc: & qui justus est, justificétur adhuc. Ecce vénio citò, & merces mea mecum est, réddere unicuíque secundùm ópera sua. Ego sum Alpha & Oméga, primus & novíssimus, princípium & finis. Beáti, qui lavant stolas suas in sánguine Agni: ut sit potestas eórum in ligno vitæ, & per portas intrent in civitátem. Foris canes, & venéfici, & impudíci, & homicídæ, & idólis serviéntes, & omnis qui amat & facit mendácium.

℟. Dóminus Deus spirítuum Prophetárum misit Angelum suum osténdere servis suis quæ opórtet fieri citò. * Et ecce vénio velóciter.

citer. † Allelúia. ℣. Beátus qui legit, & audit verba prophetíæ hujus, & servat ea quæ in eâ scripta sunt: tempus enim propè est. * Et ecce. ℣. Glória. † Allelúia. *Apoc.* 22 & 1.

LECTIO III.

Ex Cohortatióne sancti Clementis Alexandríni ad Gentes. *Edit. Oxon. Sec. II.*

CRede; homo, Hómini & Deo, Crede, homo, Deo viventi, qui passus est, & adorátur. Crédite, servi, mórtuo. Crédite ei, universi hómines, qui solus est Deus ex universis homínibus. Crédite, & mercédem accípite, salútem. Nec verò métuas, ne te voluptátum turba, quæ ánimo tuo subinde se íngerit, à sapiéntiâ abdúcat: haud enim invítus consuetúdinis nugas præteríbis; sicut púeri, cum ad virílem ætátem pervénerint, lúdicra abjíciunt. Cæterùm poténtia Dei incredíbili celeritáte, & benevoléntiâ, ad quam ómnibus fácilis patébat áditus, orbi terrárum illúcens, salutári sémine universum complévit. Nec enim tam exíguo témporis spátio tantum opus absque divínâ providéntiâ perfécit Dóminus, qui spécie tenùs despectus, reipsâ adorátus est; expiátor, servátor, mansuétus, divínum Verbum, verus sine controvérsiâ Deus, cum Dómino totíus universitátis adæquátus, quóniam ejus Fílius erat, & (Verbum erat in Deo;) neque cùm primùm prædicátus, nullam impetrávit fidem, neque cùm hóminis persónam indútus, & è carne formátus, salutárem egit humanitátis actū ignorátus: is enim legítimè decertávit, & suam creatúram in certámine sócius adjúvit. Cùm autem sole celériùs ex ipsâ Patris voluntáte ortus esset, máximâ celeritáte ad universos hómines delátus, facíllimè fecit, ut Deus nobis illucésceret.

℟. Recordátus est Dóminus pópuli sui: eduxit eos cum pastóribus gregis sui: * Pósuit in médio ejus Spíritum Sancti sui. † Allelúia. ℣. Ipse dedit Pastóres, & Doctóres, ad consummatiónem Sanctórum in opus ministérii, in ædificatióne córporis Christi. * Pósuit. ℣. Glória. † Allelúia. *Is.* 63, *Ephes.* 4.

Ad Benedictus. *Ant.* Virtus Dómini erat ad sanandum eos. Allelúia. *Luc.* 5.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

DA quæsumus, Ecclésiæ tuæ, miséricors Deus, † ut sancto Spíritu

congregáta, * hostíli nullátenus incursióne turbétur; Per Dóminum.... in unitáte ejusdem.

CANON.

Ex Concílio Vaurensi.

An. 1368. *Cap.* 1.

SPíritûs sancti dona juxta sacras Scriptúras septem esse assérimus, quasi septé sanctificatiónes fidélium méntium: quæ Isaías Prophéta, ostendens ea fuisse in Christo, enúmerat in hunc modum: Egrediétur virga de radíce Jesse, & flos de radíce ejus ascendet, & requiescet super eum Spíritus Dómini; spíritus sapiéntiæ & intellectûs, spíritus consílii & fortitúdinis, spíritus sciéntiæ & pietátis, & replébit eum spíritus timóris Dómini.

Ad Magníficat. *Ant.* Stupor apprehendit omnes, & magnificábant Deum, & repléti sunt timóre, dicentes: Quia vídimus mirabília hódie. Allelúia. *Luc.* 5.

SABBATO.

QUATUOR TEMPORUM.

INTRA OCTAVAM PENTECOSTES.

LECTIO I.

Ex Apocalypsi beáti Joannis Apóstoli. *Cap.* 22.

EGo Jesus misi Angelum meum, testificári vobis hæc, in Ecclésiis. Ego sum radix & genus David, stella spléndida & matutína. Et spíritus & sponsa dicunt: Veni. Et qui audit, dicat: Veni. Et qui sitit, véniat: & qui vult, accípiat aquam vitæ, gratis.

Responsoria ut heri.

LECTIO II.

COntestor enim omni audienti verba Prophetíæ libri hujus: Si quis apposúerit ad hæc, appónet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminúerit de verbis libri Prophetíæ hujus, áuferet Deus partem ejus de Libro vitæ, & de civitáte sanctâ, & de his quæ scripta sunt in Libro isto. Dicit qui testimónium pérhibet istórum. Etiam vénio citò: Amen. Veni, Dómine Jesu. Grátia Dómini nostri Jesu Christi cum ómnibus vobis Amen.

LECTIO III.

Ex Libro secundo sancti Irenæi Epíscopi & Mártyris contra Hæreses. *Edit. Bened. Sec. II. Cap.* 32. *n.* 4 & 5.

IN Christi nómine qui verè illíus sunt discípuli ab ipso accipientes grátiam, perficiunt ad beneficia reliquórum hóminum, quemádmodum unusquísque accépit donum ab eo. Alii enim dæmones exclúdunt firmíssimè & verè, ut étiam

sæpíssimè credant ipsi, qui emundáti sunt à nequíssimis spirítibus, & sint in Ecclésiâ. Alii autem & præsciéntiam habent futurórũ, & visiónes, & dictiónes Prophéticas. Alii, autem laborantes áliquâ infirmitáte per manûs impositiónem curant, & sanos restítuunt. Jam étiam, quemádmodum díximus, & mórtui resurrexérunt, & perseveravérunt nobiscum annis multis. Et quid autem? Non est númerum dícere gratiárum, quas per univérsum mundum Ecclésia à Deo accípiens, in nómine Christi Jesu, crucifixi sub Póntio Piláto, per síngulos dies in opitulatiónem Géntium pérficit, neque sedúcens áliquem, nec pecúniam ei áuferens. Quemádmodum enim gratis accépit à Deo, gratis & ministrat. Nec invocatiónibus angélicis facit áliquid, nec incantatiónibus, nec réliquâ pravâ curiositáte; sed mundè, & purè, & manifestè oratiónes dírigens ad Dóminum, qui ómnia fecit, & nomen Dómini nostri Jesu Christi ínvocans, virtútes ad utilitátes hóminum, sed non ad seductiónem pérficit. Si ítaque & nunc nomen Dómini nostri Jesu Christi beneficia præstat, & curat firmíssimè & verè omnes ubíque credentes in eum; manifestum est, quóniam homo factus, conversátus est cum suo plásmate, verè ómnia fecit ex virtúte Dei, secundùm plácitum Patris univérsórum, quómodo Prophétæ prædixérunt.

℟. Unicuíque datur manifestátio Spíritûs ad utilitátem. * Alii quidem per Spíritum datur sermo sapiéntiæ: álii grátia sanitátum in uno spíritu; álii operátio virtútum. † Allelúia. ℣. Misit Jesus Apóstolos præcípiens eis: Infirmos curáte, mórtuos suscitáte, dæmones ejícite. * Alii. ℣. Glória. † Allelúia. *I. Cor.* 12. *Matth.* 10.

Ad Benedictus. *Ant.* Colloquebantur ad ínvicem, dicentes: Quod est hoc verbum, quia in potestáte & virtúte ímperat immundis spirítibus, & éxeunt? Allelúia. *Luc.* 4.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

MEntibus nostris, quæsumus, Dómine, Spíritum sanctum benignus infunde, † cujus & sapiéntiâ cónditi sumus, * & providéntiâ gubernámur; Per Dóminum.... in unitáte ejusdem.

CANON.
Ex Concílio Vaurensi.
An. 1368, *Cap.* I.

QUóniã, sicut dicit Scriptúra, bonórum labórum gloriósus est fructus,

nec sunt labóres áliqui dignióres, quàm qui in donórum spirituálium agro latíssimo exercentur, eaprópter septem Spíritus sancti donis illi fructus honestíssimi cóngruunt, quos distínguit ad Gálatas scribens Apóstolus in iis verbis: Fructus autem Spíritûs est, cáritas, gáudium, pax, patiéntia, longanímitas, benígnitas, bónitas, mansuetúdo, fides, modéstia, continéntia, cástitas.

Post Nonam, terminatur tempus Paschale.



PROPRIUM



PROPRIUM SANCTORUM.

PARS VERNA.

FESTA FEBRUARII.

Die V.

S. AGATHÆ, VIRGINIS ET MARTYRIS, *COMMEMORATIO.*

Collecta, Deus, qui inter cætera. *de Communi Virginis & Martyris*, *pag.* lxxj.

Die IX.

S. APOLLONIÆ, VIRGINIS ET MARTYRIS, *COMMEMORATIO.*

Collecta, Deus, qui inter cætera. *de Communi Virginis & Martyris*, *pag.* lxxj.

Die XVIII.

S. SYMEONIS *JEROSOLYMITANI*, EPISCOPI ET MARTYRIS, *COMMEMORATIO.*

Collecta. Deus, cujus grátia. *de Communi unius Martyris Pont. pag.* ix.

FESTA MARTII.

Die VII.

SS. REVOCATI, FELICITATIS, PERPETUÆ, SATURNINI, ET SOCIORUM MART. *COMMEMORATIO.*

Ant. Timor Dómini cum eléctis féminis gráditur, & cum justis & fidélibus agnóſcitur. Gloriátio & lætítia, & coróna exſultatiónis. *Eccli.* 1.

℣. Deus noster, refúgium & virtus; ℟. Adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis. *Pſ.* 45.

COLLECTA. *Brev. Clun.*

OMnípotens ſempitérne Deus, qui infírma mundi éligis, ut fórtia quæque confundas; † da nobis, intercedéntibus beá-

Tibíque laudes totus orbis cóncinat,
Æterne Nate, splendor æterni Patris;
Compar sit almo laus decuíque Flámini.
Amen.

℣. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? ℟. Et volábo, & requiéscam. *Ps.* 54.

Ad Magníficat. *Ant.* Erit quasi lignum quod transplantátur super aquas, quod ad humórem mittit radíces suas, nec aliquando désinet fácere fructum. *Jerem.* 17.

Collecta infrà ad Laudes, pag. 562.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte *Ant.* Dóminum Deum qui ducit in solitúdinem, & lóquitur ad cor; * Veníte, adorémus. *Osée*, 2.

Hymnus. *S. V.*

Ille quo terris duce militámus,
Intrat æternas Benedictus arces:
Annuos hujus celebrémus hymnis
Ritè triumphos.

Hic Deo plenus puer altióres
Cóncavæ rupis fugit in recessus;
Nil domûs splendor, nec opes, nec obstat
Móllior ætas,

Vilis arébat decor iste mundi,
Passa jam longos velut herba soles;
Nóverat pulchris malè delitentem
Flóribus anguem.

Factus immánis novus hospes antri,
Nil Deum præter videt; hunc profundâ
Cónsulit, rerum strepitu silente,
Mentis in aulâ.

Ille, dum secum sine fine longos
Cómputat vitæ melióris annos,
Cuncta confundens, fugientis ævi
Témpora nescit.

Invidus totas movet hostis artes;
Obsidet, turbat, juvenem lacescit;
Ossibus miscet malè blandientis
Sémina flammæ.

Sensit ut cœcos malè-sanus ignes
Se per hirsútos agitáre vepres
Cœpit: abscédens laceros voluptas
Hórruit artus.

Laus tibi, summi Moderátor orbis,
Præmiis duros recreans labóres,
Quem Fides Veri studiósa, Trinum
Credit & Unum.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. I. Priusquàm oberrárem, quæsívi sapiéntiam; à juventúte meâ investigábam eam. *Eccli.* 51.

II. Ambulávit pes meus iter rectum : zelátus sum bonum, & non confundar. *Ibid.*

III. Bonum est viro, cùm portáverit jugum ab adolescéntiâ suâ; sedébit solitárius, & tacébit; quia levávit super se. *Thren.* 3.

IV. In tentatióne Deus illum conservábit, & liberábit à malis. *Eccli.* 33.

V. Sic pugno, non quasi áërem vérberans; sed castígo corpus meum, & in servitútem rédigo. *I. Cor.* 9.

VI. Lex Spíritûs vitæ in Christo Jesu, liberávit me à lege peccáti & mortis. *Rom.* 8.

℣. Dóminus erípuit animam meam de morte, ℟. Pedes meos à lapsu. *Ps.* 114.

LECTIO I.

Ex Libro Ecclesiástici. *Cap.* 51.

CUm adhuc júnior essem, priusquàm oberrárem, quæsívi sapiéntiam palàm in oratióne meâ. Ante templum postulábam pro illâ, usque in novíssimis inquíram eam. Et efflóruit tamquàm præcox uva, & lætátum est cor meum in eâ. Ambulávit pes meus iter rectum, à juventúte meâ investigábam eam. Inclinávi módicè aurem meam, & excépi illam. Multam invéni in meipso sapiéntiam, & multùm profeci in eâ. Danti mihi sapiéntiam dabo glóriam.

℟. Quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus sum propter Christum detrimenta. * Verúmtamen exístimo ómnia detrimentum esse propter eminentem sciéntiam Jesu Christi Dómini mei. ℣. Vidi in ómnibus vanitátem & afflictiónem ánimi. * Verúmtamen. *Philip.* 3. *Eccles.* 2.

LECTIO II.

COnsiliátus sum enim ut fácerem illam : zelátus sum bonum, & non confundar. Colluctáta est ánima mea in illâ, & in faciendo eam confirmátus sum. Manus meas extendi in altum, & insipiéntiam ejus luxi. Animam meam direxi ad illam, & in agnitióne invéni eam. Possédi cum ipsâ cor ab inítio : propter hoc non derelinquar. Venter meus conturbátus est quærendo illam : proptérea bonam possidébo possessiónem. Dedit mihi Dóminus linguam mercédem meam : & in ipsâ laudábo eum.

℟. Benedixit tibi in omni ópere mánuum tuárum : novit iter tuum quómodo

Patrícius Plácidum trádidit; è quibus Maurus júnior cùm bonis pollèret móribus, Magistri adjútor cœpit exsístere: Plácidus verò puerílis adhuc índolis gerébat ánnos. Póstea Cassínum migrávit Benedíctus, ubi simulácrum Apóllinis, qui adhuc ibi colebátur, commínuit, aram evertit, & lucos succídit: ibíque sancti Martíni sacellum & sancti Joannis ædículam exstruxit: oppidános autem & íncolas Christiánis præceptis ímbuit.

℟. Pater noster, * Zelando zelum Dei, accépit hæreditátem; dum zelat zelum legis receptus est in cœlum. ℣. Dissipávit excelsa, & contrívit státuas, & succídit lucos. * Zelando. *I. Mach.* 2. *IV. Reg.* 18.

LECTIO VIII.

Augebátur autem in dies magis divínâ grátiâ Benedíctus, ut étiam prophético spíritu ventúra prædíceret: plúrimis étiam in mundo cláruit miráculis; quin & doctrínæ verbo non mediócriter fulsit. Nam scripsit Monachórum Régulam, discretióne præcípuam, sermóne luculentam; cujus si quis velit subtílius mores vitamque cognóscere, potest in eâdem institutióne Régulæ, omnes magistérii illíus actus invenire. Aliquot ménsibus ántequam è vitâ migráret, præmónuit discípulos quo die esset moritúrus; ac sepulcrum in quo suum corpus condi vellet, sex diébus ántequam eò inferrétur aperíri jussit; sextóque die deferri vóluit in Ecclésiam; ubi sumptâ Eucharístiâ, sublátis in Cœlum óculis, orans inter manus discipulórum exspirávit.

℟. Dedit Dóminus ipsi ut ascénderet in excelsum terræ locum, & semen ipsíus obtínuit hæreditátem, * Ut vidérent omnes quia † Bonum est óbsequi Sancto Deo. ℣. Dedit illi glóriam in gente suâ, créscere illum quasi terræ cúmulum, * Ut vidérent. ℣. Glória. † Bonum. *Eccli.* 46 & 44.

IN III. NOCTURNO.

Cant. de Comm. Abbatum, pag. xlvj.

Ant. Non recédet memória ejus, & nomen ejus requirétur à generatióne in generatiónem. *Eccli.* 39.

℣. In memóriâ ætemâ erit justus, ℟. Ab auditióne malâ non timébit. *Ps.* 111.

Lectiones cum ℟℟. *sine* Allelúia. *& Evangelium de Communi Abbatum, pag.* xlvj.

Collecta ut infrà.

AD LAUDES.

Antiphonæ.

I. Glorificávit illũ Deus in conspectu regum; in fide & lenitáte ipsíus sanctum fecit illum. *Eccli.* 45.

II. Agnóvit eum in benedictiónibus suis Dóminus; & consērvávit illi hómines misericórdiæ, invenientes grátiam in óculis omnis carnis. *Eccli.* 44.

III. Audíte fílii disciplínam Patris, & legem meam ne derelinquátis. *Prov.* 4.

IV. Ecce ego & púeri mei, quos dedit mihi Dóminus. *Is.* 8.

V. Lætáberis in filiis tuis, quóniam benedicentur, & congregabuntur ad Dóminum. *Tob.* 13.

Lectio. *Ephes.* 4.

Obsecro vos ut digné ambulétis vocatióne quâ vocáti estis; † cum omni humilitáte, & mansuetúdine, cum patiéntiâ supportantes ínvicem in caritáte, * sollíciti serváre unitátem Spíritûs in vínculo pacis.

℟. *br.* Mirábilis Deus in sanctis suis, * Deus Israel. ℟. Mirábilis. ℣. Ipse dabit virtútem & fortitúdinem plebi suæ. * Deus. ℣. Glória. ℟. Mirábilis. *Ps.* 67.

Hymnus. S. V.

Surge, quid cessas? Benedicte, prodi
E tuo demum redivívus antro:
Pósceris mundo; tua te retexit
Cógnita virtus.

Te decet sacros reparáre cultus;
Te rudes morum repetunt magistrum;
Pro tuo jurant dociles alumni
Vívere nutu.

Impio dudùm temeráta cultu,
Lustra Cassíni petis alta montis;
Ultor infámes, Erebo frementé,
Díruis aras.

Hæc erat tellus tibi destináta,
Hìc Patrem sancti populi futúrum
Monte sub sacro, propior docébit
Te Deus intûs.

Régulam, cœlo priùs approbante,
Scribis; hæc vitæ specimen beátæ:
Tota mens Patris viget hìc, paterna
Jussa sequámur.

Summa laus Patri, simul æqua Nato;
Sit tibi compar, utriusque Nexus,
Spíritus, qui nos procul à tumultu
Númine comples.
Amen.

℣. Qui exsurgent, narrábunt filiis suis, ℟. Ut ponant in Deo spem suam, & non obliviscantur óperum Dei. *Ps.* 77.

Ad Benedictus. *Ant.* Ipse est directus divínitùs in pœniténtiam gentis, & tulit abominatiónes impietátis, & gubernávit ad Dóminum cor ipsíus, & in diébus peccatórum corroborávit pietátem. *Eccli.* 49.

Collecta. *Brev. Paris.*

DEus, qui Beátum Patrem nostrum Benedíctum, de ejus quæ in mundo est concupiscéntiæ corruptióne ereptum, Christo fidéliter adhærére fecisti; † quæsumus, ut contra séculi illécebras tuâ virtúte roboráti, * bravíum supernæ vocatiónis constanter pérsequi, & felíciter ássequi valeámus; Per eumdem.

AD PRIMAM.

Canon.

Ex Concílio Rothomagensi. *An.* 1074. *Can.* 7.

REgula Beáti Benedicti in utróque sexu incommutabíliter observétur; ut neque in vigíliis, neque in jejúniis, sive induméntis ab ejus institutiónibus dissídeant; nec, juxta beáti Gregórii decrétum, si áliâ lege vívere volúerint quam ordo éxigit, permittantur.

AD TERTIAM.

Lectio. *Rom.* 12.

OBsécro vos, fratres, per misericórdiã Dei, ut exhibeátis córpora vestra hóstiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationábile obséquium vestrum. † Et nolíte conformári huic século, sed reformámini in novitáte sensûs vestri, * ut probétis quæ sit volúntas Dei bona, & beneplácens & perfecta.

℣. Legem pone mihi, Dómine, viam justificatiónum tuárum; ℟. Et exquíram eam semper. *Ps.* 118.

AD SEXTAM.

Lectio. *I. Thess.* 4.

ROgámus vos, fratres, ut abundétis magis, & óperam detis ut quiéti sitis, † & ut vestrum negótium agátis, & operémini mánibus vestris, sicut præcépimus vobis: * & ut honestè ambulétis ad eos qui foris sunt, & nullíus áliquid desiderétis.

℣. Dixi: Dómine, tu es spes mea; ℟. Pórtio mea in terrâ vivéntium. *Ps.* 141.

AD NONAM.

Lectio. *Philip.* 2.

IMpléte gáudium meum ut idem sapiátis, eamdem caritátem habentes, *

unánimes, idipsum sentientes, nihil per contentiónem, neque per inánem glóriam: sed in humilitáte superióres sibi ínvicem arbitrantes, * non quæ sua sunt sínguli considerantes, sed ea quæ aliórum.

℣. Dómine, non est exaltátum cor meũ, ℟. Neque eláti sunt óculi mei. *Ps.* 130.

AD II. VESPERAS.

PSALMI ET ANT.

I. *Ps.* 109. Dixit Dóminus. *pag.* 26.

Ant. Dedit illi Dóminus créscere quasi terræ cúmulum, & ut stellas exaltáre semen ejus. *Eccli.* 44.

II. *Ps.* 111. Beátus vir. *pag.* 27.

Ant. Circa illum coróna fratrum, quasi plantátio cedri in monte Líbano, sic circa illum stetérunt quasi rami palmæ. *Eccli.* 50.

III. *Ps.* 112. Laudáte púeri. *pag.* 27.

Ant. Erumpet radix ejus, ut Líbani, & erit quasi olíva glória ejus: sedentes in umbrâ ejus germinábunt. *Osee*, 14.

IV. *Ps.* 136. Super flúmina Babylónis. *pag.* 89.

Ant. Sit memória ejus in benedictióne, & pérmanens ad filios sancti viri glória. *Eccli.* 46.

LECTIO. *I. Thess.* 4.

FRatres, rogámus vos & obsecrámus in Dómino Jesu, † ut quemádmodum accepístis à nobis, quómodo opórteat vos ambuláre & placére Deo, sic & ambulétis, ut abundétis magis: * Scitis enim quæ præcepta déderim vobis.

℟. *br.* Anima mea * Dómino vivet. ℟. Anima. ℣. Et semen meum sérviet ipsi. * Dómino. ℣. Glória. ℟. Anima. *Ps.* 21.

HYMNUS. *S. V.*

TE probant mundo manifesta signa:
Ut jubes, parent elementa voci:
Advolat Maurus, solidosque supra
Ambulat amnes.

Rupe de durâ modò profluentes
Elicis rivos, loca sicca stagnant:
Jussa mors primæ redivíva luci
Córpora reddit.

Régio mendax Gothus apparátu
Se canit Regem; simulantis artes
Détegis: diro metuenda pandis
Fata Tyranno.

Adspicis solis radio sub uno
Vana collecti simulácra mundi;

Cuncta decrescunt, Deus unus imo
Péctore crescit.
Præscius mortis propè jam futúræ,
Ut novas vires animosque sumat,
Páscitur Christo, solidâque fortis
Fervet ab escâ.
Flebat adstantum pia turba fratrum;
Ille gaudébat properáre cœlo:
Visa, quà transit, radiáre longæ
Sémita lucis.
Quâ viâ celsas tibi pandis arces,
Fac tuos illâ, Pater, ire natos;
Et tuâ tandem prece nos beátis
Cœtibus adde.
Inde nos Patris canimus triumphos
Quâ die vectus petit astra curru,
Quem Deus cœlo beat, ampla merces,
Trinus & Unus. Amen.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur. *Ps.* 91.

Ad Magníficat. *Ant.* Dedit illi Dóminus legem vitæ & disciplínæ, & quicùmque hanc régulam secúti fúerint, pax super illos, & misericórdia. *Eccli.* 45. *Gal.* 6.

¶ *Si post Pascha transferatur, omnibus Ant. &* ℟℟. *additur* Allelúia.

Die XXV.

ANNUNTIATIO ET INCARNATIO VERBI.

Solemnitas II. Classis.

AD I. VESPERAS.

Antiphonæ.

I. DOmine exercítuum, úsquequò tu non miseréberis Jerúsalem, & úrbium Juda, quibus irátus es? *Zach.* 1.

II. Exaudi, Dómine, placáre, Dómine; atténde & fac; ne moréris propter temetipsum, Deus meus. *Dan.* 9.

III. Da testimónium his qui ab inítio creatúræ tuæ sunt, & súscita prædicatiónes quas locûti sunt in nómine tuo Prophétæ. *Eccli.* 36.

IV. Dabis, Deus, veritátem Jacob, misericórdiam Abraham, quæ jurasti pátribus nostris à diébus antiquis. *Mich.* 7.

Lectio. *Dan.* 9.

SEptuaginta hebdómades abbreviátæ sunt super pópulum tuum, & super urbem sanctam tuam, † ut consummétur prævaricátio, & finem accípiat peccátum, & deleátur iníquitas, & adducátur justítia sempiterna; * & impleátur vísio & prophétia, & ungátur Sanctus sanctórũ

℟. *br.* Excita poténtiam tuam, & veni, * Ut salvos fácias nos. ℟. Excita. ℣. Deus, converte nos, & osténde fáciem tuam, * Ut. ℣. Glória. ℟. Excita. *Ps.* 79.

HYMNUS. *S. V.*

HÆc illa solemnis dies,
Dies salútis núntia,
Quâ missa cœlo trístibus
Venére terris gáudia.
Unius omnes crímine,
Casu gravi lapsi sumus:
Ut ipse lapsos érigat,
Descendit in terras Deus.
Qui, Patris æterno sinu,
Æterna Proles náscitur,
Obnóxius fit témpori,
Sinum nec horret Vírginis.
Mortále corpus índuit,
Orbi piando víctimam;
Ut innocenti sánguine
Scelus nocentûm díluat.
Qui cuncta complet Númine,
Nostros se in artus cólligit;
Ut nos redúcat ad Deum,
Est ipse nobíscum Deus.
¶ Mundo Redemptor qui venis,
Fili, tibi laus máxima,
Cum Patre, nec tibi minor
Laus, utriúsque Spíritus.
Amen.

¶ *Hæc Doxologia dícitur ad omnes Horas.*

℣. Tu exsurgens, Dómine, miseréberis Sion; ℟. Quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus. *Ps.* 101.

Ad Magníficat. *Ant.* Lauda & lætáre, fília Sion, quia ecce ego vénio, & habitábo in médio tuî, ait Dóminus. *Zach.* 2.

Collecta infrà ad Laudes, pag. 573.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Verbum caro factum est: * Veníte, adorémus. *Joan.* 1.

HYMNUS. *S. V.*

CŒlestis Ales núntiat
Implenda mox mystéria:
Virtúte fœcundâ Deus
Illapsus implet Vírginem.
Qualis stupendo glória
Te, Virgo, de partu manet!
Conceptus in tuo sinu,
Natus Deo, nunc est tuus.
De virgináli sánguine,
Quem nulla labes ínficit,
Fingente sancto Spíritu,
Christi caro compíngitur.
Nobis per hanc mortálibus
Lactéscit esca cœlitum:
Nos pascit infantes homo,
Qui pascit Angelos Deus.
Mundo Redemptor qui venis,
Fili, tibi laus máxima,
Cum Patre, nec tibi minor
Laus, utriúsque Spíritus.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. I. Obsecro, Dómine, mitte quem missúrus es. *Exod.* 4.

II. Emitte Agnum, Dómine, dominatórem terræ, de petrâ deserti ad montem filiæ Sion. *Is.* 16.

III. Roráte cœli désuper, & nubes pluant Justum; aperiátur terra & gérminet Salvatórem. *Is.* 45.

IV. Attende de cœlo Dómine, & réspice; pópulus tuus omnes nos. *Is.* 63 & 64.

V. Utinam dirúmperes cœlos, & descénderes; & nunc Pater noster es tu. *Is.* 64.

VI. Ego ad Dóminum adspíciã: exspectábo Deum salvatórem meum. *Mich.* 7.

℣. Ostende fáciem tuam, Dómine: ℟. Et salvi érimus. *Ps.* 79.

LECTIO I.

Ex Isaíâ Prophétâ. *Cap.* 7.

ADjécit Dóminus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi signum à Dómino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum suprà. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentábo Dóminum. Et dixit: Audíte ergo, domus David: Numquid parum vobis est molestos esse homínibus, quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signum. Ecce Virgo concípiet, & páriet filium, & vocábitur nomen ejus Emmánuel. Bútyrum & mel cómedet, ut sciat reprobáre malum, & elígere bonum.

℟. Cùm esset desponsáta María Joseph, ántequã convenírent, inventa est in útero habens de Spíritu sancto. * Hoc autem factum est ut adimplerétur quod dictum est: Ecce Virgo in útero habébit, & páriet Filium. ℣. Creávit Dóminus novum super terrã: Fémina circúmdabit Virum. * Hoc. *Matth.* 1. *Jerem.* 31.

LECTIO II. *Cap.* 11.

ET egrediétur virga de radice Jesse, & flos de radíce ejus ascendet, & requiescet super eum Spíritus Dómini; spíritus sapiéntiæ & intellectûs, spíritus consílii & fortitúdinis, spíritus sciéntiæ & pietátis, & replébit eum spíritus timóris Dómini. Non secundùm visiónem oculórum judicábit, neque secundùm audítum áurium árguet: sed judicábit in justítiâ páuperes, & árguet in æquitáte pro mansuétis terræ: & percútiet terram virgâ oris sui, & spíritu labiórum suórum interfíciet ímpium. Et erit justítia cíngulum lumbórum ejus, & fides cinctórium renum ejus.

℟. Hic erit magnus, & Fílius Altíssimi vocábitur, & dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus; & regnábit in domo Jacob in ætérnum, * Et regni ejus non erit finis. ℣. Super

sólium David & super regnum ejus sedébit, ut confirmet illud, & corróboret in judício & justítiâ. * Et. *Luc.* 1. *Isai.* 9.

LECTIO III.

HAbitábit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubábit: vítulus, & leo, & ovis simul morabuntur, & puer párvulus minábit eos. Vítulus, & ursus pascentur: simul requiéscent cátuli eórum: & leo quasi bos cómedet páleas. Et delectábitur infans ab úbere super forámine áspidis: & in cavernâ réguli, qui ablactátus fúerit manum suam mittet. Non nocébunt, & non occídent in universo monte sancto meo: quia repléta est terra sciéntiâ Dómini, sicut aquæ maris operientes. In die illâ radix Jesse qui stat in signum populórum, ipsum Gentes deprecabuntur, & erit sepulcrum ejus gloriósum.

℟. Germináre fáciam David germen justítiæ: & fáciet judícium & justítiam in terrâ: * Et hoc est nomen quod vocábunt eum, Dóminus justus noster. ℣. Ecce Virgo concípiet, & páriet Fílium: * Et hoc. *Jerem.* 33. *Isai.* 7.

LECTIO IV. *Cap.* 35.

COnfortáte manus dissolútas, & génua debília roboráte. Dícite pusillánimis: Confortámini, & nolíte timére: ecce Deus vester ultiónem addúcet retributiónis: Deus ipse véniet, & salvábit vos. Tunc aperiéntur óculi cæcórum, & aures surdórum patébunt. Tunc sáliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutórum: quia scissæ sunt in deserto aquæ & torréntes in solitúdine.

℟. Parávit Dóminus bráchium sanctum suum in óculis ómnium Géntiũ: * Et † Vidébunt omnes fines terræ salutáre Dei nostri. ℣. Salutáre tuum, Dómine, parasti ante fáciem ómnium populórum, lumen ad revelatiónem Géntium, * Et. ℣. Gloria. † Vidébunt. *Isai.* 52. *Luc.* 2.

IN II. NOCTURNO.

Ant. I. Dóminus audítũ fecit in extrémis terræ, dícite fíliæ Sion: Ecce Salvátor tuus venit. *Isai.* 62.

II. Propè est ut véniat tempus ejus; & dies ejus non elongabuntur. *Isai.* 14.

III. Excútere de púlvere, consurge, fília Sion; quia ego ipse qui loquébar, ecce adsum. *Isai.* 52.

IV. Ego, ego ipse consolábor vos; ego Dóminus Deus tuus. *Isai.* 51.

V. Redemptor noster, Dóminus exercítuum nomen

men illíus. Sanctus Israel. *Isai.* 47.

VI. Habitábit cum homínibus, & ipsi pópulus ejus erunt: & ipse erit eórum Deus. *Apoc.* 21.

℣. Recordátus est Dóminus misericórdiæ suæ; ℟. Et veritátis suæ dómui Israel. *Ps.* 97.

LECTIO V.

Sermo sancti Leónis Papæ.

Serm. 21. *in Nat. Dom.* 2. *Edit. Paris. Cap.* 1.

DEus omnípotens & clemens, cujus natúra bónitas, cujus volúntas poténtia, cujus opus misericórdia est, statim ut nos diabólica malígnitas veného suæ mortificávit invídiæ, præparáta renovandis mortálibus suæ pietátis remédia, inter ipsa mundi primórdia præsignávit; denúntians serpenti futúrum semen mulíeris, quod nóxii cápitis elatiónem suâ virtúte contéreret; Christum scílicet in carne ventúrum, Deum hominémque signíficans, qui natus ex Vírgine, violatórem humánæ propáginis incorruptâ nativitáte damnáret.

℟. Célebra, Juda, festivitátes tuas, & redde vota tua; quia * Non adjíciet ultrà ut pertránseat in te Bélial: univérsus intériit. ℣. In hoc appáruit Fílius Dei, ut dissólvat ópera diáboli. * Non. *Nahum*, 1. *I. Joan.* 3.

LECTIO VI.

NAm quia gloriabátur diábolus hóminem suâ fraude deceptum divínis caruísse munéribus, & immortalitátis dote nudátum duram mortis subiísse senténtiam, seque in malis suis quoddam de prævaricatóris consórtio invenísse solátium: Deum quoque justè, severitátis exigénte ratióne, erga hóminem, quem in tanto honóre condíderat, antíquam mutásse senténtiam: opus fuit, dilectíssimi, secréti dispensatióne consílii, ut incommutábilis Deus, cujus volúntas non potest suâ benignitáte privári, primam pietátis suæ dispositiónem, sacramento occultióre compléret, & homo diabólicæ iniquitátis versútiâ actus in culpam, contra Dei propósitum non períret.

℟. Præcipitábit mortem in sempitérnum, & áuferet Dóminus Deus lácrymam ab omni fácie, * Et oppróbrium pópuli sui áuferet de universâ terrâ. ℣. Ipse salvum fáciet pópulum suum à peccátis eórum. * Et. *Isai.* 25. *Matth.* 1.

LECTIO VII. *Cap.* 2.

ADveniéntibus ergo tempóribus, dilectíssimi, quæ redemptióni hóminum fúerant præstitúta, ingréditur hæc ínfima Jesus Christus Fílius Dei, de cœ-

lesti sede descendens, & à paternâ glóriâ non recédens, novo órdine, novâ nativitáte generátus. Novo órdine, quia invisíbilis in suis, visíbilis factus est in nostris; incomprehensíbilis vóluit comprehendi; ante témpora manens, esse cœpit ex témpore; universitátis Dóminus servílem formam, obumbrátâ majestátis suæ dignitáte, suscépit; impassíbilis Deus non dedignátus est homo esse passíbilis, & immortális mortis légibus subjacére.

℟. Ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum factum ex mulíere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redímeret, * Ut adoptiónem filiórum reciperémus. ℣. Non misit Deus Fílium suum in mundum, ut júdicet mundum, sed ut salvétur mundus per ipsum; * Ut. *Galat.* 4. *Joan.* 3.

LECTIO VIII.

NOvâ autem nativitáte génitus est, concéptus à Vírgine, natus ex Vírgine, sine patérnæ carnis concupiscéntiâ, sine matérnæ integritátis injúriâ; quia futúrum hóminum Salvatórem talis ortus decébat, qui & in se habéret humánæ substántiæ natúram, & humánæ carnis inquinamenta nescíret. Autor enim Deo in carne nascenti Deus est. Non hìc cogitétur parientis condítio, sed nascentis arbítrium, qui sic homo natus est ut volébat & póterat. Si veritátem quæris natúræ, humánam cognosce matériam; si ratiónem scrutáris oríginis, virtútem confitére divínam. Venit enim Dóminus Jesus Christus contágia nostra auferre, non pérpeti; nec succúmbere vítiis, sed medéri.

℟. Ille appáruit ut peccáta nostra tólleret: * Et † Peccátum in eo non est. ℣. Pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrûm; * Et. ℣. Glória. † Peccátum. *I. Joan.* 3. *Isai.* 53.

IN III. NOCTURNO.

I. CANTICUM. *Isai.* 51.

Consolatio, salus, & magna Ecclesiæ per Christum futura felicitas.

COnsolábitur Dóminus Sion, * & consolábitur omnes ruínas ejus;

Et ponet desertum ejus quasi delícias, * & solitúdinem ejus quasi hortum Dómini.

Gáudium & lætítia inveniétur in eâ, * gratiárum áctio & vox laudis.

Adténdite ad me pópulus meus, * & tribus mea me audíte:

Quia lex à me éxiet, * & judícium meum in lucem populórum requiescet.

Propè est justus meus, egressus est Salvátor meus, * & bráchia mea pópulos judicábunt.

Me ínsulæ exspectábunt, * bráchium meum sustinébunt.

II. Canticum.

Audíte me, qui scitis justum, * pópulus meus lex mea in corde eórum:

Nolíte timére oppróbriũ hóminum, * & blasphémias eórum ne metuátis.

Sicut enim vestimentum, sic cómedet eos vermis, * & sicut lanam sic devorábit eos tínea.

Salus autem mea in sempiternum erit, * & justítia mea in generatiónes generatiónum.

III. Canticum.

Consurge, consurge, * indúere fortitúdinem bráchium Dómini:

Consurge sicut in diébus antíquis, * in generatiónibus seculórum.

Numquid non tu percussisti superbum, * vulnerasti dracónem?

Numquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis: * qui posuisti profundum maris viam, ut transírent liberáti?

Et nunc qui redempti sunt à Dómino, revertentur, * & vénient in Sion laudantes:

Et lætítia sempiterna super cápita eórum, gáudium & lætítiam tenébunt, * fúgiet dolor & gémitus.

Ant. Dóminus judex noster, Dóminus légifer noster, Dóminus rex noster; ipse salvábit nos. *Isai.* 33.

℣. Lætentur cœli, & exsultet terra; ℟. A fácie Dómini, quia venit. *Ps.* 95.

Lectio IX.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Cap. 2.

Non Angelis subjécit Deus orbem terræ futúrum, de quo lóquimur. Testátus est autem in quodam loco quis, dicens: Quid est homo, quòd memor es ejus, aut fílius hóminis quóniam vísitas eum? Minuisti eum paulò minùs ab Angelis: glóriâ & honóre coronasti eum, & constituisti eum super ópera mánuum tuárum. Omnia subjecisti sub pédibus ejus. In eo enim quòd ómnia ei subjécit, nihil dimísit non subjectum ei. Nunc autem necdum vidémus ómnia subjecta ei. Eum autem qui módico quàm Angeli minorátus est, vidémus Jesum, propter passiónem mortis glóriâ, & honóre coronátum, ut grátiâ Dei pro ómnibus gustáret mortem.

℟. Cùm in formâ Dei esset, non rapínam arbi-

trátus est esse se æquálem Deo, * Sed semetipsum exinanívit, formam servi accípiens. ℣. Candor est lucis ætérnæ, & spéculum sine máculâ Dei majestátis. * Sed. *Philip.* 2. *Sap.* 7.

Lectio X.

DEcébat enim eum, propter quem ómnia, & per quem ómnia, qui multos fílios in glóriam addúxerat, autórem salútis eórum per passiónem consummáre. Qui enim sanctíficat, & qui sanctificantur, ex uno omnes. Propter quam causam non confúnditur fratres eos vocáre, dicens: Nuntiábo nomen tuum frátribus meis: in médio Ecclésiæ laudábo te. Et íterum: Ego ero fidens in eum. Et íterum: Ecce ego & púeri mei quos dedit mihi Deus.

℟. Quotquot recepérunt eum, dedit eis potestátem fílios Dei fíeri; propter quam causam * Non confúnditur fratres eos vocáre, dicens: Nuntiábo nomen tuum frátribus meis. ℣. In similitúdinem hóminum factus, & hábitu inventus ut homo, * Non. *Joan.* 1. *Hebr.* 2. *Philip.* 2.

Lectio XI.

QUia ergo púeri communicavérunt carni & sánguini, & ipse simíliter participávit eísdem, ut per mortem destrúeret eum, qui habébat mortis impérium, id est, diábolum: & liberáret eos, qui timóre mortis per totam vitam obnóxii erant servitúti. Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Unde débuit per ómnia frátribus similári, ut miséricors fíeret, & fidélis póntifex ad Deum, ut repropitiáret delícta pópuli. In eo enim in quo passus est ipse & tentátus, potens est & eis qui tentantur auxiliári.

℟. Sicut per inobediéntiam uníus hóminis peccatóres constitúti sunt multi; ita & per uníus obeditiónē justi constituentur multi: * Ut sicut regnávit peccátum in mortem, ita & grátia regnet in vitam ætérnam per Jesum Christum. ℣. Misit Deus Fílium suum propitiatiónem pro peccátis nostris. * Ut. *Rom.* 5. *I. Joan.* 4.

Lectio XII. *Cap.* 3.

UNde, fratres sancti, vocatiónis cœléstis partícipes, consideráte Apóstolum & Pontíficem confessiónis nostræ Jesum, qui fidélis est ei qui fecit illum, sicut & Móyses in omni domo ejus. Amplióris enim glóriæ iste præ Móyse dignus est hábitus, quantò amplióre honórem habet domûs, qui fabricávit illam. Omnis namque domus fabricátur ab áliquo: qui autem ómnia creávit Deus

est. Et Móyses quidem fidélis erat in totâ domo ejus tamquàm fámulus, in testimónium eórum quæ dicenda erant : Christus verò tamquàm filius in domo suâ : quæ domus sumus nos, si fidúciam & glóriam spei usque ad finem firmam retineámus.

℟. Suscépit Deus Israel púerum suum, recordátus misericórdiæ suæ : * Sicut locútus est ad patres nostros, Abraham, & sémini ejus in sécula. ℣. In me ancillâ suâ adimplévit Dóminus misericórdiam suã, quam promísit dómui Israel, * Sicut. ℣. Glória. * Sicut. *Luc.* 1. *Judith.* 13.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

Cap. 1.

MIssus est Angelus Gábriel à Deo, in civitátem Galilææ cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen Vírginis María. Et ingressus Angelus ad eam, dixit : Ave grátiâ plena, Dóminus tecum; benedicta tu in muliéribus. Quæ cùm audisset, turbáta est in sermóne ejus, & cogitábat qualis esset ista salutátio. Et ait Angelus ei : Ne tímeas, María, invenisti enim grátiam apud Deum : Ecce concípies in útero & páries Filium, & vocábis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus & Fílius Altíssimi vocábitur; & dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus : & regnábit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Dixit autem María ad Angelum : Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei : Spíritus sanctus supervéniet in te, & virtus Altíssimi obumbrábit tibi. Ideóque quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. Et ecce Elísabeth cognáta tua, & ipsa concépit fílium in senectúte suâ; & hic mensis sextus est illi quæ vocátur stérilis : quia non erit impossíbile apud Deum omne verbum. Dixit autem María : Ecce ancilla Dómini, fiat mihi secundùm verbum tuum.

AD LAUDES.

ANTIPHONÆ.

IN princípio erat Verbũ, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. *Joan.* 1.

II. Omnia per ipsum facta sunt : & sine ipso factum est nihil, quod factum est. *Joan.* 1.

III. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognóvit; in própria venit,

& sui eum non recepérunt. *Joan.* 4.

IV. Quotquot recepérunt eum, dedit eis potestátem filios Dei fieri, his qui credunt in nómine ejus. *Joan.* 1.

V. Verbum caro factum est, & habitávit in nobis; & vídimus glóriam ejus. *Joan.* 1.

LECTIO. *Philip.* 2.

CUm in formâ Dei esset, Christus Jesus, non rapínam arbitrátus est esse se æquálem Deo: † sed semetipsum exinanívit formam servi accípiens, * in similitúdinem hóminum factus, & hábitu inventus ùt homo.

℟. *br.* In humilitáte nostrâ * Memor fuit nostrî. ℟. In. ℣. Quóniam in ætérnum misericórdia ejus, * Memor. ℣. Glória. ℟. In. *Ps.* 135.

HYMNUS. *S. V.*

PUlsum supernis sédibus,
Umbris tot annos óbsitum,
Cœlestis ignárum viæ,
Errábat humánum genus.

Cœlestis en Rex curiæ,
Ut monstret ad cœlum víam,
Secumque ducat éxsules,
Se sponte fecit éxsulem.

Se déviis præbet ducem,
Vires dat ambulántibus;
Est ipse, quâ ducit, via,
Quò ducit, ipse términus.

Deus supréma Véritas,
Umbráta velo córporis,
Puris videnda méntibus,
Lustra tuo nos lúmine.

Et tu, tuórum sis memor,
Quæ, dum modesto péctore
Te dicis ancillam Dei,
Regína mundi díceris.

Mundo Redemptor qui venis,
Fili, tibi laus máxima,
Cum Patre, nec tibi minor
Laus, utriusque Spíritus.
Amen.

℣. Quid est homo quòd memor es ejus? ℟. Aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum? *Ps.* 8.

Ad Benedictus, *Ant.* Visitávit nos Oriens ex alto, illumináre his qui in ténebris & in umbrâ mortis sedent. *Luc.* 1.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

DEus, qui de beatæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscípere voluisti; † præsta supplícibus tuis, ut qui verè eam Genitrícem Dei crédimus, * ejus apud te intercessiónibus adjuvémur; Per eumdem.

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Concílio Ephesíno. *An.* 431. *Epist. Synod. Concil. Alexandr. ad Nestorium; & Anathemat.* 8. *S. Cyrilli Episc.*

SI quis hóminem assumptum, unà cum ipso Dei Verbo adorandum,

unà cum illo glorificandum, unà cum illo tamquàm álterum in áltero exsisténtem, Deum appellandum esse dícere ausus fúerit; & non unâ pótiùs adoratióne Emmanuélem honórat, unamque illi glorificatiónem adtríbuit, quátenus Verbum factum est caro; anáthema sit.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Ephes.* 1.

PRopósuit Deus in dispensatióne plenitúdinis témporum, † instauráre ómnia in Christo, * quæ in cœlis, & quæ in terrâ sunt; in ipso.

℣. Tu es ipse Rex meus & Deus meus, ℟. Qui mandas salútes Jacob. *Ps.* 43.

AD SEXTAM.

LECTIO. *I. Joan.* 4.

IN hoc est cáritas, non quasi nos dilexérimus Deum; † sed quóniam ipse prior diléxit nos, * & misit Fílium suum propitiatiónem pro peccátis nostris.

℣. Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus; ℟. Et mirabília ejus fíliis hóminum. *Ps.* 106.

AD NONAM.

LECTIO. *I. Tim.* 3.

MAnifestè magnum est pietátis sacramentũ, † quod manifestátum est in carne, justificátum est in spíritu, * appáruit Angelis, prædicátum est Géntibus, créditum est in mundo, assumptum est in glóriâ.

℣. Dóminus virtútum nobíscum. ℟. Suscéptor noster Deus Jacob. *Ps.* 45.

AD II. VESPERAS.

PSALMI ET ANT.

I. *Ps.* 109. Dixit Dóminus. *pag.* 26.

Ant. Quæ ad Patres nostros repromíssio facta est, hanc Deus adimplévit fíliis nostris. *Act.* 13.

II. *Ps.* 112. Laudáte púeri Dóminum. *pag.* 27.

Ant. Ubi venit plenitúdo témporis, misit Fílium suum factum ex muliére. *Gal.* 4.

III. *Ps.* 121. Lætátus sum. *pag.* 69.

Ant. Qui sanctíficat, & qui sanctificantur, ex uno omnes; propter quam causam non confúnditur fratres eos vocáre. *Hebr.* 2.

IV. *Ps.* 147. Lauda Jerúsalem. *pag.* 110.

Ant. Participávit carni & sánguini, ut liberáret eos qui timóre mortis per totam vitam obnóxii erant servitúti. *Hebr.* 2.

LECTIO. *I. Joan.* 4.

DEus, cáritas est. † In hoc appáruit cáritas Dei in nobis, quóniam Fílium suum unigénitum misit Deus in mundum, * ut vivámus per eum.

℟. *br.* Redemptiónem misit Dóminus * Pópulo suo. ℟. Redemptiónem. ℣. Mandávit in ætérnum testaméntum suum. * Pópulo. ℣. Glória. ℟. Redemptiónem. *Ps.* 110.

Hymnus, Hæc illa solemnis dies. *ut ad I. Vesperas, pag.* 565.

℣. Misericórdia & véritas obviavérunt sibi: ℟. Justítia & pax osculátæ sunt. *Ps.* 84.

Ad Magníficat. *Ant.* Pater misit Filium suum Salvatórem mundi; nos ergo diligámus Deum, quóniam Deus prior diléxit nos. *I. Joan.* 4.

¶ *Si post Pascha transferatur, omnibus Ant. &* ℟℟. *additur* Allelúia.

FESTA APRILIS.

Die II.

S. FRANCISCI *DE PAULA*,

COMMEMORATIO.

Ant. Qui confídunt in Dómino, intélligent veritátem: & fidéles in dilectióne acquiescent illi, quóniã donum & pax est electis ejus. *Sap.* 3.

℣. Sperent in te qui novérunt nomen tuum; ℟. Quóniàm non dereliquisti quæréntes te, Dómine. *Ps.* 9.

COLLECTA. *Brev. Rom.*

DEus humílium celsitúdo, qui beátum Franciscum Sanctórum tuórum glóriâ sublimasti: † tríbue quæsumus, ut ejus méritis & imitatióne, * promissa humílibus præmia felíciter consequámur; Per Dóminum.

Die XI.

S. LEONIS, PAPÆ ET ECCLESIÆ DOCTORIS.

Omnia de Communi Doctorum exceptis quæ sequuntur.

LECTIO III.

Ex vitâ & Actis S. Leonis Magni.

LEo Románus factus diáconus, Sixto Pontífici autor fuit, ne recíperet Juliánum Pelagiánum, in communióne Ecclésiæ súbdolè irrepentem, ut sedem amissam recuperáret. Missus in Gálliam ut dissidentes inter se Albínum & Aétium Romános duces conciliáret, públicâ legatióne revocátur ut Sixto succéderet. Manichæos cùm Cathólicæ communiónis spécie perfídiam suam tégerent, iis præsertim detexit indíciis, quòd Domínicâ die & Feriâ secundâ jejunárent in honórem solis & lunæ, & Sánguinem redemptiónis nostræ haurire

omnino declinárent. Pelagianórum relíquias exſtinxit; præfuit per legátos Concílio quarto Œcuménico apud Chalcédonem celebráto; in quo perlecta eſt illíus ad Flaviánum Epiſtola de Incarnatiónis myſtério, quam ad ſe miſſam Galliárum Epíſcopi ſummis láudibus excéperant; & ab ómnibus acclamátum: Petrus per Leónem ita locútus eſt. Gensérico Romam invadenti perſuáſit, ut ab incéndio & cædibus abſtinéret. Cánonum propugnátor fuit acérrimus; múltaque ſanctè & utíliter decrévit. Plúrimis functus labóribus, multiſque luculenter ſcriptis, cùm Itáliam à Barbarórum vaſtatióne, & Eccléſiam ab hæreticórum labe vindicaſſet, explétis in Pontificátu vigínti & ampliùs annis, ábiit ad Dóminum, anno quadringentéſimo ſexagéſimo primo: propter pietátem, eruditiónem, eloquéntiam, & tot res præclárè geſtas, méritò Magni nómine commendátus.

℟. In hoc cognóſcitur ſpíritus Dei; omnis ſpíritus qui confitétur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt: & * Omnis ſpíritus qui ſolvit Jeſum ex Deo non eſt, & hic eſt antichriſtus. † Allelúia. ℣. Nolíte omni ſpirítui crédere, quóniam multi Pſeudoprophétæ exiérunt in mundum. * Omnis. ℣. Glória. † Allelúia. *I. Joan.* 4.

Collecta, Quæſumus, Dómine. *de Communi Doctorum, pag.* xl.

Die XXI.

S. ANSELMI, EPISCOPI,

Commemoratio.

Collecta, Omnípotens Deus. *de Communi Pontificum, pag.* xxx.

Die XXIII.

S. GEORGII, MARTYRIS,

Commemoratio.

Collecta. *Brev. Pariſ.*

Adeſto, Dómine, ſupplicatiónibus noſtris, † ut qui beáti Mártyris tui Geórgii natalítiis gloriámur, * nec minis injuſtè perſequéntium, nec ullis perturbémur adverſis; Per Dóminum.

Die XXV.

S. MARCI, EVANGELISTÆ.

Feſtivitas III. Claſſis.

AD I. VESPERAS.

Antiphonæ.

I. Vox ſpeculatórum, levavérunt vocem: ſimul laudábunt; quia conſolátus

solátus est Dóminus pópulum suum; Allelúia. *Is.* 52.

II. Primus ad Sion dicet: Ecce adsunt; & Jerúsalem Evangelistam dabo; Allelúia. *Is.* 41.

III. Ostendit vobis pactum suum quod præcépit ut facerétis, & verba scripsit. Allelúia. *Deut.* 4.

IV. Consummábitur mystérium Dei, sicut evangelizávit per servos suos. Allelúia. *Apoc.* 10.

Lectio. *Ephes.* 4.

Christus dedit quosdam quidem Apóstolos, quosdam autem Prophétas, álios verò Evangelistas, álios autem Pastóres & Doctóres, † ad consummatiónem Sanctórum, in opus ministérii; * in ædificatiónem córporis Christi.

℟. *br.* Quis loquétur poténtias Dómini? * Allelúia, allelúia. ℟. Quis. ℣. Auditas fáciet omnes laudes ejus? * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Quis. *Ps.* 105.

Hymnus. *S. V.*

Christi perennes Núntii,
Retecta qui cœléstibus
Scriptis Dei mystéria
Totum per orbem spárgitis;

Olim sub umbris cóndita,
Vates sacri quæ víderant,
Umbris procul cedéntibus,
Vidistis hæc pleno die.

Humána quæ tulit Deus,
Divína quæ gessit Homo,
Seris legenda pósteris,
Dictante scripsistis Deo.

Loco remótos, témpore,
Vos rexit idem Spíritus;
Et quisque, pro ductu Dei,
Scribendo Christum réddidit.

Nos ut docéret, índuit
Vocis sonos Verbum Patris:
Vestris adhuc in páginis
Nobis loqui non désinit.

Da, Christe, nos tecum mori,
Tecum simul da súrgere;
Terréna da contémnere,
Amáre da cœléstia.

Uni sit & Trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Dóminus dabit verbum evangelizántibus, ℟. Virtúte multâ. *Ps.* 67.

Ad Magníficat. *Ant.* Exalta in fortitúdine vocem tuam, qui evangelízas Jerúsalem: exalta, noli timére: dic civitátibus Juda: Ecce Deus vester. Allelúia. *Isai.* 40.

Collecta infrà ad Laudes, pag. 584.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Deum qui vocávit nos in fide veritátis, per Evangélium; * Veníte, adorémus. Allelúia. *II. Thess.* 2.

Hymnus, Christi perennes Núntii. *ut ad I. Vesp.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. I. Fidúciam habúimus in Deo nostro, loqui ad vos Evangélium Dei in multâ sollicitúdine. Allelúia. *I. Thess.* 2.

II. Probáti sumus à Deo ut crederétur nobis Evangélium. Allelúia. *I. Thess.* 2.

III. Lóquimur non quasi homínibus placéntes, sed Deo qui probat corda nostra. Allelúia. *I. Thess.* 2.

IV. Lóquimur Dei sapiéntiam in mystério, quam nemo príncipum cognóvit. Allelúia. *I. Cor.* 2.

V. Christum annuntiámus, docentes in omni sapientiâ, ut exhibeámus omnem hóminem perféctum in Christo Jesu. Allelúia. *Col.* 1.

VI. Si quis vobis evangelizáverit præter id quod accepistis, anáthema sit. Allelúia. *Gal.* 1.

℣. Custodiébant testimónia ejus; ℟. Et præceptū quod dedit illis. *Ps.* 98.

Lectiones cum ℟℟. *de Scripturâ occurrente.*

IN II. NOCTURNO.

Ant. I. Verbum Dómini manet in æternum; hoc est autem verbum quod evangelizátum est in vos. Allelúia. *I. Petr.* 1.

II. Evangélium virtus Dei est in salútem omni credenti. Allelúia. *Rom.* 1.

III. Sicut accepistis Jesum Christum Dóminum, in ipso ambuláte, radicáti & superædificáti in ipso. Allelúia. *Col.* 2.

IV. Implétum est tempus, & appropinquávit regnum Dei; pœniténimini, & crédite Evangélio. Allelúia. *Marc.* 1.

V. Glória, & honor, & pax omni operanti bonum, cùm judicabit Deus occúlta hóminum, secundùm Evangéliū. Allelúia. *Rom.* 1.

VI. Tempus est ut incípiat judícium à domo Dei: Si autem primùm à nobis, quis finis eórum qui non credunt Dei Evangélio? Allelúia. *I. Petr.* 4.

℣. Annuntiábitur Dómino generátio ventúra; ℟. Et annuntiábunt cœli justítiam ejus. *Ps.* 21.

Lectio V.

Ex Libro tértio sancti Irenæi Epíscopi & Mártyris contra Hæreses. *Edit. Bened. II. Sec. Præfat.*

Solam veram ac vivíficam fidem ab Apóstolis Ecclésia percépit, & distríbuit fíliis suis. Etenim Dóminus ómnium dedit Apóstolis suis potestátem Evangélii, per quos & veritátem, hoc est, Dei Filii doctrinam cognóvimus; quibus & dixit Dóminus: Qui vos audit, me audit; & qui vos contémnit, me contemnit, & eum qui me misit.

℟. Super montem excelsum ascende tu, qui evan-

izas Sion : * Dic civitá-
ıs Juda : Ecce Deus ve-
:. Allelúia. ℣. Séquere
, vade, & annúntia re-
ım Dei ; * Dic. *Isai.* 40.
c. 9.

Lectio VI. *Cap.* 1.

On enim per álios dis-
positiónem salútis no-
e cognóvimus, quàm
: eos per quos Evangé-
m pervénit ad nos : quod
dem tunc præconavé-
ıt, póstea verò per Dei
luntátem in Scriptúris
ɔis tradidérunt, funda-
ntum & columnam fídei
stræ futúrum. Nec enim
est dícere, quóniam
e prædicavérunt, quàm
fectam habérent agni-
nem ; sicut quidam au-
ar dícere, gloriantes
endatóres se esse Apo-
lórũ. Póstea enim quàm
rexit Dóminus noster à
rtuis, & indúti sunt su-
rvenientis Spíritûs sancti
tútem ex alto, de óm-
ɔusadimpléti sunt, & ha-
érunt perfectam agnitió-
m ; exiérunt in fines ter-
, ea quæ à Deo nobis
na sunt evangelizantes,
cœlestem pacem homí-
ɔus annuntiantes, qui
idem & omnes páriter &
guli eórum habentes
angélium Dei.

℟. Doctrínam quasi pro-
etiam effundam, * Et
linquam illam quæréntı-
s sapiéntiam, & non dé-
am in progénies illórum
usque in ævum sanctum. Allelúia. ℣. Mea Doctrína non est mea, sed ejus qui misit me ; * Et relinquam. *Eccli.* 24. *Joan.* 7.

Lectio VII.

ITa Matthæus in Hebræis, ipsórum linguâ scriptúram édidit Evangélii, cùm Petrus & Paulus Romæ evangelizárent, & fundárent Ecclésiam. Post verò horum excessum, Marcus discípulus & interpres Petri, & ipse quæ à Petro annuntiáta erant, per scripta nobis trádidit. Et Lucas autem sectátor Pauli, quod ab illo prædicabátur Evangélium in libro cóndidit. Póstea & Joannes discípulus Dómini, qui & supra pectus ejus recumbébat, & ipse édidit Evangélium, Ephesi Asiæ cómmorans.

℟. Audívi post me vocem commotiónis magnæ : * Benedicta glória Dómini de loco suo. Allelúia. ℣. Quátuor animália réquiem non habébant die ac nocte dicéntia : Sanctus, sanctus, sanctus, Dóminus Deus omnípotens : * Benedicta. *Ezech.* 3. *Apoc.* 4.

Lectio VIII.

ET omnes isti unum Deum factórem cœli & terræ, à lege & Prophétis annuntiátum, & unum Christum Fílium Dei tradidérunt nobis; quibus si quis non assentit, spernit qui-

dem partícipes Dómini, spernit autem & ipsum Christum Dóminum, spernit verò & Patrem, & est à semetipso damnátus, resistens & repugnans salúti suæ; quod fáciunt omnes hærétici.

℟. Hic liber mandatórum Dei, & lex quæ est in ætcrnum. * Omnes qui tenent eam, pervénient ad vitam; qui autem dereliquérunt eam, in mortem; † Allelúia. ℣. Spes repósita est vobis in cœlis: quam audistis in verbo veritátis Evángelii, quod pervénit ad vos. * Omnes. ℣. Glória. † Allelúia. *Baruch.* 4. *Coloss.* 1.

IN III. NOCTURNO.

I. Canticum. *Isai.* 52.

Excitatur Sion, hoc est, Christi Ecclesia, ad consolationem, ob gratuitam suî Redemptionem.

QUàm pulchri super montes pedes annuntiantis & prædicantis pacẽ;* annuntiantis bonum:

Prædicantis salútem, * dicentis Sion: Regnábit Deus tuus!

Vox speculatórum tuórum; * levavérunt vocem, simul laudábunt:

Quia óculo ad óculum vidébunt, * cùm convérterit Dóminus Sion.

Gaudéte, & laudáte simul, deserta Jerúsalem; * quia consolátus est Dóminus pópulum suum, redémit Jerúsalem.

Parávit Dóminus bráchium sanctum suum in óculis ómnium Géntium: * & vidébunt omnes fines terræ salutáre Dei nostri.

II. Canticum. *Isai.* 61.

Christi Salvatoris officium, Humani generis reparatio.

SPíritus Dómini super me, * eo quòd unxerit Dóminus me:

Ad annuntiandum mansuétis misit me, ut medérer contrítis corde, * & prædicárem captívis indulgéntiam, & clausis apertiónem:

Ut prædicárem annum placábilem Dómino, & diẽ ultiónis Deo nostro: * ut consolárer omnes lugentes:

Ut pónerem lugéntibus Sion; & darem eis corónam pro cínere, óleum gáudii pro luctu, * pállium laudis pro spíritu mœróris:

Et vocabuntur in eâ fortes justítiæ, * plantátio Dómini ad glorificandum.

Et ædificábunt deserta à século, & ruínas antíquas érigent, & instaurábunt civitátes desertas, * dissipátas in generatiónem & generatiónem.

Et stabunt aliéni, & pascent pécora vestra: * &

filii peregrinórum agrícolæ & vinitóres vestri erunt.

Vos autem Sacerdótes Dómini vocabímini; * Ministri Dei nostri, dicétur vobis:

Fortitúdinem Géntium comedétis; * & in glóriâ eárum superbiétis.

III. Canticum. *Isai. 66.*

Per Discipulorum Christi prædicationem, Gentium Conversio.

Ponam in eis signum; * & mittam ex eis, qui salváti fúerint, ad Gentes in mare;

In Africam, & Lydíam tendentes sagittam; * in Itáliam, & Græciam, ad ínsulas longè,

Ad eos, qui non audiérunt de me, * & non vidérunt glóriam meam,

Et annuntiábunt glóriam meam Géntibus, & addúcent omnes fratres vestros de cunctis Géntibus donum Dómino; * ad montem sanctum meum Jerúsalem, dicit Dóminus,

Quómodo si ínferant filii Israel munus in vase mundo * in domum Dómini.

Et assúmam ex eis in sacerdótes, & levítas, * dicit Dóminus.

Quia sicut cœli novi, & terra nova, quæ ego fácio stare coram me, dicit Dóminus; * sic stabit semen vestrum, & nomen vestrum.

Ant. Quàm speciósi pedes Evangelizántium pacem, Evangelizántium bona! Allelúia. *Rom.* 10.

℣. In generatiónem & generatiónem, ℟. Annuntiábimus laudem tuam. *Ps.* 78.

Lectio IX.

Ex Epístolâ secundâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 4.

Habentes administratiónem, juxta quod misericórdiam consecúti sumus, non defícimus, sed abdicámus occulta dedécoris, non ambulantes in astútiâ, neque adulterantes verbum Dei; sed in manifestatióne veritátis commendantes nosmetipsos ad omnem consciéntiam hóminum coram Deo. Quod si étiam opertum est Evangélium nostrum, in iis qui péreunt est opertum: in quibus Deus hujus séculi excæcávit mentes infidélium, ut non fúlgeat illis illuminátio Evangélii glóriæ Christi, qui est imágo Dei.

℟. Misit me Christus evangelizáre, non in sapiéntiâ verbi, ut non evacuétur crux Christi: * Verbum enim crucis, pereúntibus quidem stultítia est; iis autem qui salvi fiunt Dei virtus est. Allelúia.
℣. Quia non cognóvit mundus per sapiéntiam:

& incorruptiónem * per Evangélium.

℟. *br.* Quanta audívimus & cognóvimus ea, * Allelúia, allelúia. ℟. Quanta. ℣. Patres nostri narravérunt nobis. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Quanta. *Ps.* 77.

HYMNUS. *S. V.*

Sinæ sub alto vértice,
Cœlo tonante, lex data:
Inter tubas & fúlgura,
Præsens minabátur Deus.

Nunc, temperáto Númine,
Per vela carnis blándiùs
Amat vidéri, lánguidis
Se lumen aptans sénsibus.

Insculpta saxo lex vetus,
Præcepta, non vires dabat:
Inscripta cordi lex nova,
Quidquid jubet, dat éxsequi.

Scripsístis hanc fidâ manu:
Hanc voce, voci cónsonis
Hanc prædicastis móribus,
Signastis hanc & sánguine.

Afflante divo Spíritu,
Quæ verba vitæ tráditis,
Hæc ille nostris ímprimat
Delenda nunquam córdibus.

Da, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre de cœléstia.

Uni sit & Trino Deo
Supréma laus, summum decus;
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Declarátio sermónum tuórum illúminat, ℟. Et intelléctum dat párvulis. *Ps.* 118.

Ad Benedictus. *Ant.* Mihi data est grátia hæc, in Géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi. Allelúia. *Ephes.* 3.

COLLECTA. *Brev. Rom.*

DEus, qui beátum Marcum, Evangelistam tuum, Evangélicæ prædicatiónis grátiâ sublimasti; † tríbue, quæsumus, ejus nos semper & eruditióne profícere, * & oratióne defendi. Per Dóminum.

¶ *Qui tenéntur Officio Canonico, tenentur & recitationi Litaniarum cum suis Orationibus*, *pag.* cxxxiij.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Coloss.* 1.

NUnc reconciliávit vos Christus in córpore carnis ejus per mortem, exhibére vos sanctos, & immaculátos, & irreprehensíbiles coram ipso; † si tamen permanétis in fide fundáti & stábiles & immóbiles à spe Evangélii, quod audístis, quod prædicátum est in universâ creatúrâ quæ sub cœlo est; *

cujus factus sum ego minister.

℣. Bonum mihi lex oris tui, Dómine, ℟. Super míllia auri & argenti. *Ps.* 118.

AD SEXTAM.

Lectio. *I. Cor.* 2.

QUæ Dei sunt, nemo cognóvit nisi Spíritus Dei. † Nos autem non spíritum hujus mundi accépimus, sed Spíritum qui ex Deo est, ut sciámus quæ à Deo donáta sunt nobis: * quæ & lóquimur non in doctis humánæ sapiéntiæ verbis, sed in doctrína Spíritûs.

℣. Lex Dómini immaculáta convertens ánimas, ℟. Testimónium Dómini fidéle sapiéntiam præstans párvulis. *Ps.* 18.

AD NONAM.

Lectio. *Jac.* 1.

ABjicientes omnem immundítiam, & abundántiam malítiæ, † in mansuetúdine suscípite insitum verbum, * quod potest salváre ánimas vestras.

℣. Ignítum elóquium tuum vehementer, Dómine; ℟. Et servus tuus diléxit illud. *Ps.* 118.

AD II. VESPERAS.

Antiphonæ.

I. PErvenímus ad vos in Evangélio Christi; spem habentes crescentis fidei vestræ in vobis magnificári. Allelúia. *II. Cor.* 10.

II. Cúpidè volebámus trádere vobis, non solùm Evangélium Dei, sed étiã ánimas nostras. Allelúia. *I. Thess.* 2.

III. Spem quæ repósita est vobis in cœlis, audístis in verbo veritátis Evangélii quod pervénit ad vos. Allelúia. *Coloss.* 1.

IV. Dignè Evangélio conversámini in uno Spíritu, unánimes, collaborantes fidei Evangélii, quia vobis donátum est ut in Christum credátis. Allelúia. *Philip.* 1.

Lectio. *Coloss.* 1.

MYstérium quod abscónditum fuit à séculis & generatiónibus, nunc manifestátum est sanctis ejus, † quibus vóluit Deus notas fácere divítias glóriæ sacramenti hujus in Géntibus, * quod est Christus, in vobis spes glóriæ quem nos annuntiámus.

℟. *br.* Elóquia Dómini, elóquia casta, * Allelúia, allelúia. ℟. Elóquia. ℣. Argentum igne examinátum. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Elóquia. *Ps.* 11.

Hymnus, Christi perennes, *ut ad I. Vesp. pag.* 577.

℣. Suscitávit Dóminus testimónium in Jacob, ℟. Et legem pósuit in Israel. *Ps.* 77.

Ad Magníficat. *Ant.* Quod audivimus de verbo vitæ, annuntiámus vobis, ut & vos societátem habeátis nobiscum, & societas nostra sit cum Patre, & cum Filio ejus Jesu Christo. Allelúia. *I. Joan.* 1.

Die XXIX.

S. ROBERTI, MOLISMI ET CISTERCII PRIMI ABBATIS,

Commemoratio ut in Communi Abbatum, p. lv.

Collecta. Propr. Molism.

DA nobis, quæsumus, Dómine piâ sancti Roberti Abbátis intercessióne sublevári; † ut cujus ministério servis tuis perfectiónis Evangélicæ documenta donasti, * ejus ope nobis subsídia perpétuæ salútis impendas; Per Dóminum.

FESTA MAII.

Die I.

SS. PHILIPPI ET JACOBI, APOSTOLORUM.

Festivitas III. Classis.

AD I. VESPERAS.

Antiphonæ

I. VOluit Jesus exire in Galilæam, & invenit Philippum, & dicit ei: Séquere me. Allelúia. *Joan.* 1.

II. Invénit Philippus Nathánael, & dicit ei: Quem scripsit Móyses in lege, & Prophétæ, invénimus Jesum filium Joseph à Názareth. Allelúia. *Joan.* 1.

III. Dixit ei Nathánael: A Názareth potest áliquid boni esse? Dicit ei Philippus: Veni, & vide. Allelúia. *Joan.* 1.

IV. Elégit Jesus, & Apóstolos nominávit Philippũ & Jacóbum Alphæi. Allelúia. *Luc.* 6.

Lectio. *Isai.* 61.

SCient in Géntibus semen eórum, & germen eórum in médio populórũ: † omnes qui víderint eos, cognoscent illos, * quia isti sunt semen cui benedixit Dóminus.

℟. *br.* Annuntiábunt glóriam meam Géntibus, * Allelúia, allelúia. ℟. Annuntiábunt. ℣. Et addúcent omnes fratres vestros de cunctis Géntibus donum Dómino. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Annuntiábunt. *Isai.* 66.

Hymnus. *C.*

DUm morte victor óbrutâ
Ab ínferis Christus redit,
Vos pángimus, diræ necis
Vitæque testes rédditæ.

Vobis datum præ cæteris
...tus Magistri cíngere.

Vobis futúræ sédulus
Arcána credit glóriæ.
At, ille privátim suæ
Dum núnciat Crucis probrum;
Cur horret humánus nimis,
Qui décipit sensus, amor?
Opórtuit Christum pati
Qui pósteà resúrgeret:
Illinc homo verus patet,
Hinc se probat verè Deum.
Illos Magister qui doces,
Tu Christe, tu nos érudi:
Si quid latet, tu détege;
Amáre da quod jam patet.
Da, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.
Uni sit & Trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. In justítiâ tuâ, Dómine, exaltabuntur, ℟. Quóniam glória virtútis eórum tu es. *Ps.* 88.

Ad Magníficat. *Ant.* Dixit Jesus Philippo: Si quis mihi ministrat, me sequátur; & ubi sum ego, illic & minister meus erit. Allelúia. *Joan.* 12.

Collecta infrà ad Laudes, pag. 592.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte: *Ant.* Apostolórum Magistrum & Dóminum; * Veníte, adorémus. Allelúia. *Joan.* 13.

HYMNUS. S. V.

Cui se, relíctis ómnibus,
Addíxerant Apóstoli,
Tristes recenti fúnere
Jesum dolébant mórtuum.
At vos dolórem pónite:
Se suscitávit mórtuum;
Indigna mortis víncula
Rumpendo, se probat Deum.
Perváðit occlúsas fores,
Vestro vidére se choro,
Artus sacros dat tángere,
Nec temnit oblátas dapes.
Serváta monstrat vúlnera
Nostræ salútis óbsides:
O quanta nubes téstium
Fidem sepultam súscitat!
Apostolórum sénsibus
Qui te revelasti Deus;
Et te, vacillet ne fides,
Nostris revéla méntibus.
Da, Christe nos tecum mori;
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.
Uni sit & Trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. I. Si dilígitis me, mandáta mea serváte: qui habet mandáta mea, & servat ea, ille est qui díligit me. Allelúia. *Joan.* 14.

II. Qui díligit me, diligétur à Patre meo; & ego díligam eum, & manifestábo ei meipsum. Allelúia. *Ibid.*

III. Ad eum veniémus, & mansiónem apud eum faciémus. Allel. *Joan.* 14.

IV. Non turbétur cor vestrum, neque formídet: pacem relinquo vobis. Allelúia. *Ibid.*

V. Pacem meam do vobis non quómodo mundus dat, ego do vobis. Allelúia. *Ibid.*

VI. Si diligerétis me, gaderétis útique, quia vado ad Patrem. Allelúia. *Ibid.*

℣. Qui séminant in lácrymis, ℟. In exultatióne metent. *Ps.* 125.

Lectiones cum ℟℟. de Scripturâ occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Ant. I. Manéte in me, & ego in vobis; quia sine me nihil potestis fácere. Allelúia. *Joan.* 15.

II. Ego sum vitis vos pálmites: sicut palmes non potest fácere fructum, nisi mánserit in vite, sic nec vos, nisi in me mansériti. Allelúia. *Ibid.*

III. Si manséritis in me, & verba mea in vobis mánserint; quodcumque volúeritis petétis, & fiet vobis. Allelúia. *Ibid.*

IV. Quodcumque petiéritis Patrem in nómine meo, hoc fáciam: ut glorificétur Pater in fílio. Allelúia. *Joan.* 14.

V. In mundo pressúram habébitis; sed confídite, ego vici mundum. Allelúia. *Joan.* 16.

VI. Plorábitis, & flébitis vos; mundus autem gaudébit: sed tristítia vestra vertétur in gáudium; & gáudium vestrum nemo tollet à vobis. Allelúia. *Joan.* 16.

℣. Dabis, Dómine, gáudium & lætítiam; ℟. Et exultábunt ossa humiliáta. *Ps.* 50.

LECTIO V.

Ex Epist. Polycratis ad Victorem Rom. Episc. Apud Euseb. Hist. Eccles. Lib. 3. Cap. 31. Ed. Vales. II. Sec.

IN Asiâ magna quædam lúmina exstincta sunt, quæ suscitabuntur in novíssimo die adventûs Dómini, tunc cùm de cœlo véniet cum glóriâ, & univérsos sanctos requíret. Philippum intélligo, qui fuit unus ex duódecim Apóstolis, mortuúsque est Hierápoli, cum binis filiábus quæ in virginitáte consenuérunt. Altera quoque ejus fília quæ spirituálem quamdam vitam duxit, Ephesi sepulta est.

℟. Accessérunt quidam Gentíles ad Philíppum, & rogábant eum dicentes: Dómine, vólumus Jesum vidére. * Venit Philíppus, & dicit Andreæ: Andreas rursùm & Philippus dixérunt Jesu. Allelúia. ℣. Consílium pacis inter illos duos. * Venit. *Joan.* 12. *Zach.* 6.

LECTIO VI.

Ex Hegesippo apud Euseb. Hist. Eccl. Lib. 2. Cap. 23. II. Sec.

JAcóbus frater Dómini, cui adscríbi solet Epístola prima eárum quæ Cathólicæ dicuntur, Ecclésiæ administratiónem unà cum Apóstolis suscépit, qui jam indè à Christi tempóribus ad nostram usque ætátem Justus cognominátus est. Hic vinum nunquam bibit nec síceram; ab animántium cárnibus pénitus abstínuit: comam nunquàm totondit, neque ungi, neque laváre bálneo corpus unquam sólitus. Quidam autem ex septem sectis quæ apud Judæos erant, interrogavérunt eum, quodnam esset óstium Jesu? Quibus ille Jesum esse Servatórem respondit. His audítis nonnulli eórum, Jesum reverâ Christum esse credidérunt. Quotquot verò ex iis credidérunt, Jacóbi óperâ ac ministério útique credidérunt.

℟. Et si cognóvimus secundùm carnem Christum, sed nunc jam non nóvimus. * Vétera transiérunt; ómnia autem ex Deo, qui nos reconciliávit sibi per Christum, & dedit nobis ministérium reconciliatiónis. Allelúia. ℣. Dicit Dóminus: Ecce ego fácio nova, & nunc oriéntur; útique cognoscétis ea. * Vétera. *II. Cor. 5. Is. 43.*

LECTIO VII.

CUm ergo multi ex ipsis étiam primóribus crédérent, tumultuári cœpérunt Judæi, & Scribæ & Pharisæi; eò jam ventum esse clamantes, ut propè omnis pópulus Jesum quasi Christū exspectáret. Proinde in unum congregári Jacóbum ádeunt, hisque eum verbis compellant: Hortámur te, inquiunt, ut pópuli errórem cómprimas, qui falsam de Jesu opiniónem ímbibit, perinde quasi Christus esset. Ascende ígitur in fastígium templi, ut in sublími loco pósitus ab ómnibus cónspici & exaudíri fácilè possis. Post hæc cùm Jacóbum in fastígio templi collocassent, conténtâ voce sic eum álloqui cœpérunt. O juste, cui nos omnes fidem adhibére par est, quandóquidem omnis pópulus errat, Jesum sectans crucifixum; doce nos quod sit óstium Jesu suffixi cruci. Tunc Jacóbus éditâ voce iis respondit: Quid me, inquit, interrogátis de Jesu filio hóminis? Ipse sedet in cœlo à dextris summæ virtútis, & ventúrus est in núbibus cœli.

℟. Apéruit illis Jesus sensum, ut intellígerent Scriptúras, & dixit: Sic oportébat Christum pati, & resúrgere, & prædicári in nómine ejus pœniténtiam;

* Vos autem testes estis horum. Allelúia. ℣. Ego Dóminus, & non est absque me Salvátor: ego salvávi; & ego Deus; * Vos autem. Luc. 24. Isai. 43.

LECTIO VIII.

Cumque multi hoc Jacóbi testimónio confirmáti, glorificárent Jesū, dicentes, Hosánna Fílio David: tunc iidem Scribæ ac Pharisæi mox conscendentes, eum præcípitem egérunt. Et quóniam non statim mortem obíerat, sed flexis génibus orábat pro illis, cœpérunt lapídibus eum impétere. Cùmque hóminem saxis obrúerent, unus è sacerdótibus ex fíliis Rechab conténtâ voce: Párcite, inquit, quid fácitis? Justus orat pro vobis. Interim unus ex iis fullo, arrepto fuste, caput Justi percussit, atque ita felíci martyrio vitam finiit. Sepultus est eódem in loco, manetque adhuc corpus illíus prope templum. Porro Jacóbus ob singulárem justítiā ádeo célebris est apud omnes, ut Judæórum prudentíssimi, inter quos Flávius Joséphus, hanc fuisse causam existimáverint secútæ mox obsidiónis Jerosolymórum.

℟. Non est servus major dómino suo. Si me persecúti sunt, & vos persequentur: * Sed hæc ómnia fácient vobis propter nomen meum: quia nésciunt eum, qui misit me. † Allelúia. ℣. Venit hora, ut omnis qui intérficit vos, arbitrétur obséquium se præstáre Deo. * Sed. ℣. Glória. † Allelúia. Joan. 15 & 16.

IN III. NOCTURNO.

Cantica, Ant. ℣. & Lectiones III. Noct. ut in Festo S. Marci, pag. 580.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joannem. Cap. 14.

Dixit Jesus discípulis suis: Non turbétur cor vestrum. Créditis in Deum, & in me crédite. In domo Patris mei mansiónes multæ sunt. Si quóminus dixíssem vobis, quia vado paráre vobis locum. Et si abíero, & præparávero vobis locum: íterum vénio, & accípiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis. Et quò ego vado scitis, & viam scitis. Dicit ei Thomas: Dómine, nescímus quò vadis: & quómodo póssumus viam scire? Dicit ei Jesus: Ego sum via, & véritas & vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Si cognovissétis me, & Patrem meum útique cognovissétis: & ámodo cognoscétis eum, & vidístis eum. Dicit ei Phi-

lippus : Dómine, ostende nobis Patrem, & sússicit nobis. Dicit ei Jesus: Tanto témpore vobiscum sum: & non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Quómodo tu dicis : Ostende nobis Patrem? Non créditis quia ego in Patre, & Pater in me est? Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit ópera. Non créditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? Alióquin propter ópera ipsa crédite. Amen, amen dico vobis; qui credit in me, ópera quæ ego fácio, & ipse fáciet, & majóra horum fáciet: quia ego ad Patrem vado. Et quodcumque petiéritis Patrem in nómine meo, hoc fáciam, ut glorificétur Pater in Fílio.

AD LAUDES.

Antiphonæ.

I. Dicit Jesu Philippus : Dómine, ostende nobis Patrem, & sússicit nobis. Allelúia. *Joan.* 14.

II. Dicit Philippo Jesus : Tanto témpore vobiscum sum, & non cognovistis me ? Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Allelúia. *Joan.* 14.

III. Quómodo tu dicis; Ostende nobis Patrē? Non créditis quia ego in Patre, & Pater in me est? Allelúia. *Joan.* 14.

IV. Jesus occurrit muliéribus, & ait : Nolite timére ; ite, nuntiáte frátribus meis, ut eant in Galilæam ; ibi me vidébunt. Allelúia. *Matth.* 28.

V. Visus est plusquam quingentis frátribus simul : deinde visus est Jacóbo, deinde Apóstolis ómnibus. Allelúia. *I. Cor.* 15.

Lectio. *Act.* 1.

Præbuit Jesus seipsum vivum Apóstolis post passiónem suam in multis argumentis, per dies quadraginta appárens eis, & loquens de regno Dei. Et convescens, præcépit eis ab Jerosólymis ne discéderent, sed exspectárent promissiónem Patris.

℟. *br.* Nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus. * Allelúia, allelúia. ℟. Nimis. ℣. Nimis confortátus est principátus eórum. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Nimis. *Ps.* 138.

Hymnus. *S. V.*

Regnis paternis débitus
Cruóre quæ pandit suo,
Vos propter, hospes éxteras
Adhuc colit terras Deus.
Ignóta tardis méntibus
Patére dat mystéria,
Per mille præságas suî
Se détegens imágines.
En immolandus à Patre,
Suum ferens lignum Puer;

En Agnus ille, sánguine
Qui tincta servat límina.

Amóris ô quæ pígnora!
Vobis oves credit suas:
Ligáre dat, dat sólvere,
Quæ solvit & ligat Deus.

Da, Christe, nos tecum mori,
Tecum simul da súrgere;
Terréna da contémnere,
Amáre da cœléstia.

Uni sit & Trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Memóriam abundántiæ suavitátis tuæ eructábunt; ℟. Et justítiâ tuâ exsultábunt. *Ps.* 144.

Ad Benedictus. *Ant.* Apéruit illis sensum, ut intellígerent Scriptúras, & dixit eis: Quóniam sic scriptum est, & sic oportébat Christum pati, & resúrgere à mórtuis: vos autem testes estis horum. Allelúia. *Luc.* 24.

COLLECTA. *Brev. Paris.*

DEus, qui nos ánnuâ Apostolórum tuórum Philippi & Jacóbi solemnitáte lætíficas: † da nobis ipsórum précibus, in Unigéniti tui passióne & resurrectióne consórtium; * ut parátam in domo tuâ mansiónem hæreditáte consequámur; Per eumdem Dóminum.

AD TERTIAM.

LECTIO. *I. Cor.* 1.

OCulus non vidit, nec auris audívit, nec in cor hóminis ascendit, quæ præparávit Deus iis qui díligunt illum: † nobis autē revelávit Deus per Spíritum suum; * Spíritus enim ómnia scrutátur, étiam profunda Dei.

℣. Sicut óculi servórum in mánibus dominórum suórum, ℟. Ita óculi nostri ad Dóminum Deum nostrum. *Ps.* 122.

AD SEXTAM.

LECTIO. *I. Joan.* 5.

SCimus quóniam Fílius Dei venit, † & dedit nobis sensum, ut cognoscámus verum Deum, & simus in vero Fílio ejus. * Hic est verus Deus, & vita ætérna.

℣. Credidérunt verbis ejus: ℟. Et laudavérunt laudem ejus. *Ps.* 105.

AD NONAM.

LECTIO. *Act.* 10.

PRæcépit nobis prædicáre pópulo, † & testificári, * quia ipse est qui constitútus est à Deo judex vivórum & mortuórum.

℣. Exsultet terra à fácie Dómini; ℟. Quóniam venit judicáre terram. *Ps.* 95.

AD II. VESPERAS.

ANTIPHONÆ.

I. JEsus assumptus est; & ascendérunt discípuli ubi manébant Petrus & Joannes

Joánnes, Jacóbus & Andreas, Philippus & Jacóbus Alphæi. Allelúia. *Act.* 1.

II. Quidam de Judæâ docébant fratres: Quia nisi circumcidámini, non potestis salvári. Convenéruntque Apóstoli & senióres vidére de verbo hoc. Allelúia. *Act.* 15.

III. Cum magna conquisítio fieret, respondit Jacóbus: Deus visitávit sumere ex Géntibus pópulum nómini suo; & huic concordant verba Prophetárum. Allelúia. *Act.* 15.

IV. Notum à século, est Dómino opus suum: propter quod ego júdico non inquietári eos qui ex Géntibus convertuntur ad Deũ. Allelúia. *Act.* 15.

Lectio. *Ephes.* 3.

Aliis generatiónibus nõ est ágnitum filiis hóminum, † sicuti nunc revelátum est sanctis Apóstolis ejus, & Prophétis in Spíritu: * Gentes esse cohæredes, & concorporáles, & compartícipes promissiónis ejus in Christo Jesu per Evangélium.

℟. *br.* Dóminus excelsus, terríbilis, Rex magnus super omnem terram, * Allelúia, allelúia. ℟. Dóminus. ℣. Subjécit pópulos nobis, & Gentes sub pédibus nostris. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Dóminus. *Psl.* 46.

Hymnus. *S. V.*

Natus Parenti rédditus
Non vos amícos déseret:
Sub imbre lapsum flámmeo
Infundet in vos Spíritum.
Hausto repléri Númine,
Terras in omnes líberi,
Christum tubis cœléstibus,
Christum Deum vulgábitis.
Non jam tenébit ámpliùs
Formído mortis ábditos:
Aperta non eúntibus
Addent moras perícula.
Vos ante reges fórtiter
Spernétis armátas neces:
Hæc nempe pro Christo mori
Supréma vobis glória.
Oráte, firma sit Fides,
Et certa se Spes érigat;
Illapsa nostris córdibus
Pellat timórem Cáritas.
Da, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.
Uni sit & Trino Deo
Suprema laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Annuntiavérunt cœli justítiam ejus, ℟. Et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus. *Ps.* 96.

Ad Magníficat. *Ant.* Jacóbus, & Cephas, & Joannes, qui videbantur colum-

næ esse, dextras dedérunt mihi & Bárnabæ societátis; ut nos in Gentes, ipsi autem in circumcisiónem. Allelúia. *Galat.* 2.

Die II.

S. ATHANASII, EPISCOPI ET ECCLESIÆ DOCTORIS.

Omnia de Communi Doctorum, exceptis quæ sequuntur.

Lectio III.

Vita S. Athanas. ex ipsius Operibus, Rufino, Sozomen. &c.

Athanásius Diáconus, ab Alexandro Epíscopo Alexandríno ductus ad Concílium Nicænum, Ariános ácriter impugnávit. Alexandro suffectus, Arium constanter ab Ecclésiæ communióne répulit; unde Eusébii Nicomediensis Epíscopi, aliorumque multórum in se ódium concitávit. Hi cum Meletiánis schismáticis ínito consílio, suis calúmniis à Constantíno Imperatóre impetrárunt, ut Tréviros amandarétur, ubi à Maximíno Epíscopo honorificentíssimè exceptus est. Post óbitū Constantíni revocátus, novis íterum apud Constántium impétitur calúmniis; unde in coactâ Antiochíæ synodo, sede suâ depónitur, dum à Júlio Papâ Romæ in synodo quinquaginta Episcopórum declarátur innocens. Agente Constante Constántii germáno, post synodi Sardicensis judícium, ab hæreticórum calúmniis vindicátus, sedi suæ restitúitur. Verùm diu quiéscere non lícuit; à Constántio enim Ariánis addictíssimo quæsítus ad necem, sex totis annis in locis desertis delítuit. Post Constántii mortem, permittente Juliáno Apóstatâ, reversus Alexandríā, Concílium hábuit cum Christi Confessóribus de recipiendis iis qui ab Ariánis fúerant sedúcti; in quo res gravíssimas tantâ prudéntiâ definívit, ut Ecclésiam visus fúerit ab imminente perículo eripuísse. Sed cùm idolórum cultóribus gravis esset, à Juliáno ad mortem quæsítus, íterum discédere cógitur, & insequentes se elúsit, delituítque Alexandríæ usque ad mortem Juliáni. Sub Joviáno Imperatóre Cathólico, suam pacíficè rexit Ecclésiam: sed movente rursus persecutiónem Valente Ariáno, per quátuor menses in paterno látitat monuménto; ex quo tandem egressus, instante pópulo, post innúmeros labóres ac ærumnas, fide, constántiâ & doctrínâ illustris, anno Episcopátûs quadragésimo sexto, Chri-

ni trecentésimo septuagésimo tértio, in léctulo suo móritur.

℟. Quasi os meum eris: Et dabo te pópulo huic in murum æreum fortem: * Et bellábunt adversùm te, & non prævalébunt; quia ego tecum sum. † Allelúia. ℣. Erunt magistri mendáces, qui introdúcent sectas perditiónis & eum qui emit eos, Dóminum negant, * Et. ℣. Glória. † Allelúia. *Jerem.* 15. *II. Petr.* 2.

Collecta. *Sacr. Gelas.*

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, † ut consubstantialitátem Verbi tui, quam beátus Athanásius mirábili constántiâ, innumerísque labóribus propugnávit, * & corde crédere, & ore confitéri valeámus; Per eumdem.

Die III.

IN INVENTIONE

SANCTÆ CRUCIS.

Solemnitas III. Classis.

AD I. VESPERAS.

Antiphonæ.

I. RAdix Jesse, qui stat in signum populórum, ipsum Gentes deprecabuntur, & erit sepulcrum ejus gloriósum. Allelúia. *Isai.* 11.

II. Factus est principátus super húmerum ejus: & vocábitur nomen ejus, Deus, fortis. Allelúia. *Isai.* 9.

III. Levábit signum in natiónes, & congregábit prófugos Israel. Allelúia. *Isai.* 11.

IV. Exaltávi lignum húmile, & frondére feci lignum áridum: Ego Dóminus locútus sum, & feci. Allelúia. *Ezech.* 17.

Lectio. *Galat.* 3.

CHristus nos redémit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum; † quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno; * ut in Géntibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Jesu.

℟. *br.* Cantáte Dómino, & benedícite nómini ejus; * Allelúia, allelúia. ℟. Cantáte. ℣. Annuntiáte de die in diem salutáre ejus. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Cantáte. *Ps.* 95.

Hymnus. *S. V.*

TEllus, tot annos quid tegis
Nostræ salútis pígnora?
Crux monte toto quæritur,
Ultrò tuos pandas sinus.

Quid, dura fossóris manus,
Scrutáris alta víscera?
Celáre lignum sit pudor,
Quo nostra surgit glória.

En illa gemma pérdita,
Inventa tot labóribus:

En qui latébat, érutus
Thesaurus agro pródiit.
Regína quæsítam crucem
Monstrante Christo réppe-
rit :
Oblíta fastus régios,
Sceptro repertam prætulit.
Crux sancta, Christi
córporis
Virtus salúbrem te facit :
Contingit ut te mórtuus,
Vitæ prióri rédditur.
Da, Christe, nos tecum
mori;
Tecum simul da súrgere :
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.
¶ Qui per Crucem nos
líberas,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

¶ *Hæc Doxologia dicitur ad omnes Horas.*

℣. Notam fecísti in pópulis virtútem tuã : ℟. Redemísti in bráchio tuo pópulum tuum. *Ps.* 76.

Ad Magníficat. *Ant.* Sic scriptum est, & sic oportébat Christum pati, & resúrgere à mórtuis tértiâ die, & prædicári in nómine ejus pœniténtiam, & remissiónem peccatórum in omnes Gentes. Allelúia. *Luc.* 24.

Collecta infrà ad Laudes, pag. 605.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Jesum qui crucifixus est; * Veníte, adorémus. Allelúia. *Matth.* 28.

HYMNUS. S. V.

Signum novi Crux fœderis,
Crux orbis arca náufragi,
Cùm jam perímus, nos ratis
Portus refers in pátrios.
Telis rubentem flámmeis
Ultóris exarmas manum:
Placátur, ut te réspicit,
Iras & oblivíscitur.
Lethále si vulnus ferat
Infernus anguis mórsibus;
Læsi simul te víderint,
Repentè tu medéberis.
Arâ sub illâ, par Deo
Se consecrávit hóstia :
Hâc sede læsum Fílius
Placávit orátor Patrem.
Crux sancta, Crux amábilis,
Crux tincta Christi sánguine
Hauríre da nos lárgiùs
Vitam, Dei de fúnere.
Da, Christe, nos tecum
mori;
Tecum simul da súrgere :
Terréna da contémnere :
Amáre da cœléstia.
Qui per Crucem nos líberas,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. I. Benedíctum est lignum, per quod fit justítia. Allelúia. *Sap.* 14.

II. Ab inítio, cùm períerent superbi gigantes, spes orbis terrárum ad ratem

confugiens, remísit século semen nativitátis. Allelúia. *Sap.* 14.

III. Cùm aqua deléret terram, sanávit íterum sapiéntia, per contemptíbile lignum justum gubernans. Allelúia. *Sap.* 10.

IV. Dóminus osténdit Móysi lignum; quod cùm misísset in aquas, in dulcédinem versæ sunt. Allelúia. *Exod.* 15.

V. Mórsibus colubrórum exterminabantur; sed ad correptiónem in brevi turbáti sunt signum, habentes salútis. Allelúia. *Sap.* 16.

VI. In hoc ostendísti inimícis nostris, quia tu es qui líberas ab omni malo. Allelúia. *Sap.* 16.

℣. In te, Dómine, speravérunt patres nostri: ℟. Speravérunt, & liberásti eos. *Ps.* 21.

LECTIO I.

Ex Libro Exodi. *Cap.* 15.

TUlit Móyses Israel de mari Rubro, & egressi sunt in desertum Sur, ambulaveruntque tribus diébus per solitúdinem, & non inveniébant aquam. Et venérunt in Mara; nec póterant bíbere aquas de Mara, eo quòd essent amáræ. Unde & cóngruum loco nomen impósuit, vocans illum Mara, id est, amaritúdinem. Et murmurávit pópulus contra Móysen dicens: Quid bibémus? At ille clamávit ad Dóminum, qui ostendit ei lignum, quod cùm misisset in aquas, in dulcédinem versæ sunt.

℟. Quóniam potens es, Dómine, ex ómnibus salváre; transeuntes mare hómines, * Exíguo ligno liberáti sunt. Allel. ℣. Quem vos interemistis, suspendentes in ligno: hunc príncipem Deus exaltávit, ad dandam pœniténtiam Israëli. * Exíguo. *Sap.* 14. *Act.* 5.

LECTIO II. *Cap.* 17.

VEnit Amalec, & pugnábat contra Israel in Ráphidim. Dixitque Móyses ad Jósue: Elige viros: & egressus pugna contra Amalec: Móyses autem & Aaron & Hur ascendérunt super vérticem collis: cùmque levâret Móyses manus, vincébat Israel: sin autem páululum remisísset, superábat Amalec.

℟. In diébus carnis suæ * Preces supplicationésque cum lácrymis ófferens Christus, exaudítus est; & factus est obtemperántibus sibi causa salútis ætérnæ. Allelúia. ℣. Cùm leváret Móyses manus, vincébat Israel. * Preces. *Hebr.* 5. *Exod.* 17.

LECTIO III.

MAnus autem Móysi erant graves: sumentes igitur lápidem, po-

fuérunt subter eum, in quo sedit. Aaron autem & Hur sustentábant manus ejus ex utrâque parte. Et factum est ut manus illíus non lassarentur usque ad occásum solis. Fugavitque Jósue Amalec & pópulum ejus in ore gládii. Dixit autem Dóminus ad Móysen: Scribe hoc ob monimentum in libro, & trade áuribus Jósue: delébo enim memóriam Amalec sub cœlo.

℟. Fugávit Jósue Amalec; ædificavitque Móyses altáre, & vocávit nomen ejus, Dóminus exaltátio mea; dicens: * Quia manus sólii Dómini erit contra Amalec, à generatióne in generatiónem. Allelúia. ℣. Participávit Christus carni & sánguini, ut per mortem destrúeret eum qui habébat mortis impérium, id est, diábolum: * Quia. *Exod.* 17. *Hebr.* 2.

LECTIO IV.

Ex Libro Númeri. *Cap.* 21.

LOcútus pópulus contra Deum & Móysen ait: Cur eduxisti nos de Ægypto, ut moreremur in solitúdine? Deest panis, non sunt aquæ: ánima nostra jam náuseat super cibo isto levíssimo. Quamóbrē misit Dóminus ignítos serpentes in pópulum, ad quorum plagas & mortes plurimórum, venérunt ad Móysen, atque dixérunt: Peccávimus; quia locúti sumus contra Dóminum & te: ora ut tollat à nobis serpentes. Oravitque Móyses pro pópulo, & locútus est Dóminus ad eum: Fac serpentem æneū, & pone eum pro signo: qui percussus adspéxerit eum, vivet.

℟. Sicut Móyses exaltávit serpentem in desérto, * Ita exaltári oportet Fílium hóminis; ut omnis qui credit in ipsum, non péreat, sed hábeat vitam ætérnam. † Allelúia. ℣. Fecit Móyses serpentē æneū, & pósuit eum pro signo; quem cùm percussi adspícerent, sanabántur; * Ita. ℣. Glória. † Allelúia. *Joan.* 3. *Num.* 21.

IN II. NOCTURNO.

Ant. I. Erit sanguis Agni vobis in signum in ædibus in quibus éritis, & vidébo sánguinem, & transíbo vos; Allelúia. *Exod.* 12.

II. Hoc signum est inter me & vos in generatiónibus vestris, signumque perpétuum; Allelúia. *Exod.* 31.

III. Pónite hoc in córdibus vestris: suspéndite pro signo in mánibus; & inter óculos vestros collocáte. Allelúia. *Deut.* 11.

IV. Signa THAU super frontes virórum geméntium super cunctis abomi-

stationibus Jerúsalem; Allelúia. *Ezech.* 9.

V. Transíte per civitátem & percútite: omnem autem super quem vidéritis THAU, ne occidátis; Allelúia. *Ezech.* 9.

VI. Nolíte nocére terræ & mari, quoadusque signémus servos Dei nostri in fróntibus eórum. Allelúia. *Apoc.* 7.

℣. Dómine, fac mecum signum in bonum: ℟. Ut videant qui odérunt me, & confundantur. *Ps.* 85.

LECTIO. V.

Ex Lib. I. Ecclesiasticæ Historiæ Theodoreti Ep. Cyri. Edit. Vales. Sec. V. Cap. 16.

Cum didicisset Constantínus Imperátor insanientes ac furóre percitos dæmonum cultóres, dum salútis nostræ memóriam student abolére, sepulchrum quidem Dómini congestâ humo adobruisse: désuper verò fanum impudícæ dæmonis exstruxisse, ut Vírginis partum ludíbrio afficerent: primò quidem exsecrandum illud ædifícium déstrui jussit: deinde verò Ecclésiam máximam ac pulchérrimam eódem in loco ædificári præcépit.

℟. De sánguine Agni ponent filii Israel super utrumque postem, & in superliminaribus domórum: * Erit autem sanguis vobis in signum, nec erit in vobis plaga dispérdens. Allelúia. ℣. Redempti estis pretióso sánguine quasi Agni immaculáti Christi. * Erit. *Exod.* 12. *I. Petr.* 1.

LECTIO VI. *Cap.* 18.

Postquam autem ad locum illum Imperatóris mater pervenisset, qui universo orbi salutárem passiónem excéperat, illico exsecrandum quidem illud fanum éverti & rúdera exportári jussit. Cùm verò sepulcrum quod hàctenus latúerat, in lucem emersisset, cruces tres juxta Domínicum monumentum defossæ apparuérunt. Sed quænam illárum corpus Dómini adtigisset, & pretiósi sánguinis guttis conspersa fuisset, prorsus ignorábant. Verum cùm matrónæ cuídam nóbili, quæ diuturno morbo laborábat, oratióne factâ, singulas cruces intento ánimo admovisset Macárius urbis illíus Antistes, Domínicæ Crucis efficáciam deprehendit. Hæc enim cùm mulierem adtigisset, gravem illum morbum prótinus dépulit, & prístinam salútem mulieri restítuit. Atque hæc habet Theodorétus. Aiunt étiam, teste Sozómeno, mórtuum eódem modo ad vitam esse revocátum.

℟. Ecce levábo ad Gentes manum meam, & ad pópulos exaltábo signum meum. * Et sciet omnis caro, quia ego Dóminus salvans te, & Redemptor tuus fortis Jacob. Allelúia. ℣. Cùm exaltavéritis Fílium hóminis, tunc cognoscétis quia ego sum; * Et sciet. *Isai.* 49. *Joan.* 8.

LECTIO VII.

HOc modo cùm Imperatóris mater, id quod tantópere cupiébat didicisset: clavórum quidem partem gáleæ Imperatóris insévuit, cápiti filii sui prospíciens, ut hóstium tela ab eo depélleret. Partem verò freno equi illíus admíscuit, Imperatóri tutélam præstans. Domínicæ autem Crucis partem quidem palátio attríbuit: réliquum argénteâ thecâ quam fabricári jússerat, inclúsum, civitátis Epíscopo trádidit, hortáta ut salútis nostræ monumentum ad posterórum memóriam diligenter custodíret. Huic Theodoréti de Crucis Inventióne narratióni suffragantur Sócrates, Sozómenus, Nicéphorus, & álii.

℟. Nunc judícium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejiciétur foràs; * Et ego si exaltátus fúero à terrâ, ómnia traham ad me ipsum. Allelúia; ℣. Locútus est Dóminus ad Móysen: Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo: qui percússus aspéxerit eum, vivet. * Et ego. *Joan.* 12. *Num.* 21.

LECTIO VIII. *n.* 6.

Ex Epístolâ sancti Paulíni Noláni Epíscopi ad Sevérum. *Epist.* 31. *Edit. Nov. Sec. V. n.* 6.

CRucem Epíscopus urbis ejus quotannis, cùm Pascha Dómini ágitur, adorandam pópulo princeps ipse venerántium promit. Quæ quidem Crux in matériâ insensátâ vim vivam tenens; ita ex illo témpore innúmeris pene quotídie hóminum votis lignum suum cómmodat, ut detrimenta non séntiat, & quasi intácta permáneat, quotídie divídua suméntibus, & semper tota venerántibus. Testátur ínsuper Cyrillus Jerosolymitánus in Catechésibus suis quartâ & décimâ, Crucis ligno in partes secto universum jam orbem esse replétum.

℟. Exíguo ligno hómines liberáti sunt. * Benedíctum est enim lignum, per quod fit justítia. † Allelúia. ℣. Peccáta nostra Christus ipse pértulit in córpore suo super lignum. * Benedíctum. ℣. Glória. † Allelúia. *Sap.* 14. *I. Petr.* 2.

IN III. NOCTURNO.

I. Canticum. *Sap.* 16.

Hebræi serpentum morsu castigati, & æneo serpente erecto sanati, Hominis per peccatum vulnerati & per crucem liberati, typus.

POpulo tuo, Dómine, supervénit sæva bestiárum ira, * mórsibus perversórum colubrórum exterminabantur.

Sed non in perpétuum ira tua permansit, * sed ad correptiónem in brevi turbáti sunt,

Signum habentes salútis: * ad commemoratiónem mandáti legis tuæ.

Qui enim conversus est, non per hoc quod vidébat sanabátur, * sed per te ómnium Salvatórem.

In hoc autem ostendisti inimícis nostris, * quia tu es qui líberas ab omni malo.

Illos enim locustárum & muscárum occidérunt morsus, & non est inventa sánitas ánimæ illórũ; * quia digni erant ab hujuscémodi exterminári.

II. Canticum.

FIlios autem tuos, Dómine, nec dracónum venenatórum vicérunt dentes; * misericórdia enim tua advéniens sanábat illos.

In memóriâ enim sermónum tuórum examinabantur, * & velóciter salvabantur;

Ne in altam incidentes obliviónem, * non possent tuo uti adjutório.

Etenim neque herba, neque malagma sanávit eos; * sed tuus, Dómine, sermo, qui sanat ómnia.

III. Canticum.

TU es enim, Dómine, qui vitæ & mortis habes potestátem, * & dedúcis ad portas mortis, & redúcis.

Homo autem occídit quidem per malítiam; * & cùm exíerit spíritus, non revertétur:

Nec revocábit ánimam quæ recepta est; * sed tuam manum effúgere impossíbile est.

Negantes enim te nosse ímpii, * per fortitúdinem bráchii tui flagelláti sunt.

Ant. Salva nos, Deus, Salvátor noster, & cóngrega nos, & érue de géntibus; ut confiteámur nómini sancto tuo, & exsultémus in carmínibus tuis. Allelúia. *I. Paral.* 16.

℣. Deus noster, Deus salvos faciendi, ℟. Et Dómini Dómini éxitus mortis. *Ps.* 67.

LECTIO IX.

Ex Epistolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 1.

NOn misit me Christus baptizáre, sed evangelizáre: non in sapiéntiâ

verbi, ut non evacuétur crux Christi. Verbum enim crucis pereúntibus quidem stultítia est; iis autem qui salvi fiunt, id est, nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim: Perdam sapiéntiam sapiéntium, & prudéntiam prudéntium reprobábo. Ubi sápiens? ubi scriba? ubi conquisítor hujus séculi? Nonne stultam fecit Deus sapiéntiam hujus mundi?

℟. Si quis vidétur inter vos sápiens esse in hoc século, stultus fiat, ut sit sápiens. * Sapiéntia enim hujus mundi, stultítia est apud Deũ. Allelúia. ℣. Quæ stulta sunt mundi elégit Deus, ut confundat sapientes; * Sapiéntia. *I. Cor.* 3 *&* 1.

LECTIO X.

NAm quia in Dei sapiéntiâ non cognóvit mundus per sapiéntiam Deum: plácuit Deo per stultítiam prædicatiónis salvos fácere credentes. Quóniam & Judæi signa petunt, & Græci sapiéntiam quærunt: nos autem prædicámus Christum crucifixum: Judæis quidem scándalum, Géntibus autem stultítiam; ipsis autem vocátis Judæis atque Græcis, Christum Dei virtútem, & Dei sapiéntiam. Quia quod stultum est Dei, sapiéntius est homínibus; & quod infirmum est Dei, fórtius est homínibus.

℟. Quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus sum propter Christum detrimenta, * Ad cognoscendum illum, & virtútem resurrectiónis ejus, & societátem passiónum illíus, Allelúia. ℣. Exístimo ómnia detrimentum, esse propter eminentem sciéntiam Jesu Christi Dómini mei, propter quem ómnia detrimentum feci. * Ad. *Philip.* 3.

LECTIO XI.

VIdéte enim vocatiónem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nóbiles. Sed quæ stulta sunt mundi elégit Deus, ut confundat sapientes: & infirma mundi elégit Deus, ut confundat fórtia; & ignobília mundi, & contemptibília elégit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrúeret; ut non gloriétur omnis caro in conspectu ejus. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapiéntia à Deo, & justítia, & sanctificátio, & redémptio, ut quemádmodum scriptum est: Qui gloriátur, in Dómino gloriétur.

℟. Mihi absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi, * Per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.

Allelúia. ℣. In Dómino congaudébo, & exsultábo in Deo Jesu meo, * Per quē. *Galat. 6. Habac. 3.*

Lectio XII. *Cap. 2.*

Et ego cùm venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitáte sermónis aut sapiéntiæ, annúntians vobis testimónium Christi. Non enim judicávi me scire áliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum. Et ego in infirmitáte & tremóre multo fui apud vos. Et sermo meus, & prædicátio mea, non in persuasibílibus humánæ sapiéntiæ verbis, sed in ostensióne spíritûs & virtútis: ut fides vestra non sit in sapiéntiâ hóminum, sed in virtúte Dei. Sapiéntiam autem lóquimur inter perfectos; sapiéntiam verò non hujus séculi, neque príncipum hujus séculi, qui destruuntur; sed lóquimur Dei sapiéntiam in mystério, quæ abscóndita est, quam prædestinávit Deus ante sécula in glóriam nostram. Quam nemo príncipum hujus séculi cognóvit: si enim cognovissent, nunquam Dóminum glóriæ crucifixissent.

℟. Legi mórtuus sum, ut Deo vivam: quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Fílii Dei, * Qui diléxit me, & trádidit semetipsum pro me. † Allelúia. ℣. Christo confixus sum cruci: vivo autem, jam non ego: vivit verò in me Christus. * Qui. ℣. Glória. † Allelúia. *Galat. 2.*

Evangelium.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joannem.

Cap. 3.

Erat homo ex Pharisæis, Nicodémus nómine, princeps Judæórum. Hic venit ad Jesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister: nemo enim potest hæc signa fácere, quæ tu facis, nisi fúerit Deus cum eo. Respondit Jesus, & dixit ei; Amen, amen, dico tibi, nisi quis renátus fúerit dénuò, non potest vidére regnum Dei. Dicit ad eum Nicodémus: Quómodo potest homo nasci, cùm sit senex? Numquid potest in ventrem matris suæ iterátò introíre, & renasci? Respondit Jesus: Amen, amen dico tibi, nisi quis renátus fúerit ex aquâ & Spíritu sancto, non potest introíre in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex Spíritu, spíritus est. Non miréris quia dixi tibi: Oportet vos nasci dénuò. Spíritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis; sed nescis unde véniat, aut quò vadat: sic est omnis qui

natus est ex Spíritu. Respondit Nicodémus, & dixit ei : Quómodo possunt hæc fieri? Respondit Jesus, & dixit ei : Tu es magister in Israel, & hæc ignóras? Amen, amen dico tibi, quia quod scimus lóquimur, & quod vídimus testámur, & testimónium nostrum non accípitis. Si terréna dixi vobis, & non créditis, quómodo, si díxero vobis cœléstia, credétis? Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Fílius hóminis, qui est in cœlo. Et sicut Móyses exaltávit serpentem in deserto, ita exaltári oportet Fílium hóminis; ut omnis qui credit in ipsum, non péreat, sed hábeat vitam ætérnam.

AD LAUDES.

Antiphonæ.

I. Christus mórtuus est pro peccátis nostris, & resurréxit tértiâ die secundùm Scriptúras. Allelúia. *I. Cor.* 15.

II. Delens quod adversus nos erat chirographum decréti, quod erat contrárium nobis, & ipsum tulit de médio, affigens illud cruci. Allelúia. *Coloss.* 2.

III. Complácuit per eum reconciliáre ómnia in ipsum, pacíficans per sánguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. Allelúia. *Coloss.* 1.

IV. Ipse est pax nostra, solvens inimicítias in carne suâ, ut reconcíliet Deo per crucem. Allelúia. *Ephes.* 2.

V. Verbum crucis pereúntibus quidem stultítia est; iis autem qui salvi fiunt, id est, nobis, Dei virtus est. Allelúia. *I. Cor.* 1.

Lectio. *I. Cor.* 1.

Prædicámus Christum crucifixum, Judæis quidem scándalum, Géntibus autem stultítiam; ipsis autem vocátis Judæis atque Græcis, Christum Dei virtútem, & Dei Sapiéntiam.

℟. *br.* Remisísti, Dómine, iniquitátem plebis tuæ; * Allelúia, allelúia. ℟. Remisísti. ℣. Operuísti ómnia peccáta eórum. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Remisísti. *Ps.* 84.

Hymnus. *S. V.*

Crux, sola languórum Dei
Pendentis in te cónscia!
Ejus dolóres íntimos,
Dic verba, dic suspíria.

Clavi pedes, clavi manus
Fixére duro stípiti,
Cinctum cruentis vépribus
In te recumbébat caput.

Cum morte luctantis Dei
Legis suprémos spíritus:
Christus tuo volens mori,
Vitam relíquit in sinu.

Tu lectus in quo nos parit,

Suggestus, è quo nos docet;
Olim tremendum sóntibus
Eris tribúnal Júdicis.
Da, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere,
Amáre da cœléstia.
Qui per Crucem nos líberas,
Jesu, tibi laus máxima,
Cum Patre, nec tibi minor
Laus, utriusque Spíritus. Amen.

℣. Dícite in Géntibus quia Dóminus regnávit à ligno. ℟. Judicábit pópulos in æquitáte. *Ps.* 95. *Sec. LXX.*

Ad Benedictus. *Ant.* Parébit signum Fílii hóminis in cœlo; & vidébunt Fílium hóminis veniéntem in núbibus cœli, cum virtúte multâ & majestáte. Allelúia. *Matth.* 24.

Collecta. *Sacr. Gelas.*

Deus, qui in præclárâ salutíferæ Crucis Inventióne, Passiónis tuæ mirácula suscitasti; † concéde, ut vitális ligni prétio, * ætérnæ vitæ suffrágia consequámur; Qui vivis.

AD PRIMAM.

Canon.

Ex Concílio secundo Constantinopolitáno. *An.* 553. *Can.* 10.

Si quis non confitétur Dóminum nostrum Jesum Christum, qui crucifixus est carne, Deum esse verum, & Dóminum glóriæ, & unum de Sanctâ Trinitáte; talis anáthema sit.

AD TERTIAM.

Lectio. *Ephes.* 1.

In Christo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum, † secúndùm divítias grátiæ ejus, * quæ superabundávit in nobis.

℣. Copiósa apud eum redémptio, ℟. Et ipse rédimet Israel ex ómnibus iniquitátibus ejus. *Ps.* 129.

AD SEXTAM.

Lectio. *Hebr.* 2.

Vidémus Jesum, propter passiónem mortis, glóriâ & honóre coronátum, ut grátiâ Dei pro ómnibus gustáret mortem. † Decébat enim eum, propter quem ómnia, & per quem ómnia, qui multos fílios in glóriam addúxerat, * autórem salútis eórum per passiónem consummáre.

℣. Minuisti eum paulò minùs ab Angelis, ℟. Glóriâ & honóre coronasti eum. *Ps.* 8.

AD NONAM.

Lectio. *Philip.* 2.

Humiliávit semetipsū, factus obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis. † Propter quod

& Deus exaltávit illum, * & donávit illi nomen quod est super omne nomen.

℣. Exsultábunt lábia mea, cùm cantávero tibi, ℟. Et ánima mea quam redemisti. *Ps.* 70.

AD II. VESPERAS.

ANTIPHONÆ.

I. CHristus crucifixus est ex infirmitáte; sed vivit ex virtúte Dei. Allelúia. *II. Cor.* 13.

II. Nos infirmi sumus in illo, sed vivémus cum eo ex virtúte Dei. Allelúia. *II. Cor.* 13.

III. Vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruátur corpus peccáti, & ultrà non serviámus peccáto. Allelúia. *Rom.* 6.

IV. Si complantáti facti sumus similitúdini mortis ejus, simul & resurrectiónis érimus. Allelúia. *Rom.* 6.

LECTIO. *I. Petr.* 1.

NOn corruptibílibus auro vel argento redempti estis de vanâ vestrâ conversatióne paternæ traditiónis; † sed pretióso sánguine quasi Agni immaculáti Christi * & incontamináti.

℟. *br.* In humilitáte nostrâ memor fuit nostri, * Allelúia, allelúia. ℟. In. ℣. Et redémit nos ab inimícis nostris. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. In. *Ps.* 135.

Hymnus, Signum: *ut supra*, *pag.* 596.

℣. Omnis terra adóret te, & psallat tibi; ℟. Psalmum dicat nómini tuo, Dómine. *Ps.* 65.

Ad Magníficat. *Ant.* Dignus est Agnus, qui occísus est, accípere virtútem, & divinitátem, & sapiéntiam, & fortitúdinem, & honórem, & glóriam, & benedictiónem. Allelúia. *Apoc.* 5.

DIE VI.

S. JOANNIS *EVANGELISTÆ*, ANTE PORT-LATINAM, *COMMEMORATIO.*

Ant. Cálicem quem ego bibo, bibétis; & baptísmo quo ego baptízor, baptizabímini. Allelúia. *Marc.* 10.

℣. Impinguasti in óleo caput meum; ℟. Et calix meus inébrians quàm præclárus est! *Ps.* 22.

COLLECTA. *Brev. Senon.*

DEus, qui beátum Joannem partícipem in tribulatióne & patiéntiâ Dómini Jesu, óleo sanctæ exsultatiónis unxisti; † fac nos tantæ imitatióne virtútis, ejusdem Christi passiónibus communicantes sic gaudére, * ut in revelatióne glóriæ ejus gaudeámus exsultantes; Qui tecum vivit.

Die IX.

S. GREGORII NAZIANZENI, EPISCOPI ET ECCLESIÆ DOCTORIS.

Omnia de Communi Doctorum, exceptis quæ sequuntur.

Lectio III.

Ex ipsius S. Gregorii Carm. & Orat. & ex antiquis Scriptoribus.

GRegórius, ob singulárem divinárum litterárum sciéntiam Theólogus appellátus, Arianzi in Cappadóciâ secundâ natus est Gregório patre, qui póstea Nazianzénæ Ecclésiæ curã suscépit, & Nonnâ matre, quæ nondum in lucem éditum Deo consecrávit. Présbyter à Patre, invítus licet, creátus: mox ne ab eódem Epíscopus consecrarétur, fugit in Ponti solitúdinem, ubi cum Basílio monásticæ vitæ instítúta cóndidit. Imperante Juliáno, Nazianzum venit, ubi patrem nonagenárium, qui deceptus ab Ariánis confessióni Ariminensi subscrípserat, adduxit ut subscriptiónem revocáret. Sasimórum Ecclésiæ à Basílio præfectus, ne causa esset dissídii Basílium inter & Anthimum Tyanensem Epíscopum de Sasimórum óppido, episcopátu cessit. Constantinópolim ad restaurandam hujus civitátis Ecclésiam missus, Ariános & Apollinarístas expugnávit: multísque ab hæresi revocátis, lapídibus ob fidem Trinitátis appetítus, orat pro persecutóribus, & ut seditiósus tráhitur ad judícium, sed absólvitur. Tantis perfunctum labóribus Gregórium Petrus Alexandrínus Constantinopolitanórũ Epíscopum per epístolas instítuit: sed stúdio pacis Gregórius se ábdicat. Rus deinde secessit, ubi mónachi vitam agens, gravíssimas carnis tentatiónes oratiónibus, jejúniis, ac vigíliis superávit. Demũ Theodósio imperante, decessit; multis super ægros & energúmenos patrátis, dum víveret, miráculis.

℞. Si quis erráverit à veritáte; & convérterit quis eum, scire debet, * Quóniam qui convertí fécerit peccatórem ab erróre viæ suæ, salvábit ánimam ejus à morte, & opériet multitúdinem peccatórum. † Allelúia. ℣. Adtende tibi & doctrínæ; hoc enim fáciens, & teipsum salvum fácies, & eos qui te áudiunt; * Quóniam. ℣. Glória. † Allelúia. *Jac.* 5. *I. Tim.* 4.

Die XIV.
S. Pachomii, Abbatis, Commemoratio.

Collecta, Deus, cujus múnere. *de Communi Abbatum, pag.* xlix.

Die XXI.
S. Mariæ Ægyptiæ, Pœnitentis, Commemoratio.

Ant. Revértere, aversátrix, ait Dóminus, & non avertam fáciem meam; quia sanctus ego sum, & non irascar in perpétuum. Allelúia. *Jerem.* 3.

℣. Miserátor & miséricors Dóminus: ℟. Longánimis, & multùm miséricors. *Ps.* 102.

Collecta. *Brev. Paris.*

Largire nobis, miséricors Deus, † ut beáta María Ægyptia, quæ te super ómnia diligendo, suórum accépit véniam delictórum, * pœniténtiæ salutáris donum nobis obtíneat; Per Dóminum.

Die XXVI.
S. Augustini, Cantuar. Episcopi Angl. Apostoli, Commemoratio.

Collecta, Omnípotens Deus, qui. *de Communi Pontificum, pag.* xxx.

Festa Junii.

Die II.
SS. Pothini, Lugdun. Episcopi, Blandinæ, Virginis, et Sociorum Mart.

Omnia de Communi plurium Martyrum, exceptis quæ sequuntur.

Lectio III.

Ex Epístolâ Ecclesiárum Viennensis & Lugdunensis ad Ecclésias Asiæ & Phrygiæ. *Apud Euseb. Hist. Eccl. Lib.* 5. *Cap.* 1 *& seq. Edit. Vales.*

Beatíssimus Pothínus, qui Episcopátum Lugdunensis Ecclésiæ administrábat, nonagenário major, & córpore ádmodum infirmo, sed præ cupiditáte imminentis Martyrii mirábili alacritáte ánimi firmátus, ad tribúnal perlátus à milítibus, prosequéntibus ipsum magistrátibus civitátis, & universâ plebe váriis eum acclamatiónibus impetente, tamquàm ipse Christus esset, egrégium édidit testimónium. Interrogátus à Præside, quisnam esset Christianórum Deus, respóndit: Si dignus fíeris, cognosces. Post hæc inhumánè raptátus atque innúmeris plagis affectus est;

cùm ii quidem qui própiùs adstábant, cálcibus & pugnis illum contumeliósè appéterent; qui verò lóngiùs distábant, quidquid ad manum erat in ipsum conjícerent; omnes dénique gravíssimi piáculi reos se existimárent, nisi pro suâ quisque parte ei petulanter insultárent. Quippe hoc modo injúriam deórũ suórum ultúros se arbitrabantur. Exinde vix adhuc spirans, in cárcerem projectus est; tandemque post bíduum ánimam exhalávit. Alii sanctíssimi Mártyres ex utrâque Ecclésiâ Viennensi & Lugdunensi ducti sunt ad béstias in amphitheátrum; & máximo certámine perfuncti, tandem jugulári sunt. Blandína verò ancilla ad palum suspensa, béstiis objecta est. Quæ cùm in crucis spéciem suspensa cernerétur, Deóque intentíssimè supplicáret, máximam alacritátem addébat certántibus; quippe qui sub sorróris persónâ cernerent illum qui pro ipsis crucifixus est. Cùmque nulla tunc béstia corpus ejus adtigisset, depósita ex stípite, in cárcerem conjícitur, in áliud certámen reserváta. Ultimo tandem spectaculórum die, Blandína rursus illáta est; & post flagra, post ferárum vellicatiónes, post sartáginem, retículo inclúsa, tauro objecta est, à quo diu in altum jactáta, tandem & ipsa víctimæ instar juguláta est. Qui quidem Mártyres Christum imitári tantóperè studuérunt, ut quàmvis sæpiùs Martyrium subiissent, tamen nec se-ipsos Mártyres prædicárent, nec à nobis ita se appellári paterentur. Martyrii enim appellatiónem libentíssimè concedébant Christo, útpote fido veróque testi & primogénito mortuórum, vitæque cœlestis príncipi & autóri. Simul profúsis lácrymis obsecrábant fratres ut continuæ ad Deum preces fierent, quo tandem ipsi perfectum finem adipisci mererentur. Passi sunt anno décimo séptimo Marci Aurélii Imperatóris. Itẽ hâc die, Diocletiáno & Maximiáno in Christiános sæviéntibus, pro Christi fide cápite truncáti sunt Marcellínus Ecclésiæ Románæ présbyter, & Petrus exorcista, quorum laudes célebrat sanctus Dámasus Papa, & quotídie nomen in altáris sacrificio commemorátur.

℞. Vicérunt propter sánguinem Agni, & propter verbum testimónii sui, & non dilexérunt ánimas suas usque ad mortem: * Proptérea lætámini, cœli, & qui habitátis in eis. † Allelúia. ℣. Módico dolóre sustentáto, sub testamento ætérnæ vitæ effecti sunt.

* Proptérea. ℣. Glória. † Allel. *Apoc.* 12. *II. Mac.* 7.

COLLECTA. *Miss. Goth.*

DEus fidélium insuperábilis fortitúdo, qui inter mundánæ conversatiónis adversa, Sanctórum tuórum nos glorificatióne consoláris; † illam quæ in beátis martyribus tuis Pothíno Pontífice, Blandínâ Vírgine & sóciis flagrávit fortis diléctio, * benignus in nobis adspíra; Per Dóminum.

Commemoratio SS. MARCELLINI & PETRI, MART.

COLLECTA. *Brev. Paris.*

DA nobis, omnípotens Deus, inter hujus vitæ discrímina, continuum grátiæ tuæ præsídium † qui Sanctis Martyribus Marcellíno & Petro fídei tuæ constántiam, * ut hostem antíquum víncerent, contulísti; Per Dóminum.

DIE V.

S. BONIFACII, MOGUNTINI EPISCOPI ET MARTYRIS,

COMMEMORATIO.

Collecta. Deus, cujus grátiâ. *de Communi unius Martyris Pontif. pag.* ix.

DIE VII.

S. NORBERTI, MAGDEBURGENSIS EPISC.

COMMEMORATIO.

Collecta. Omnípotens Deus. *de Communi Pontificum, pag.* xxx.

DIE XI.

S. BARNABÆ, APOSTOLI.

Festivitas III. Classis.

¶ *De eo fieri non potest Officium Tempore Paschali, nisi Feriâ sextâ post Octavam Ascensionis.*

Pridie.

AD VESPERAS.

Commemoratio.

Ant. Joseph, qui cognominátus est Bárnabas ab Apóstolis, cùm habéret agrum, véndidit eum, & áttulit prétium, & pósuit ante pedes Apostolórum. Allelúia. *Act.* 4.

℣. Beátus qui intélligit super egénum & páuperem; ℟. In die malâ liberábit eum Dóminus. *Ps.* 40.

Collecta infrà ad Laudes, pag. 616.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Caput córporis Ecclésiæ Dóminum; * Veníte, adorémus. Allelúia. *Coloss.* 1.

HYMNUS. *S. V.*

CŒlo datur quiéscere,
Terris relictis, Bárnaba:
Solemnis hæc affert tuis
Finem dies labóribus.
Quem propter, agro véndito,

Opes cadúcas déseris,
Magno rependens fœnore
En fundus ipse sit tuus.
Tu sacra per jejúnia,
Tu públicas inter preces,
Jubente sancto Spíritu,
Christi creáris núntius.
Da, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.
Uni sit & Trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. I. Bárnabas apprehensum Saulum duxit ad Apóstolos: & narrávit illis quómodò in viâ vidisset Dóminum, & quia locútus est ei. Allelúia. *Act.* 9.

II. Quidam ex iis qui dispersi fúerant à tribulatióne quæ facta fúerat sub Stéphano, cùm introissent Antiochíam, loquebantur & ad Græcos, annuntiantes Dóminum Jesum; Allelúia. *Act.* 11.

III. Erat manus Dómini cum eis: multusque númerus credéntium conversus est ad Dóminum. Allelúia. *Act.* 11.

IV. Misérunt Apóstoli Bárnabam usque ad Antiochíam; qui cùm pervenisset, & vidisset grátiam Dei, gávisus est. Allelúia. *Act.* 11.

V. Profectus est Bárnabas Tarsum ut quæreret Saulum, quem cùm invenisset, perduxit Antiochíam. Allelúia. *Act.* 11.

VI. Annum totum conversáti in Ecclésiâ, docuérunt turbam multam; ita ut cognominarentur discípuli Christiáni. Allelúia. *Act.* 11.

℣. Ego in Dómino gaudébo, ℟. Et exsultábo in Deo Jesu meo. *Habac.* 3.

Lectiones cum ℟℟. de Scripturâ occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Ant. I. Bárnabas hortabátur omnes in propósito cordis permanére in Dómino, quia erat vir bonus, & plenus Spíritu sancto, & fide. Allelúia. *Act.* 11.

II. Disseminabátur verbum Dómini: & audientes Gentes gavísæ sunt, & glorificábant verbum Dómini. Allelúia. *Act.* 13.

III. Judæi autem excitavérunt persecutiónem in Paulum & Bárnabam, & ejecérunt eos de fínibus suis. Allelúia. *Act.* 13.

IV. Bárnabas & Paulus venérunt Icónium; & illìc fiduciáliter agébant in Dómino, testimónium perhibente verbo grátiæ suæ. Allelúia. *Act.* 13 & 14.

V. Cùm factus esset im-

petus Gentílium & Judæórum ut contuméliis affícerent & lapidárent eos, confugérunt ad civitates Lycaóniæ, Lystram & Derben, & ibi evangelizantes erant. Allelúia. *Act.* 14.

VI. Reversi sunt Bárnabas & Paulus per civitátes, confirmantes ánimas discipulórum, exhortantesque ut permanérent in fide. Allelúia. *Act.* 14.

℣. Non nobis, Dómine, non nobis, sed nómini tuo da glóriam, ℟. Super misericórdiâ tuâ & veritáte tuâ. *Ps.* 113.

LECTIO V.

Ex Demonstratióne sancti Joannis Chrysóstomi contra Judæos & Gentíles, quòd Christus sit Deus. *Edit. Bened. n.* 13.

PEr Apóstolos, seu per piscatóres idiótas, illiterátos, hanc Ecclésiam ædificávit Dóminus, quæ à finibus usque ad fines terræ exténditur. Neque hoc solùm mirábile est: quòd idiótæ, páuperes, pauci, ignóbiles, illiteráti ac viles, altérius linguæ, despicabilesque hómines, quibus totíus orbis emendátio commissa fúerat, non illud in pace fécerint, sed innúmeris úndique bellis exagitári. Per síngulas quippe gentes & urbes, per síngulas étiã domos bella contra ipsos movebantur.

℟. Tradémini à paréntibus, & frátribus, & cognátis, & amícis, & morte afficient ex vobis: * Et éritis ódio ómnibus propter nomen meum. All. ℣. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum; * Et éritis. *Luc.* 21. *Matth.* 10.

LECTIO VI.

INgressa namque doctrína, filiumque à patre sæpe dívidens, nurum à socru, fratrem à fratre, servum à Dómino, súbditum à príncipe, virum ab uxóre, uxórem à viro, patrem à filiis; non enim simul omnes credébant; quotidiánas inimicítias, bella frequéntia, mille mortes ipsis inducébat, efficiebatque ut sese mútuò quasi commúnes hostes aversarentur. Etenim eos pellébant universi, reges, príncipes, idiótæ, líberi, servi, pópuli, civitátes. Neque illos tantùm; sed quod grávius erat, neóphytos in fide quos illi instituébant.

℟. Nolíte arbitrári quia pacem vénerim míttere in terram. Veni enim separáre hóminem adversùs patrem suum, & filiam adversùs matrem suam; * Et inimíci hóminis doméstici ejus. Allelúia. ℣. Nolíte crédere amíco: quia fílius contuméliam facit patri, & fília consurgit adversùs matrem suã; * Et. *Matth.* 10. *Mich.* 7.

LECTIO VII.

COmmúne namque bellum & doctóribus & diſcípulis excitabátur, quippe cum doctrína illa & régiis ſanctiónibus & conſuetúdini adversári viderétur. Síquidem hortabantur ut ab idólis absíſterent, aras deſpícerent, quas & patres & majóres eórum colúerant, ab impúris dogmátibus reſilírent, ridérent ſolemnitátes, initiatiónes reſpúerent, quæ ipſis máximè tremenda & formidabília videbantur: pro quibus ánimam dare maluiſſent, quàm eórum dicta admíttere, & in natum ex Maríâ crédere, qui ad præſidis tribúnal ductus, ſputis dehoneſtátus, innuméraque paſſus, exſecrandâ morte affectus, ſepultuſque reſurrexiſſet. Quodque ſtupendum erat, cruciátus ómnibus noti erant, flagella nempe, cólaphi, contumeliæ oris ſputo dehoneſtáti, plagæ, crux, ſepultúra quaſi grátiæ nómine impetráta; ſed quæ ad reſurrectiónem ſpectábant non item; ſolis enim diſcípulis poſt reſurrectiónem ſuam appáruit.

℟. Oportébat Chriſtum pati, & resúrgere à mórtuis tértiâ die: & prædicári in nómine ejus pœniténtiam. * Vos autem teſtes eſtis horum. Allel. ℣. Vobis datum eſt noſſe myſtérium regni Dei; * Vos autem. *Luc.* 24. *Marc.* 4.

LECTIO VIII.

ATtamen hæc dicendo perſuadébant, & ſic Eccléſiâ ædificábant. Quo pacto & quâ ratióne? Virtúte jubentis: ipſe namque viam parábat, ipſe ómnia difficília facília reddébat. Niſi enim divína quædam virtus hæc perpetraſſet, ne vel princípium quidem aut exórdium hæc habuiſſent. Quo enim id modo fieri potuiſſet? Verùm is qui díxerat: Fiat cœlum, & opus exhíbuit; lúceat ſol, & aſtrum oſtendit; quique ómnia verbo operátus eſt; ille étiam has Eccléſias plantávit. Et verbum illud: Ædificábo Eccléſiam meã, hæc ómnia operátum eſt. Tália quippe ſunt verba Dei, ópera exhibent: ópera mirabília atque ſtupenda.

℟. Non eſt inveſtigátio ſapiéntiæ ejus; qui dat laſſo virtútem, * Et his qui non ſunt, fortitúdinem & robur multíplicat. † Allelúia. ℣. Infirma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia; * Et his. ℣. Glória. † Allelúia. *Iſai.* 40. *I. Cor.* 1.

IN III. NOCTURNO.

Cantica, Ant. & ℣. ut in feſto S. Marci, ſuprà, *pag.* 580.

dedúcti ab Ecclésiâ, pertransíbant narrantes conversiónem Géntium. Allelúia. *Act.* 15.

V. Cùm venissent Jerosólymam, suscepti sunt ab Ecclésiâ, & ab Apóstolis, & à senióribus, annuntiantes quanta Deus fecisset cum illis. Allelúia. *Act.* 15.

LECTIO. *Act.* 15.

TAcuit omnis multitúdo, & audiébant Bárnabam & Paulum narrantes quanta Deus fecisset signa & prodígia in Géntibus per eos.

℟. *br.* In Deo laudábimur totâ die. * Allelúia, allelúia. ℟. In Deo. ℣. Et in nómine tuo confitébimur in séculum. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. In Deo. *Ps.* 43.

HYMNUS. *S. V.*

QUas non adis mundi plagas,
Pauli labórum párticeps?
Vos unus ambo spíritus,
Vos una junxit cáritas.

Quam vestra gens Christi fidem
Luci rebellis réppulit,
Nil hæsitantes bárbaris
Portastis illam Géntibus.

Fac, Christe, nostris se tuum
Cùm lumen offert méntibus,
Amóre ne noctis suæ
Cœleste donum réspuant.

Da, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.

Uni sit & Trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Annúntient nomen Dómini, & laudem ejus in Jerúsalem; ℟. In conveniendo pópulos in unùm. *Ps.* 101.

Ad Benedictus. *Ant.* Jacóbus, Cephas & Joannes dextras dedérunt mihi & Bárnabæ societátis; ut nos in Gentes, ipsi autem in circumcisiónem: tantùm ut páuperum mémores essémus. Allelúia. *Gal.* 2.

COLLECTA. *Brev. Paris.*

DEus, qui beátum Bárnabam plenum fide & Spíritu sancto ad opus conversiónis Géntium assúmere dignátus es: † concéde propítius; * ut mémores labóris & caritátis ejus, dignè Evangélio Christi, quod prædicávit, conversári mereámur; Per eumdem Dóminum.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Rom.* 9.

GEntes quæ non sectabantur justítiam, apprehendérunt justítiam; ju-

stitiam autem quæ ex fide est. † Israel verò sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervénit. * Quare? quia non ex fide, sed quasi ex opéribus.

℣. In conspectu Géntium revelávit justítiam suam: ℟. Recordátus est misericórdiæ suæ. *Ps.* 97.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Gal.* 2.

SUbintroiérunt falsi fratres exploráre libertátem nostram quam habémus in Christo Jesu, ut nos in servitútem redigerent: † quibus neque ad horam céssimus subjectióne, * ut véritas Evangélii permáneat apud vos.

℣. Confirmáta est super nos misericórdia Dómini: ℟. Et véritas ejus manet in æternum. *Ps.* 116.

AD NONAM.

LECTIO. *II. Cor.* 4.

ABdicámus occulta dedécoris, non ambulantes in astútiâ, neque adulterantes verbum Dei; † sed in manifestatióne veritátis commendantes nosmetipsos, * ad omnem consciéntiam hóminum coram Deo.

℣. In beneplácito tuo exaltábitur cornu nostrum, ℟. Quia Dómini est assúmptio nostra. *Ps.* 88.

AD II. VESPERAS.

ANTIPHONÆ.

I. PLácuit Apóstolis & senióribus, viros míttere Antiochíam cum Paulo & Bárnabâ, scribentes per manus eórum. Allelúia. *Act.* 15.

II. Descendérunt Antiochíam; & congregátâ multitúdine, tradidérunt epístolam: quam cùm legissent, gavísi sunt super consolatióne. Allelúia. *Act.* 15.

III. Paulus & Bárnabas demorabantur Antiochíæ, docentes, & evangelizantes cum áliis plúribus verbum Dómini. Allelúia. *Act.* 15.

IV. Bárnabas assumpto Marco, navigávit in Cyprum; Paulus verò electo Silâ perambulábat Syríam. Allelúia. *Act.* 15.

LECTIO. *II. Cor.* 2.

DEo grátias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu, † & odórem notítiæ suæ * manifestat per nos in omni loco.

℟. *br.* Iniquè non égimus in testamento tuo Dómine, * Allelúia, allelúia. ℟. Iniquè. ℣. Et non recessit cor nostrum. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Iniquè. *Ps.* 43.

Hymnus, Quas non adis, *ut ad Laudes.*

℣. Dedisti nos tamquàm oves escárum, ℟. Et in géntibus dispersisti nos. *Ps.* 43.

Ad Magníficat. *Ant.* Bárnabas & Paulus tradidérunt ánimas suas pro nómine Dómini nostri Jesu Christi. Allelúia. *Act.* 15.

DIE XIX.

Fit Commemoratio Sanctorum GERVASII & PROTASII, MARTYRUM. *Collecta*, Omnípotens.... qui Sanctis tuis. *de Commun. plurium Mart. pag.* xix.





COMMUNE SANCTORUM.

PARS VERNA.

COMMUNE UNIUS MARTYRIS.

AD I. VESPERAS.

Antiphonæ.

I. JUstus quasi leo confídens, absque terróre erit. Allelúia. *Prov.* 28.

II. In tentatióne Deus illum conservábit & liberábit à malis; & non illidétur quasi in procellâ navis. Allelúia. *Eccli.* 33.

III. Bonus Dóminus, & confortans in die tribulatiónis; & sciens sperantes in se. Allelúia. *Nahum,* 1.

IV. Pro certo habet omnis qui te colit, Dómine, quòd vita ejus, si in probatióne fúerit, coronábitur. Allelúia. *Tob.* 3.

Lectio. *Eccli.* 4.

PRo justítiâ agonizáre pro ánimâ tuâ, † & usque ad mortem certa pro justítiâ, * & Deus expugnábit pro te inimícos tuos.

℟. *br.* Dóminus protector vitæ meæ; á quo trepidábo? * Allelúia, allelúia. ℟. Dóminus. ℣. Dóminus illuminátio mea & salus mea. * Allelúia, allelúia. ℣. Glória. ℟. Dóminus. *Ps.* 26.

Hymnus. *S. V.*

EX quo salus mortálium,
Fluxit sacer Dei cruor;
Homo redemptus æmulum
Deo litávit sánguinem.

Non jam Crucis Christi pudet:
Quin surgit ingens glória,
Deum fatéri mórtuum,
Pro mórtuo mori Deo.

Hoc iste plenus spíritu
Ridet minas, ridet neces,
Tuâque fretus dészterâ,
Tibi, Redemptor, mílitat.

Paráta spectans præmia,
Secúrus ad pœnas volat;
Sic pugnat, ut speret mori,
Et morte mortem víncere.

Unus tot armátas manus
Stupente lassat júdice;
Et tortus ipsis qui cadit
Torquéntibus fit fórtior.

Da, Christe, tanti mílitis
Æquáre facta fórtia:
Da sustinére pro tuo,
Quodcumque durum nómine.

Sit laus Patri; laus Fílio
Testi fidéli, quo duce,
Tormenta vincunt Mártyres;
Par sit tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. In Deo sperávi: ℟. Non timébo quid fáciat mihi homo. *Ps.* 55.

Ad Magníficat. *Ant.* Ecce Deus salvátor meus, fiduciáliter agam, & non timébo; quia fortitúdo mea & laus mea Dóminus, & factus est mihi in salútem. Allelúia. *Isai.* 12.

Collecta infrà ad Laudes, nisi sit propria.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Deum patiéntiæ & solátii, * Veníte, adorémus. Allelúia. *Rom.* 15.

HYMNUS. *S. V.*

FElix morte tuâ, qui cruciátibus
Cœlo difficilem rúmpere amas viam,
Et signáre cruóre
Quam Christo déderas fidem?

Pœnis victa quibus defíceret fides?
Tu pœnas ávidâ mente præóccupas:
Cui non súfficit una,
Ambis innúmeras neces.

Te pro lege suâ magnánimum mori
Te Christus púgilem spectat ab æthere:
Ne succúmbere possis,
Tecum prælia sústinet.

Et nos delícias vana per ótia,
Gens infida Deo quærimus ánxii;
Quid torpémus? inertes
Sánguis Mártyris éxcitat.

Patri máxima laus, máxima Fílio;
Amborumque sacro máxima Flámini,
Cujus róbore freti,
Vincunt fúnera Mártyres. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. I. Qui timet Dóminum, nihil trepidábit, & non pavébit; quóniam ipse est spes ejus. Allelúia. *Eccli.* 34.

II. Fortitúdo símplicis, via Dómini: justus in ætérnum non commovébitur. Allelúia. *Prov.* 10.

III. Noli erubéscere testimónium Dñi nostri; collabóra Evangélio secundùm virtútem Dei. Allelúia. *II. Tim.* 1.

IV. Labóra ſicut bonus miles Chriſti Jeſu : nam & qui certat in agóne, non coronábitur, niſi legítimè certáverit. Allelúia. *II. Tim.* 2.

V. Hæc eſt grátia; ſi propter Dei conſciéntiam ſuſtinet quis triſtítias pátiens injuſtè : in hoc enim vocáti eſtis. Allelúia. *I. Petri*, 2.

VI. Qui vícerit, & cuſtodíerit uſque in finem, ópera mea, dabo illi poteſtátem ſuper gentes, ſicut & ego accépi à Patre meo. Allelúia. *Apoc.* 2.

℣. Cantábo, Dómine, fortitúdinem tuam, ℟. Et exſultábo mane miſericórdiam tuam. *Pſ.* 58.

Lectiones cum Reſponſoriis ſuis de Scripturâ occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Ant. I. In ſpe quæ ad patres noſtros repromiſſiónis facta eſt à Deo, ſto judício ſubjectus. Allelúia. *Act.* 26.

II. Zelo zelátus ſum pro Dómino Deo exercítuum; & quærunt ánimam meam, ut áuferant eam. Allelúia. *III. Reg.* 19.

III. Ego ad Dóminum aſpíciam, exſpectábo Deum ſalvatórem meum; áudiet me Deus meus. Allelúia. *Mich.* 7.

IV. Prompto ánimo pro graviſſimis ac ſanctiſſimis légibus honeſtâ morte perfungar. Allelúia. *II. Mach.* 6.

V. E cœlo iſta membra poſſídeo; ſed propter Dei leges hæc ipſa deſpício; quóniam ab ipſo me ea receptúrum ſpero. Allelúia. *II. Mach.* 7.

VI. Propter opus Chriſti, uſque ad mortem accépit, tradens ánimam ſuam. Allelúia. *Phil.* 2.

℣. Adjútor meus, tibi pſallam; ℟. Quia Deus ſuſceptor meus es. *Pſ.* 58.

LECTIO V.

Ex Epíſtolâ ſancti Ignátii, Epíſcopi & Mártyris, ad Romános. *Edit. Cotel. ex Græc. an.* 107. *n.* 5. & 6.

NUnc incípio diſcípulus eſſe. Viſibílium & inviſibílium nihil éxpetam, ut Jeſum Chriſtum áſſequar. Ignis, crux, ferárum concurſus, óſſium diſcerptiónes, membrórum conciſiónes, totíus córporis contritiónes, mala diáboli tormenta, in me véniant; tantúmmodò ut Jeſũ Chriſtum nanciſcar. Nil me juvábunt fines mundi, nec regna hujus ſéculi. Mélius eſt mihi émori propter Jeſum Chriſtum quàm imperáre fínibus terræ. Illum quæro, qui pro nobis mórtuus eſt. Illum volo, qui propter nos reſurrexit. Ille lucrum mihi ádjacet.

℟. Pláceo mihi in infirmitátibus meis, in contu-

méliis, in necessitátibus, in persecutiónibus, in angústiis pro Christo, * Cùm enim infirmor, tunc potens sum. Allelúia. ℣. Vincula & tribulatiónes me manent; sed nihil horum véreor. * Cùm enim. *II. Cor.* 12. *Act.* 20.

LECTIO VI.

IGnóscite mihi, fratres; ne mihi impedimento sitis, quóminùs vivam; ne me velítis mori; cúmque cúpiam Dei esse, per mundum ne separétis me, neque per matériam seducátis. Sínite me purum lumen hauríre. Cùm illìc fúero, homo ero. Sínite me imitatórem esse passiónis Dei mei. Si quis ipsum in se ipso póssidet, intélligat quid volo, & compatiátur mihi, ut qui sciat quæ me constringunt.

℟. Ego non solùm alligári, sed * Et mori parátus sum propter nomen Dómini Jesu. Allelúia. ℣. Animam & corpus meum trado pro pátriis légibus. * Et mori. *Act.* 21. *II. Machab.* 7.

LECTIO VII. *n.* 7.

PRinceps hujus séculi rápere me vult, & voluntátem, quam erga Deum hábeo, corrúmpere. Nullus ítaque vestrûm qui præsentes estis opem ferat: ipsi pótiùs mei sitis, id est, Dei mei. Ne loquámini Jesum Christum, & mundum concupiscátis. Invídia in vobis non hábitet: neque si ego præsens vos óbsecrem, obtemperétis mihi; verùm his pótiùs crédite, quæ vobis scribo. Vivens enim scribo vobis, amóre captus moriendi. Meus amor crucifixus est: & non est in me ignis amans áliquam aquá: sed vivens, & loquens in me, intùs mihi dixit: Veni ad Patrem. Non gáudeo corruptíbili nutrimento, nec voluptátibus hujus vitæ: panem Dei volo; qui est caro Jesu Christi, qui ex génere Davídis: & potum volo sánguinem illíus, qui est cáritas incorruptíbilis.

℟. Dómine, qui habes sanctam sciéntiam, manifestè tu scis quia cùm à morte possem liberári, * Duros córporis sustíneo dolóres: secundùm ánimam verò propter timórem tuum libenter hæc pátior. Allelúia. ℣. Gáudeo in passiónibus, & adímpleo ea quæ desunt passiónum Christi in carne meâ. * Duros. *II. Mach.* 6. *Coloss.* 1.

LECTIO VIII. *n.* 8.

NOlo ampliùs secundùm hómines vívere: id autem fiet, si vos voluéritis. Velítis ergo, ut & vos acceptémini. Brévibus lítteris déprecor vos; crédite mihi. Jesus autem Christus manifestábit vobis hæc, quòd verè dicam; non mendax est in quo Pater verè locútus est. Pétite pro me,

ut cónſequar. Non ſecundùm carnem vobis ſcripſi, ſed ſecundùm Dei arbítriũ. Si pátiar, voluiſtis : ſiñ rejíciar, odiſtis.

℟. Gloriámur in tribulatiónibus ſcientes quòd tribulátio patiéntiam operátur, patiéntia autem probatiónem, probátio verò ſpẽ; * Spes autem non confundit. † Allelúia. ℣. Deo ſubjecta eſto, ánima mea; quóniam ab ipſo patiéntia mea, & ſpes mea in Deo eſt. * Spes autem. ℣. Glória. † Allelúia. *Rom.* 5. *Pſ.* 61.

IN III. NOCTURNO.

I. Canticum. *Eccli.* 51.

Dei laus, exaltatio, & de miſericòrdiis ejus gratiarum actio.

COnfitébor tibi, Dómine Rex, * & collaudábo te Deum ſalvatórem meum.

Confitébor nómini tuo, * quóniam adjútor & protector factus es mihi.

Et liberaſti corpus meum à perditióne, à láqueo linguæ iníquæ, & à lábiis operántium mendácium; & in conſpectu adſtántium * factus es mihi adjútor.

Et liberaſti me ſecundùm multitúdinem miſericórdiæ nóminis tui, * à rugiéntibus præparátis ad eſcam,

De mánibus quæréntium ánimam meam, * & de portis tribulatiónum quæ circumdedérunt me.

II. Canticum. *Ibid.*

LAudábit uſque ad mortem ánima mea Dóminum, * & vita mea appropinquans erat in inferno deorsùm.

Circumdedérunt me úndique; * & non erat qui adjuváret.

Reſpíciens eram ad adjutórium hóminum, * & non erat.

Memorátus ſum miſericórdiæ tuæ, Dómine, * & operatiónis tuæ, quæ à ſéculo ſunt.

Quóniam éruis ſuſtinentes te, Dómine, * & líberas eos de mánibus géntiũ.

III. Canticum. *Ibid.*

EXaltaſti ſuper terram habitatiónem meam, * & pro morte defluente deprecátus ſum.

Invocávi Dóminum Patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ, * & in témpore ſuperbórum ſine adjutório.

Laudábo nomen tuum aſsíduè, & collaudábo illud in confeſſióne, * & exaudíta eſt orátio mea.

Et liberaſti me de perditióne, * & eripuiſti me de témpore iníquo.

Proptéreà confitébor, & laudem dicam tibi, * & benedícam nómini Dómini.

Ant. Ego in Dómino gaudébo, & exſultábo in Deo Jeſu meo : Deus Dó-

minus fortitúdo mea. Allelúia. *Habacuc.* 3.

℣. Díligam te, Dómine, fortitúdo mea : ℟. Dóminus firmamentum meum, & refúgium meum, & liberátor meus. *Ps.* 17.

LECTIO IX.

Ex Epístolâ primâ beáti Petri Apóstoli. *Cap.* 2.

HÆc est grátia, si propter Dei consciéntiam sústinet quis tristítias, pátiens injustè. Quæ est enim glória, si peccantes & colaphizáti suffertis? sed si benè facientes patienter sustinétis, hæc est grátia apud Deum. In hoc enim vocáti estis; quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequámini vestígia ejus : qui peccátum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus; qui cùm maledicerétur, non maledicébat; cùm paterétur, non comminabátur; tradébat autem judicanti se injustè : qui peccáta nostra ipse pértulit in córpore suo super lignum, ut peccátis mórtui, justítiæ vivámus : cujus livóre sanáti estis.

℟. Confitébor nómini tuo, Dómine; * Quóniam adjútor & protector factus es mihi. Allelúia. ℣. Exsultábo, & lætábor in misericórdiâ tuâ, Dómine. * Quóniam. *Eccli.* 51. *Ps.* 30.

LECTIO X. *Cap.* 3.

OMnes unánimes, compatientes, fraternitátis amatóres, misericordes, modesti, húmiles, non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto; sed è contrário benedicentes : quia in hoc vocáti estis, ut benedictiónem hæreditáte possideátis. Qui enim vult vitam dilígere, & dies vidére bonos, coérceat linguam suam à malo, & lábia ejus ne loquantur dolum. Declínet à malo, & fáciat bonum; inquírat pacem, & sequátur eam : quia óculi Dómini super justos, & aures ejus in preces eórum; vultus autem Dómini super facientes mala. Et quis est qui vobis nóceat, si boni æmulatóres fuéritis? Sed & si quid patímini propter justítiam, beáti.

℟. Qui volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam; * Qui autem perdíderit ánimam suam propter me & Evangélium, salvam fáciet eam. Allelúia. ℣. Qui negáverit me coram homínibus, negábo & ego eum coram Patre meo qui in cœlis est. * Qui. *Marc.* 8. *Matth.* 10.

LECTIO XI.

TImórem autem eórum ne timuéritis, & non conturbémini. Dóminum autem Christum sanctificáte in córdibus vestris, paráti semper ad satisfa-

ctiónem omni poſcenti vos ratiónem de eâ, quæ in vobis eſt, ſpe; ſed cum modéſtiâ & timóre conſciéntiam habentes bonam: ut in eo quòd détrahunt vobis, confundantur qui calumniantur veſtram bonam in Chriſto converſatiónem. Mélius eſt enim benè facientes, ſi voluntas Dei velit, pati, quàm malè facientes; quia & Chriſtus ſemel pro peccátis noſtris mórtuus eſt, juſtus pro injuſtis: ut nos offerret Deo, mortificátus quidem carne, vivificátus autem ſpíritu.

℟. Dóminus mihi ádſtitit & confortávit me; * Et ſalvum fáciet in regnum ſuum cœleſte. Allelúia. ℣. Liberávit me Dóminus ab omni ópere malo. * Et ſalvum. *II. Tim.* 4.

LECTIO XII. *Cap.* 4.

CAríſſimi, nolíte peregrinári in fervóre, qui ad tentatiónem vobis fit, quaſi novi áliquid vobis contingat; ſed communicantes Chriſti paſſiónibus gaudéte, ut & in revelatióne glóriæ ejus gaudeátis exſultantes. Si exprobrámini in nómine Chriſti, beáti éritis: quóniam quod eſt honóris, glóriæ & virtútis Dei, & qui eſt ejus Spíritus, ſuper vos requiéſcit. Nemo autem veſtrûm patiátur ut homicída, aut fur, aut maledícus, aut alienórum appetítor. Si autem ut Chriſtiánus, non erubeſcát; glorificet autem Deum in iſto nómine, quóniam tempus eſt ut incípiat judícium à domo Dei. Si autē primùm à nobis; quis finis eórum, qui non credunt Dei Evangélio? Et ſi juſtus vix ſalvábitur; ímpius & peccátor ubi parébunt? Itaque & hi qui patiuntur ſecundùm voluntátem Dei, fidéli Creatóri commendent ánimas ſuas in benefactis.

℟. Bonum certámen certávi, curſum conſummávi, fidem ſervávi. * In réliquo repóſita eſt mihi corona juſtítiæ. † Allelúia. ℣. Omnia detrimentum feci ad cognoſcendum Chriſtum, & ſocietátem paſſiónum illíus, configurátus morti ejus. * In réliquo. ℣. Glória. † Allelúia. *II. Tim.* 4. *Phil.* 3.

Si ſit Pontifex,

EVANGELIUM.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Joannem.

Cap. 15.

DIxit Jeſus diſcípulis ſuis: Si mundus vos odit, ſcitóte quia me priórem vobis ódio hábuit. Si de mundo fuiſſétis mundus quod ſuum erat dilígeret: quia verò de mundo non eſtis, ſed ego elégi vos de mundo, proptéreà odit vos mundus. Mementóte ſermónis mei quē ego dixi vobis: Non eſt ſervus

major dómino suo. Si me persecúti sunt, & vos persequentur : si sermónem meum servavérunt, & vestrum servábunt. Sed hæc ómnia fácient vobis propter nomen meum ; quia néssciunt eum qui misit me. Si non venissem, & locútus fuissem eis, peccátum non habérent ; nunc autem excusatiónem non habent de peccáto suo. Qui me odit, & Patrem meum odit. Si ópera mea non fecissem in eis, quæ nemo álius fecit, peccátum non habérent ; nunc autem & vidérunt, & odérunt me & Patrem meũ: sed ut adimpleátur sermo qui in lege eórum scriptus est : Quia ódio habuérunt me gratis.

Si non sit Pontifex,

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 16.

JEsus dixit discípulis suis : Si quis vult post me veníre, ábneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam ; qui autem perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Quid enim prodest hómini, si mundum univérsum lucrétur, ánimæ verò suæ detrimentum patiátur ? Aut quam dabit homo commutatiónem pro ánimâ suâ ? Fílius enim hóminis ventúrus est in glóriâ Patris sui cum Angelis suis; & tunc reddet unicuíque secundùm ópera ejus.

Collecta infrà ad Laudes, nisi sit propria.

AD LAUDES.

ANTIPHONÆ.

I. QUicumque confessus fúerit me coram homínibus, & Fílius hóminis confitébitur illum coram Angelis Dei. Allelúia. *Luc.* 12.

II. Qui autem negáverit me coram homínibus, negábitur coram Angelis Dei. Allelúia. *Ibid.*

III. Qui sustinúerit in finem, hic salvus erit. Allelúia. *Marc.* 13.

IV. Scient quia ego diléxi te, quóniam servasti verbum patiéntiæ meæ. Allelúia. *Apoc.* 3.

V. Vincenti dabo édere de ligno vitæ quod est in paradíso Dei mei. Allelúia. *Apoc.* 3.

LECTIO. *I. Joan.* 5.

OMne quod natum est ex Deo, vincit mundum : † & hæc est victória quæ vincit mundum, * fides nostra.

℟. *br.* In Deo salutáre meum & glória mea. * Allelúia, allelúia. ℟. In Deo. ℣. Deus auxílii mei, & spes mea in Deo est. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. In Deo. *Ps.* 61.

HYMNUS. *S. V.*

JAm non te lácerant carníficum manus,
Inter qui récubas cœlítuum choros:
Nunc pro cárcere cæco,
Fulgentes hábitas domos.
Non jam víncla manus, non cóhibent pedes:
Tu liber súperûm regna perámbulas:
Quot plagis laniátus,
Cœlo tot rádiis nites.
Nec te dira fames, nec sitis ámpliùs,
Nec probrósa premit te modò núditas:
Nunc te lúmine puro
Pascit Christus & índuit.
Sic tu Martyribus dexter ades, Deus,
Ut quos mors périmit, glória víndicet;
Confundísque tyrannum,
Dum quos déprimit, élevas.
Patri máxima laus, máxima Fílio;
Amborumque sacro máxima Flámini,
Cujus róbore freti,
Vincunt fúnera Mártyres. Amen.

℣. Fortitúdo mea & laus mea Dóminus; ℟. Et factus est mihi in salútem. *Ps.* 117.

Ad Benedictus. *Ant.* Glorificátus sum in óculis Dómini; & Deus meus factus est fortitúdo mea. Allelúia. *Isai.* 49.

Si sit Pontifex,

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

DEus, cujus grátia beátum *N.* in Sacerdótem elégit, doctrína ad prædicandum erúdiit, poténtia ad perseverandum confirmávit; † da nobis ex ejus imitatióne pópulum Christiánum & instrúere vivendi exemplo, * & cùm opus fúerit, confirmáre patiendo: Per Dóminum.

ALIA COLLECTA. *Sacr. Leon.*

OMnípotens, sempitérne Deus, qui in ómnium Sanctórum tuórum es virtúte mirábilis; * da nobis beáti *N.* festivitátem cóngruis honóribus, & sédulâ imitatióne celebráre, * qui Fílii tui Martyr & Póntifex, quod ministério gessit, testimónio comprobávit, & quod prædicávit ore, confirmávit exemplo: Per eumdem Dóminum.

Si non sit Pontifex,

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

DEus, qui beátum *N.* Mártyrem tuum virtúte constántiæ in passióne roborasti; † ex ejus nobis imitatióne tríbue, pro amóre tuo próspera mundi despícere, * & nulla ejus advérsa formidáre: Per Dóminum.

Si sit Sacerdos tantùm,
COLLECTA. *Brev. Parif.*

DEus, à quo constántiam fides, & virtútem sumit infirmitas; † quæsumus, ut beáti *N.* Sacerdótis & Mártyris tui exemplo & précibus, * quidquid in persecutiónibus sævum est, quidquid in morte terríbile, fácias nos tui nóminis confessióne superáre; Per Dóminum.

AD TERTIAM.

LECTIO. *I. Tim.* 6.

CErta bonum certámen fidei: † apprehende vitam æternam in quâ vocátus es, * & confessus bonam confessiónem coram multis téstibus.

℣. Si consistant advérsùm me castra, ℟. Non timébit cor meum. *Ps.* 26.

AD SEXTAM.

LECTIO. *II. Cor.* 4.

QUod in præsenti est momentáneum & leve tribulatiónis nostræ † supra modum in sublimitáte * æternum glóriæ pondus operátur in nobis.

℣. Tu, Dómine, suscéptor meus es, ℟. Glória mea & exaltans caput meum. *Ps.* 3.

AD NONAM.

LECTIO. *Rom.* 8.

EXístimo quòd non sunt condignæ passiónes hujus témporis † ad futúram glóriam, * quæ revelábitur in nobis.

℣. Tu, Dómine, adjuvisti me, ℟. Et consolátus es me. *Ps.* 85.

AD II. VESPERAS.

ANTIPHONÆ.

I. QUis est qui vincit múndum, nisi qui credit quóniam Jesus est Filius Dei? Allelúia. *I. Joan.* 5.

II. Factus es, Dómine, fortitúdo páuperi, fortitúdo egéno in tribulatióne suâ: spes à túrbine, umbráculum ab æstu. Allelúia. *Isai.* 25.

III. Post tempestátem tranquillum facis, Dómine, & post lacrymatiónem & fletum exsultatiónem infundis. Allelúia. *Tob.* 3.

IV. Cantáte Dómino, laudáte Dóminum; quia liberávit ánimam páuperis de manu malórum. Allelúia. *Jerem.* 20.

LECTIO. *Jac.* 1.

BEátus vir qui suffert tentatiónem; † quóniam cùm probátus fúerit, accípiet corónam vitæ * quam repromísit Deus diligéntibus se.

℟. *br.* Posuisti, Dómine, super caput ejus. * Allelúia, allelúia. ℟. Posuisti. ℣. Corónam de lápide pretióso. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Posuisti. *Ps.* 20.

Hymnus, Ex quo salus mortálium. *ut ad I. Vesp. pag.* j.

℣. Magna est glória ejus

In salutári tuo : ℟. Glóriam & magnum decórem impónes super eum. *Ps.* 20.

Ad Magníficat. *Ant.* Qui vícerit, dabo ei sedére mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus. Alleluia. *Apoc.* 3.

Collecta ut ad Laudes, nisi sit propria ; & sic in aliis Communibus.

DIEBUS PRIVATIS.

Omnia ut in Festivitatibus, exceptis quæ sequuntur.

In I. Nocturno. Antiphona unica & ℣. ut in Psalterio. Duæ primæ Lectiones cum ℟℟. *suis de Scripturâ occurrente ; tertia de Sancto ut in Proprio Sanctorum.*

IN II. NOCTURNO.

Antiphona unica ut in Psalterio.

Lectio. *I. Petr.* 4.

CArissimi, nolíte peregrinári in fervóre, qui ad tentatiónem vobis fit, quasi novi áliquid vobis contingat ; sed communicantes Christi passiónibus gaudéte, ut & in revelatióne glóriæ ejus gaudeátis exsultantes.

℣. Deo subjecta esto, ánima mea ; ℟. Quóniam ab ipso patiéntia mea. *Ps.* 61.

Collecta de Sancto ; ad Laudes & Horas ut in Festivitatibus. Et ita fit in omnibus Officiis Sanctorum in Diebus privatis.

COMMUNE
PLURIUM
MARTYRUM.

AD I. VESPERAS.

Antiphonæ.

I. VEnit hora, ut omnis qui intérficit vos, arbitrétur obséquium se præstáre Deo. Allelúia. *Joan.* 16.

II. Injícient vobis manus suas, & persequentur trahentes ad reges & præsides, propter nomen meum. Allelúia. *Luc.* 21.

III. Tradet autem frater fratrem in mortem, & insurgent filii in parentes, & morte eos affíciet. Allelúia. *Matth.* 10.

IV. Dabo vobis os & sapiéntiam cui non póterunt resístere & contradícere omnes adversárii vestri. Allelúia. *Luc.* 21.

Lectio. *I. Petr.* 4.

SI exprobrámini in nómine Christi, beáti éritis ; † quóniam quod est honóris, glóriæ & virtútis Dei, & qui est ejus Spíritus, * super vos requiéscit.

℟. *br.* Adjuvábit justos Dóminus, & liberábit eos. * Allelúia, allelúia. ℟. Adjuvábit. ℣. Et éruet eos à peccatóribus. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Adjuvábit. *Ps.* 36.

HYMNUS. *C.*

CHristi Martyribus débita nos decet,
Virtútis mémores, prómere cántica;
Quos nec blandítiis, nec pótuit minis
Fallax víncere séculū.
Cœlestis pátriæ mens ínhians bonis,
Mundi spernit opes flúxaque gáudia:
Vitæ quin-étiam, præ Dómini lucro,
Jactúram fácilem putant.
Non vultus métuunt carníficum truces,
Fœtas supplíciis despíciunt manus:
Enses, flagra, rotas, ómnia pérpeti
Victrix édócuit fides.
O incredíbilem vim patiéntiæ!
Non, artus láceros qui crúciat dolor,
Extorquet gémitum, non querimóniam
Agnis mítibus élicit.
Ergo nunc própior, Christe, tibi sedet
Palmis turba nitens usquè viréntibus,
Victorumque gerens præmia, nóbiles
Multo sánguine láureas.
Sit laus summa Patri, summaque Fílio:
Sit par, Sancte, tibi glória, Spíritus,
Cujus præsídio prælia sústinent,
Contemptâ nece, Mártyres. Amen.

℣. In Deo faciémus virtútem; ℟. Et ipse ad níhilum dedúcet tribulantes nos. *Ps.* 59.

Ad Magníficat. *Ant.* Cùm vos óderint hómines, & exprobráverint, propter Fílium hóminis; gaudéte, & exsultáte: ecce enim merces vestra multa est in cœlo. Allelúia. *Luc.* 6.

Collecta infrà ad Laudes, nisi sit propria.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Dóminum legítimè certantes coronantem, * Veníte, adorémus. Allelúia. *II. Tim.* 2.

HYMNUS. *S. V.*

FOrtes cadendo Mártyres,
Quos empta fuso sánguine,
Cœlestis ornat púrpura
Junctis canámus vócibus.
Acti procellis ómnibus,
Sui cruóris flúmine
Vehuntur; & Christo duce,
Portus beátos óccupant.
Sævit tyrannus, állicit:
Temnunt minas, temnunt preces,
Deum minantem dum timent,
Dum munerantem díligunt.
Quem lictor insánus sitit,
Quem cæcus effundit furor,
Amor sacerdos pródigum
Christo cruórem cónsecrat.
Et ille mixtus sánguini

Quem fudit in ligno Deus,
Fundéntibus placábilem
Oráre non cessat Deum.

Implére vos omnes decet,
Passo Deo quod défuit;
Per tot neces læso Patri
Fit plena Christus hóstia.

Quo duce, vincunt Mártyres,
JESU, tibi sit glória,
Cum Patre & almo Spíritu.
In sempiterna sécula.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. I. Confortámini, & viríliter ágite in lege: quia in ipsâ glorióſi éritis. Allelúia. *I. Mach.* 2.

II. Moriámur omnes in simplicitáte nostrâ; & testes erunt super nos cœlum & terra. Allelúia. *Ibid.*

III. Paráti sumus mori, magìs quàm pátrias Dei leges prævaricári. Allelúia. *II. Mach.* 7.

IV. Dóminus Deus aspíciet veritátem, & consolábitur in nobis. Allelúia. *Ibid.*

V. Dóminus Deus vester pro vobis ipse pugnábit; hoc tantùm diligentíssimè præcavéte, ut diligátis Dóminum Deum vestrum. Allelúia. *Jos.* 23.

VI. Omnes qui placuérunt Deo, per multas tribulatiónes transiérunt fidéles. Allelúia. *Judith*, 8.

℣. Da nobis, Dómine, auxilium de tribulatióne; ℟. Quia vana salus hóminis. *Ps.* 59.

Lectiones cum Responsoriis suis de Scripturâ occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Ant. I. Per multas tribulatiónes, oportet nos intráre in regnum Dei. Allelúia. *Act.* 14.

II. Omnes qui piè volunt vívere in Christo Jesu, persecutiónem patientur. Allelúia. *II. Tim.* 3.

III. Magnum certámen sustinuistis passiónum, oppróbriis & tribulatiónibus spectáculum facti. Allelúia. *Hebr.* 10.

IV. Sicut abundant passiónes Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolátio nostra. Allelúia. *I. Cor.* 1.

V. Non injustus Deus, ut obliviscátur óperis vestri; & dilectiónis quam ostendistis in nómine ipsius. Allelúia. *Hebr.* 6.

VI. Exsultábitis lætítiâ inenarrábili & glorificátâ; reportantes finem fidei vestræ, salútem animárum. Allelúia. *I. Pet.* 1.

℣. Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ, ℟. Coronasti nos. *Ps.* 5.

LECTIO V.

Ex Epístolâ sancti Cypriáni, Epíscopi & Mártyris, ad Mártyres & Confessóres. *Ep.* 8. *Edit. Baluz. An.* 251.

QUibus ego vos láudibus prædicem, fortíssimi fratres? Robur péctoris ve-

ſtri & perſeverántiam fidei, quo præcónio vocis exornem? Toleraſtis uſque ad conſummatiónem glóriæ duriſſimam quæſtiónem, nec ceſſiſtis ſupplíciis, ſed vobis pótiùs ſupplícia ceſſérunt. Finem dolóribus, quem tormenta non dabant, corónæ dedérunt. Quæſtio grávior ad hoc diù perſeverávit, non ut ſtantem fidem dejíceret, ſed ut hómines Dei ad Dóminum velóciùs mítteret.

℟. In nullo terreámini ab adverſáriis; * Quia vobis donátum eſt pro Chriſto, non solùm ut in eum credátis, ſed ut étiam pro illo patiámini. Allelúia. ℣. Æmulatóres eſtóte legis, & date ánimas veſtras pro teſtamento patrum veſtrórum. *Quia. *Philip.* 1. *II. Machab.* 2.

LECTIO VI.

VIdit admírans præséntium multitúdo cœleſte certámen, certámen Dei, certámen ſpirituále, prælium Chriſti, ſtetiſſe ſervos ejus voce líberâ, mente incorruptâ, virtúte divínâ, telis quidem ſeculáribus nudos, ſed armis fidei credentes armátos. Stetérunt torti torquéntibus fortióres, & pulſantes ac laniantes úngulas pulsáta ac laniáta membra vicérunt. Inexpugnábilem fidem ſuperáre non pótuit ſæviens diù plaga repetíta, quamvìs ruptâ compáge víſcerum torquerentur in ſervis Dei jam non membra, ſed vúlnera. Fluébat ſánguis qui incéndium perſecutiónis exſtingueret, qui flammas & ignes gehennæ glorióſo cruóre ſopíret.

℟. Dico vobis amícis meis: * Ne terreámini ab his qui occídunt corpus, & poſt hæc non habent ampliùs quid fáciant. Allelúia. ℣. Ego, ego ipſe conſolábor vos: quis tu ut timéres ab hómine mortáli, & à filio hóminis, qui quaſi fœnum ita areſcet? * Ne terreámini. *Luc.* 12. *Iſai.* 51.

LECTIO VII.

O Quale illud fuit ſpectáculum Dómino, quàm ſublíme, quàm magnum, quàm Dei óculis ſacramento ac devotióne mílitis ejus acceptum! Sicut ſcriptum eſt in Pſalmis, Spíritu ſancto loquente ad nos páriter & monente: Pretióſa eſt in conſpectu Dómini mors juſtórũ ejus. Pretióſa mors hæc eſt, quæ emit immortalitátem prétio ſui ſánguinis, quæ accépit corónam de conſummatióne virtútis. Quàm lætus illic Chriſtus fuit, quàm libens in tálibus ſervis ſuis & pugnávit & vicit protector fidei, & dans credéntibus tantum quantum ſe credit cápere qui ſumit! Certámini ſuo ádfuit, præ-

liatóres atque assertóres sui nóminis erexit, corroborávit, animávit. Et qui pro nobis mortem semel vicit, semper vincit in nobis.

℞. In mortem trádimur propter Jesum, * Ut & vita Jesu manifestétur in carne nostrâ mortáli. Allelúia. ℣. Propter te, Dómine, mortificámur totâ die; æstimáti sumus sicut oves occisiónis. * Ut & vita. *II. Cor.* 4. *Ps.* 43.

LECTIO VIII.

O Beátam Ecclésiam nostram, quam sic honor divínæ dignatiónis illúminat, quam tempóribus nostris gloriósus Mártyrum sánguis illustrat! Erat antè in opéribus fratrum cándida, nunc facta est in Mártyrum cruóre purpúrea. Flóribus ejus nec lília nec rosæ desunt. Certent nunc sínguli ad utriusque honóris amplíssimam dignitátē. Accípiant corónas vel de ópere cándidas, vel de passióne purpúreas. In cœléstibus castris & pax & ácies habent flores suos, quibus miles Christi ob glóriam coronétur.

℞. Per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen. * Aspicientes in autórem fidei & consummatórem Jesum. † Allelúia. ℣. Exhibeámus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multâ patiéntiâ, in tribulatiónibus, in necessitátibus, in angústiis, in plagis, in carcéribus. * Aspicientes. ℣. Glória Patri. † Allelúia. *Hebr.* 12. *II. Cor.* 6.

IN III. NOCTURNO.

I. CANTICUM. *Sap.* 3.

Felicitas Justorum qui variis tentationibus in hâc vitâ à Deo fuerunt probati.

JUstórum ánimæ in manu Dei sunt, * & non tanget illos tormentum mortis.

Visi sunt óculis insipiéntium mori; * & æstimáta est afflíctio éxitus illórum:

Et quod à nobis est iter, extermínium; * illi autem sunt in pace.

Et si coram homínibus tormenta passi sunt, * spes illórum immortalitáte plena est.

In paucis vexáti, in multis benè disponentur: * quóniam Deus tentávit eos, & invénit illos dignos se.

Tamquàm aurum in fornáce probávit illos, & quasi holocausti hóstiam accépit illos, * & in témpore erit respectus illórum.

Fulgébunt justi, * & tamquàm scintillæ in arundinéto discurrent.

Judicábunt natiónes, & dominabuntur pópulis, * & regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

II. Canticum. *Sap. 5.*

Gloria Justorum & æterna felicitas; in judicio Dei inutiles impiorum fletus.

STabunt justi in magnâ constántiâ adversùs eos qui se angustiavérunt, * & qui abstulérunt labóres eórum.

Videntes turbabuntur timóre horríbili, * & mirabuntur in subitatióne insperátæ salútis,

Dicentes intra se, pœniténtiam agentes, & præ angústiâ spíritûs gementes: * Hi sunt quos habúimus aliquandò in derísum, & in similitúdinem impropérii.

Nos insensáti vitam illórum æstimabámus insániam, * & finem illórum sine honóre:

Ecce quómodò computáti sunt inter filios Dei,* & inter sanctos sors illórum est.

Ergò errávimus à viâ veritátis, & justítiæ lumen non luxit nobis, * & sol intelligéntiæ non est ortus nobis.

III. Canticum. *Ibid.*

JUsti autem in perpétuum vivent, & apud Dóminum est merces eórum, * & cogitátio illórum apud Altíssimum.

Ideò accípient regnum decóris, * & diadéma speciéi de manu Dómini:

Quóniam déxterâ suâ reget eos, * & bráchio sancto suo defendet illos.

Accípiet armatúram zelus illíus, * & armábit creatúram ad ultiónem inimicórum.

Induet pro thoráce justítiam, * & accípiet pro gáleâ judícium certum.

Sumet scutum inexpugnábile, æquitátem; ácuet autem duram iram in lánceam; * & pugnábit cum illo orbis terrárum contra insensátos.

Ant. Laudábit te pópulus fortis; quia factus es spes à túrbine, umbráculum ab æstu. Allelúia. *Is.* 25.

℣. Deus noster refúgium & virtus; ℟. Adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis. *Ps.* 45.

LECTIO IX.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. *Cap.* 8.

EXístimo quòd non sunt condignæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. Nam exspectátio creatúræ, revelatiónem filiórum Dei exspectat. Vanitáti enim creatúra subjecta est non volens, sed propter eum qui subjécit eam in spe: quia & ipsa creatúra liberábitur à servitúte corruptiónis, in libertátem glóriæ filiórum Dei.

℟. Mundi Creátor qui formávit hóminis nativitátem, quique ómnium invénit originem, * Et spí-

ritum vobis cum misericórdiâ reddet & vitam, sicut nunc vosmetipsos despícitis propter leges ejus. Allelúia. ℣. Cùm vénerit glorificári in sanctis suis, & admirábilis fieri in ómnibus qui credidérunt. * Et spíritum. *II. Machab.* 7. *II. Thess.* 1.

LECTIO X.

SCimus enim quòd omnis creatúra ingemiscit, & párturit usque adhuc. Non solùm autem illa, sed & nos ipsi primítias Spíritûs habentes, & ipsi intra nos gémimus, adoptiónem filiórum Dei exspectantes, redemptiónem córporis nostri. Spe enim salvi facti sumus. Spes autem quæ vidétur, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat? Si autem quod non vidémus, sperámus: per patiéntiam exspectámus. Simíliter autem & Spíritus ádjuvat infirmitátem nostrã: nam quid orémus, sicut oportet nescímus; sed ipse Spíritus póstulat pro nobis gemítibus inenarrabílibus. Qui autem scrutátur corda, scit quid desíderet Spíritus: quia secundùm Deum póstulat pro sanctis.

℟. Deus omnis grátiæ, qui vocávit nos in æternam suam glóriam in Christo Jesu módicum passos ipse perficiet, confirmábit, solidabitque: * Ipsi glória in sǽcula. Allelúia. ℣. Rex mundi defunctos nos pro suis légibus in æternæ vitæ resurrectióne suscitábit. * Ipsi. *I. Petr.* 5. *II. Machab.* 7.

LECTIO XI.

SCimus autem quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperantur in bonum, iis qui secundùm propósitum vocáti sunt sancti. Nam quos præscívit, & prædestinávit conformes fieri imáginis Fílii sui, ut sit ipse primogénitus in multis frátribus. Quos autem prædestinávit, hos & vocávit; & quos vocávit, hos & justificávit: quos autem justificávit, illos & glorificávit. Quid ergo dicémus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui étiam próprio Fílio suo non pepercit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum: quómodò non étiam cum illo ómnia nobis donávit? Quis accusábit adversùs electos Dei? Deus qui justíficat. Quis est qui condemnet? Christus Jesus, qui mórtuus est, immò qui & resurrexit, qui est ad déxteram Dei, qui étiam interpellat pro nobis.

℟. Vicérunt propter sánguinem Agni, & propter verbum testimónii sui, & non dilexérunt ánimas suas usque ad mortem: * Proptereà lætámini, cœli, & qui habitátis in eis. Allelúia. ℣. Módico dolóre sustentáto, sub testamento æternæ

vitæ effecti sunt. * Proptéreà. *Apoc.* 12. *II. Machab.* 7.

LECTIO XII.

QUis ergo nos separábit à caritáte Christi? tribulátio, an angústia, an fames, an núditas, an perículum, an persecútio, an gládius? sicut scriptum est: Quia propter te mortificámur totâ die: æstimáti sumus sicut oves occisiónis. Sed in his ómnibus superámus propter eum qui diléxit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque ángeli, neque principátus, neque virtútes, neque instántia, neque futúra, neque fortitúdo, neque altitúdo, neque profundum, neque creatúra alia póterit nos separáre à caritáte Dei, quæ est in Christo Jesu Dómino nostro.

℟. Antíquus diérum judícium dedit sanctis Excelsi, & tempus advénit, * Et regnum obtinuérunt sancti. † Allelúia. ℣. Per fidem operáti sunt justítiam, adepti sunt repromissiónes. * Et. ℣. Glória. † Allelúia. *Dan.* 7. *Hebr.* 11.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

Cap. 21.

DIxit Jesus discípulis suis: Cùm audiéritis prælia & seditiónes, nolíte terréri: oportet primùm hæc fieri, sed nondùm statìm finis. Tunc dicébat illis: Surget gens contra gentem, & regnum adversùs regnũ, & terræ motus magni erunt per loca, & pestiléntiæ, & fames, terroresque de cœlo, & signa magna erunt. Sed ante hæc ómnia injícient vobis manus suas, & persequentur, tradentes in synagógas, & custódias, trahentes ad reges & præsides, propter nomen meũ: continget autem vobis in testimónium. Pónite ergo in córdibus vestris, non præmeditári quemádmodùm respondeátis. Ego enim dabo vobis os, & sapiéntiam, cui non póterunt resístere, & contradícere omnes adversárii vestri. Tradémini autem à paréntibus, & frátribus, & cognátis, & amícis, & morte afficient ex vobis; & éritis ódio ómnibus propter nomen meum: & capillus de cápite vestro non períbit. In patiéntiâ vestrâ possidébitis ánimas vestras.

AD LAUDES.

ANTIPHONÆ.

I. OCuli Dómini contéplantur universam terram, & præbent fortitúdinem his qui corde perfecto credunt in eum. Allelúia. *II. Paral.* 16.

II. In multo experimento tribulatiónis abundántia

gáudii ipsórum fuit. Allelúia. *II. Cor.* 8.

III. Et si coram homínibus tormenta passi sunt, spes illórum immortalitáte plena est. Allelúia. *Sap.* 3.

IV. Qui própriâ voluntáte obtulístis vos discrímini, benedícite Dómino. Allelúia. *Judic.* 5.

V. Sicut sócii passiónum estis, sic éritis & consolatiónis. Allelúia. *II. Cor.* 1.

LECTIO. *I. Petr.* 4.

CAríssimi, communicantes Christi passiónibus gaudéte, † ut & in revelatióne glóriæ ejus * gaudeátis exsultantes.

℞. *br.* Anima nostra sicut passer erepta est de láqueo venántium. * Allelúia, allelúia. ℞. Anima. ℣. Láqueus contrítus est, & nos liberáti sumus. * Allelúia. ℣. Glória. ℞. Anima. *Ps.* 123.

HYMNUS. *S. V.*

QUam, Christe, signasti viam
Primus profuso sánguine,
Per hanc tui te fortiter
Ducem sequuntur mílites.

Fossus manus, fossus pedes,
Ovans ad astra tránsvolas;
Et membra trunci Mártyres,
Addunt triumpho se tuo.

Omnes in ostro spléndidi
Tuum tribúnal ámbiunt:
Accepta monstrant vúlnera,
Et per tot ora súpplicant.

Audíre si nos réspuis,
Quos críminum moles gravat;
Audi tuos qui sánguinem
Fudére pro te, Mártyres.

Fac, si tyrannus déficit,
Ne blandiendo mólliùs
Frangat voluptas péctora
Ipsis tyrannis sævior.

Cujus sub armis mílitant
Mundumque vincunt Mártyres,
Sit laus Patri, laus Fílio,
Par sit tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Lætáti sumus pro diébus quibus nos humiliasti,
℞. Annis quibus vídimus mala. *Ps.* 89.

Ad Benedictus. *Ant.* Beáti qui persecutiónem patiuntur propter justítiam; quóniam ipsórum est regnum cœlórum. Allel. *Matth.* 5.

COLLECTA. *Sacr. Leon.*

OMnípotens, sempiterne Deus, qui sanctis tuis *N.* & *N.* non solùm crédere in Fílium tuum, sed étiam pro eódem pati posse donasti; † nostræ quoque fragilitáti divínum prætende subsídium, * ut misericórdiam sempiternam, pro quâ illi felíces ánimas exhalárunt, nos saltem sincérâ confessióne mereámur: Per Dóminum.

ALIA COLLECTA.
Sacr. Ambr.

OMnípotens, sempiterne Deus, qui in sanctórum Mártyrum tuórum

N. & sociórum córdibus flammam tuæ dilectiónis accendis; † da méntibus nostris eamdem fidei, caritatísque virtútem, * ut quorum gaudémus triumphis, proficiámus exemplis: Per.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Jac.* I.

OMne gáudium existimáte, fratres mei, cùm in tentatiónes várias incidéritis; † sciéntes quòd probátio fidei vestræ patiéntiam operátur; * patiéntia autem opus perféctum habet.

℣. Anima nostra sústinet Dóminum; ℟. Quóniam adjútor & protéctor noster est. *Ps.* 32.

AD SEXTAM.

LECTIO. *I. Petr.* 3.

QUis est qui vobis nóceat, si boni æmulatóres fuéritis? † Sed & si quid patímini propter justítiam beáti. * Timórem autem eórum ne timuéritis, & non conturbémini; Dóminum autem Christum sanctificáte in córdibus vestris.

℣. Non derelinquet Dóminus sanctos suos: ℟. In ætérnum conservabúntur. *Ps.* 36.

AD NONAM.

LECTIO. *I. Petr.* I.

IN Deo exsultábitis, módicùm nunc si opórtet contristári in váriis tentatiónibus; † ut probátio vestræ fidei multò pretiósior auro, quod per ignem probátur, * inveniátur in laudem, & glóriam, & honórem in revelatióne Jesu Christi.

℣. Qui séminant in lácrymis, ℟. In exsultatióne metent. *Ps.* 125.

AD II. VESPERAS.

ANTIPHONÆ.

I. VIdi ánimas interfectórum propter verbum Dei, & propter testimóniú quod habébant. Allelúia. *Apoc.* 6.

II. Stabant ante thronum in conspéctu Agni; & palmæ in mánibus eórum. Allelúia. *Apoc.* 7.

III. Venérunt de tribulatióne magnâ, & lavérunt stolas suas, & dealbavérunt eas in sánguine Agni. Allelúia. *Apoc.* 7.

IV. Ante thronum Dei sunt, & sérviunt ei die ac nocte in templo ejus; & qui sedet in throno, habitábit super illos. Allelúia. *Apoc.* 7.

LECTIO. *Apoc.* 21.

ABsterget Deus omnem lácrymam ab óculis eórum; † & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà; * quia prima abiérunt.

℟. *br.* Probásti nos, Deus.

℟. eduxisti nos in refrigérium. * Allelúia, allelúia. ℟. Probasti. ℣. Igne nos examinasti, sicut examinátur argentum. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Probasti. *Ps.* 65.

Hymnus, Christi Martyribus. *ut suprà ad I. Vesperas. pag.* xij.

℣. In æternum exsultábunt, ℟. Et habitábis in eis. *Ps.* 5.

Ad Magníficat. *Ant.* Datæ sunt illis singulæ stolæ albæ; & dictum est illis ut requiéscerent, donec compleantur conservi eórum, qui interficiendi sunt sicut & illi. Allelúia. *Apoc.* 6.

DIEBUS PRIVATIS.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO. *I. Petri*, 4.

NEmo vestrûm patiátur ut homicída, aut fur, aut maledícus, aut alienórum appetítor. Si autem ut Christiánus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto nómine; quóniam tempus est ut incipiat judícium à domo Dei. Si autem primùm à nobis: quis finis eórum qui non credunt Dei Evangélio? Et si justus vix salvábitur, impius & peccátor ubi parébunt? Itaque & hi qui patiuntur secundùm voluntátem Dei, fidéli Creatóri commendent ánimas suas in benefactis.

℣. Custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum: ℟. De manu peccatóris liberábit eos. *Ps.* 96.

COMMUNE

PONTIFICUM.

AD I. VESPERAS.

ANTIPHONÆ.

I. DAbo vobis Pastóres juxta cor meum, & pascent vos sciéntiâ & doctrínâ. Allelúia. *Jerem.* 3.

II. Ponam Præpósitos tuos justitiam; non audiétur iníquitas in terrâ tuâ, & occupábit salus muros tuos. Allelúia. *Isai.* 60.

III. Holocausta eórum & víctimæ eórum placébunt mihi super altári meo. Allelúia. *Is.* 56.

IV. Quemcumque elégerit Dóminus, ipse erit sanctus. Allelúia. *Num.* 16.

LECTIO. *Hebr.* 5.

NEc quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur à Deo, tamquàm Aaron. † Sic & Christus non semetipsum clarificávit ut Póntifex fieret; sed qui locútus est ad eum: Filius meus es tu; ego hódie génui te: * quemádmodùm & in álio loco dicit: Tu es sacerdos in æternum secundùm órdinem Melchísedech.

℟. *br.* Domus Aaron, benedícite Dómino. * Allelúia, allelúia. ℟. Domus,

℣. Domus Levi, & qui timétis Dóminum. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Domus. *Ps.* 134.

Hymnus. *G. Ep. S.*

CHriste, Pastórum caput atque princeps,
Præsulis festam veneráta lucem,
Débitis supplex tua templa votis
Turba frequentat.

Ille non vano ténuit tremendam
Spíritu sedem, próprio nec ausu:
Sed sacrum jussus, Dómino vocante,
Sumpsit honórem.

Strénuum bello púgilem superni
Chrísmatis pleno tuus unxit intùs
Spíritus cornu, posuitque sanctam
Páscere gentem.

Fit gregis pastor, pater atque forma:
Lætus impendit sua, seque: servus
Omnium, curis gravis, omnibusque
Omnia factus.

Pro reis orat, réficit gementes,
Erigit lapsos, tenebrasque pellit,
Fit potens verbo, docet alta, pravum
Cónterit hostem.

Fac ut illíus précibus juvémur,
Christe: fac Patrem paritèrque tecum
Spíritum jugi celebrémus hymno
Omne per ævum.
Amen.

℣. Beátus quem elegísti, & assumpsísti: ℟. Inhabitábit in átriis tuis. *Ps.* 64.

Ad Magníficat. *Ant.* Elégit ipsum Dóminus ab omni vivente, offerre sacrifícium Deo, incensum & bonum odórem, in memóriam placáre pro pópulo suo. Allelúia. *Eccli.* 45.

Collecta infrà ad Laudes, nisi sit propria.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Christum Pastórum príncipem, * Veníte, adorémus. Allelúia. *I. Petr.* 5.

Hymnus. *S. V.*

CHriste, decréto Patris institútus
Póntifex summo, tibi qui fidéles,
Quos legis formas pópulis regendis
Ipse minístros.

Hunc juvat festo celebráre cantu,
Qui licèt magnis méritis abundans,
Flens & invítus, duce te, tremendum
Sumpsit honórem.

Nóverat quantis páteat periclis
Ille, qui summos ápices adeptus,
Omnium curas, sibi raptus uni,

Súſtinet omnes.
Fécerat fervens amor inquiétum;
Quò gregis cari pia cura poſcit,
Advolat promptus, mora non euntem
Ulla retardat.
Dux iter, vitâ præeunte, monſtrat,
Cómprobat factis ſua dicta magnis;
Et domum ſanctam benè olente Chriſti
Implet odóre.
Lux erat cæco, cólumen labanti,
Una ſpes lapſo, míſero levámen,
Próvidus cunctis pater, omnibuſque
Omnia factus.
Qui tuis formas pópulis miniſtros
Laus tibi jugis, Déitas ſupréma;
Fac ut in Clero ſua prima virtus,
Chriſte, reſurgat.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. I. Suſcitábo mihi Sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum & ánimam meam fáciet. Allelúia. *I. Reg.* 2.

II. Elégi eum ex ómnibus mihi in Sacerdótem, ut aſcénderet ad altáre meum, & adoléret mihi incenſum. Allelúia. *I. Reg.* 2.

III. Speculatórem dedi te dómui Iſrael; & áudies de ore meo verbum, & annuntiábis eis ex me. Allelúia. *Ezech.* 3.

IV. Probatórem dedi te in pópulo meo robuſtum; & ſcies, & probábis viam eórum. Allelúia. *Jerem.* 6.

V. Si in viis meis ambuláveris, & cuſtódiam meã cuſtodíeris, judicábis domũ meam. Allelúia. *Zach.* 3.

VI. Eſto vígilans, & confirma quæ moritúra erant. Si non vigiláveris, véniam ad te tamquàm fur, & néſcies quâ horâ véniam ad te. Allelúia. *Apoc.* 3.

℣. Dóminus pars hæreditátis meæ, & cálicis mei: ℟. Tu es qui reſtítues hæreditátem meam mihi. *Pſ.* 15.

Lectiones cum Reſponſoriis ſuis de Scripturâ occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Ant. I. Grátias ago ei qui me confortávit Chriſto Jeſu, quia fidélem me exiſtimávit ponens in miniſtério. Allelúia. *I. Tim.* 1.

II. Vos ſcitis quómodò nihil ſubtráxerim utílium, quóminùs annuntiárem vobis, & docérem vos públicè & per domos. Allelúia. *Act.* 20.

III. Mundus ſum à ſánguine ómnium; non enim ſubterfúgi quóminùs annuntiárem omne consílium Dei vobis. Allelúia. *Ibid.*

IV. Dei sumus adjutóres; Dei agricultúra estis, Dei ædificátio estis. Allelúia. *I. Cor.* 3.

V. Non sufficientes sumus à nobis; sed sufficiéntia nostra ex Deo est, qui & idóneos nos fecit ministros novi testamenti. Allelúia. *II. Cor.* 3.

VI. Si ministrátio mortis litteris deformáta, in lapídibus, fuit in glóriâ, quómodò non magis ministrátio Spíritûs erit in glóriâ? Allelúia. *Ib.*

℣. Impinguasti in óleo caput meum; ℟. Et calix meus inébrians quàm præclárus est! *Ps.* 22.

LECTIO V.

Ex libro Régulæ pastorális sancti Gregórii Papæ.

Part. 2, *cap.* 1, 2.

TAntùm debet actiónem pópuli áctio transcéndere Præsulis, quantùm distáre solet à grege vita pastóris. Oportet namque ut metíri sollícitè stúdeat, quantâ tenendæ rectitúdinis necessitáte constríngitur, sub cujus æstimatióne pópulus grex vocátur. Sit ergo necesse est cogitatióne mũdus, actióne præcípuus, discrétus in siléntio, útilis in verbo, síngulis compassióne próximus, præ cunctis contemplatióne suspensus, benè agéntibus per humilitátem sócius, contra delinquéntium vítia per zelum justítiæ eréctus. Rector semper cogitatióne sit mundus; quátenùs nulla hunc immundítia pólluat, qui hoc suscépit officii, ut in aliénis quoque córdibus pollutiónis máculas tergat: quia necesse est, ut esse munda stúdeat manus, quæ dilúere sordes curat.

℟. Póntifex, super cujus caput fusum est unctiónis óleum, & cujus manus consecrátæ sunt, * Non contaminábitur; ne pólluat sanctuárium Dómini. Allelúia. ℣. Quia óleum sanctæ unctiónis Dei sui super eum est: vestitusque est sanctis véstibus. * Non. *Levit.* 21.

LECTIO VI. *Cap.* 3.

SIt Rector operatióne præcípuus; ut vitæ viam súbditis vivendo denúntiet; & grex qui pastóris vocem moresque séquitur, per exempla méliùs quàm per verba gradiátur. Qui enim loci sui necessitáte exígitur summa dícere, hâc eádem necessitáte cõpéllitur summa monstráre. Illa namque vox libéntiùs auditórum cor pénetrat, quam dicentis vita commendat; quia quod loquendo ímperat, ostendendo ádjuvat ut fiat.

℟. Pópulum meum docébunt quid sit inter sanctum & pollútum; * Et inter mundum & immundum ostendent eis. Allelúia.

℣.

℣. Cùm fuerit controvérsia, stabunt in judíciis meis, & judicábunt. * Et inter. *Ezech.* 44.

LECTIO VII. *Cap.* 4.

SIt Rector discrétus in siléntio, útilis in verbo: ne aut tacenda próferat, aut proferenda reticescat. Nam sicut incauta locútio in errórem pértrahit, ita indiscrétum siléntium hos qui erudíri póterant, in erróre derelinquit. Præcónis quippe offícium súscipit, quisquis ad sacerdótium accédit; ut ante adventum júdicis, qui terribíliter séquitur, ipse scílicet clamando gradiátur. Sacerdos ergò si prædicatiónis est néscius, quam clamóris vocem datúrus est præco mutus? Verùm cùm se ad loquendum præparat, sub quanto cautélæ stúdio loquátur, attendat; ne, si inordinátè ad loquendum rápitur, erróris vúlnere audiéntium corda feriantur; & cùm fortassè sápiens vidéri desíderat, unitátis compágem insipienter abscindat.

℟. Lábia sacerdótis custódient sciéntiam, & legem requírent ex ore ejus; * Quia Angelus Dómini exercítuum est. Allelúia. ℣. Oportet Epíscopum sine crímine esse, amplecténtem eum, qui secundùm doctrínam est fidélem sermónem, ut potens sit exhortári in doctrínâ sanâ, & eos qui contradícunt argúere * Quia Angelus. *Malach.* 2. *Tit.* 1.

LECTIO VIII. *Cap.* 5, 6.

SIt Rector síngulis compassióne próximus, præ cunctis contemplatióne suspensus: ut & per pietátis víscera in se infirmitátem cæterórum tránsferat, & per speculatiónis altitúdinem semetipsum quoque invisibília appetendo, transcendat: ne, aut alta petens, proximórum infirma despíciat, aut infirmis proximórum cóngruens, appétere alta derelinquat. Sit benè agéntibus per humilitátem sócius; contra delinquéntium vítia per zelum justítiæ erectus. Nam cuncti qui præsunt, non in se potestátem debent órdinis, sed æqualitátem pensáre conditiónis: nec præesse se homínibus gáudeant, sed prodesse. Téneant ergò rectóres extériùs quod pro aliórum utilitáte suscípiunt; servent intériùs quod de suâ æstimatióne pertimescunt. Sed tamen, quibusdam signis decenter erumpéntibus, eos apud se esse húmiles, étiam subjecti deprehendant; quátenùs & in autoritáte eórum, quod formídent, vídeant; & de humilitáte, quod imitentur, agnoscant.

℟. Factus sum infirmus,

ut infirmos lucrifácerem. * Omnibus ómnia factus sum, ut omnes fácerem salvos. †Allelúia. ℣. Oculus fui cæco, & pes claudo: pater eram páuperū. * Omnibus. ℣. Glória. † Allelúia. *I. Cor. 9. Job, 29.*

IN III. NOCTURNO.

I. CANTICUM. *Ezech. 34.*

Ovium suarum Dominus liberator & pastor.

EGo pascam oves meas:* & ego eas accubáre fáciam, dicit Dóminus Deus.

Quod perierat, requíram; & quod abjectum erat, redúcam; * & quod confractum fuerat, alligábo;

Et quod infirmum fuerat consolidábo, & quod pingue & forte, custódiam: * & pascam illas in judício.

Et suscitábo super eas Pastórem unum, qui pascat eas, servum meum David: * ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastórem.

Ego autem Dóminus ero eis in Deum: & servus meus David princeps in médio eórum: * ego Dóminus locútus sum.

II. CANTICUM. *Ibid.*

ET fáciam cum eis pactū pacis, * & cessáre fáciam béstias péssimas de terrâ;

Et qui hábitant in deserto, * secúri dórmient in sáltibus.

Et ponam eos in circúitu collis mei benedictiónem; & dedúcam imbrem in témpore suo: * plúviæ benedictiónis erunt.

Et dabit lignum agri fructum suum, & terra dabit germen suum; * & erunt in terrâ suâ absque timóre:

Et scient quia ego Dóminus, cùm contrívero caténas jugi eórum, * & erúero eos de manu imperántium sibi.

Et non erunt ultrà in rapínam in géntibus, neque béstiæ terræ devorábunt eos: * sed habitábunt confidenter absque ullo terróre.

Vos autem greges mei, greges páscuæ meæ, hómines estis: * & ego Dóminus Deus vester, dicit Dóminus Deus.

III. CANTICUM. *Jerem. 3.*

Futura Jerusalem gloria & exaltatio.

INtrodúcam vos in Sion, & dabo vobis pastóres juxta cor meum; * & pascent vos sciéntiâ & doctrinâ.

Cùmque multiplicáti fuéritis, * & crevéritis in terrâ in diébus illis, ait Dóminus:

Non dicent ultrà: Arca testamenti Dómini: neque ascendet super cor, neque recordabuntur illíus: * nec visitábitur, nec fiet ultrà.

In témpore illo vocábunt Jerúsalem Sólium Dómini; & congregabuntur ad

eam omnes gentes in nómine Dómini in Jerúsalem, * & non ambulábunt post pravitátem cordis sui péssimi.

Convertímini, filii revertentes, * & sanábo aversiónes vestras.

Ecce nos venímus ad te; tu enim es Dóminus Deus noster: * verè in Dómino Deo nostro salus Israel.

Ant. Accéde ad altáre, & ímmola pro peccáto tuo; offer holocaustum, & deprecáre pro te & pro pópulo. Allelúia. *Levit.* 9.

℣. Sacríficent sacrifícium laudis; ℟. Et annúntient ópera Dei in exsultatióne. *Ps.* 106.

LECTIO IX.

Ex Epístolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. *Cap.* 3.

FIdélis sermo: si quis Episcopátum desíderat, bonum opus desíderat. Oportet ergo Epíscopum irreprehensíbilem esse; uníus uxóris virum, sóbrium, prudentem, ornátum, pudícum, hospitálem, doctórem, non vinolentum, non percussórem, sed modestum: non litigiósum, non cúpidum, sed suæ dómui benè præpósitum: filios habentem súbditos cum omni castitáte. Si quis autem dómui suæ præesse nescit, quómodò Ecclésiæ Dei diligéntiam habébit? Non neóphytum: ne in supérbiam elátus, in judícium íncidat diáboli. Oportet autem illum & testimónium habére bonum ab iis qui foris sunt, ut non in oppróbrium íncidat, & in láqueum diáboli.

℟. Rectórem te posuérunt? noli extolli: * Esto in illis quasi unus ex ipsis; curam illórum habe. Allelúia. ℣. Si quis vult primus esse, erit ómnium novíssimus, & ómnium miníster. * Esto. *Eccli.* 32. *Marc.* 9.

LECTIO X. *Cap.* 4.

NEmo adolescéntiam tuam contemnat: sed exemplum esto fidélium in verbo, in conversatióne, in caritáte, in fide, in castitáte. Dum vénio, adtende lectióni, exhortatióni, & doctrínæ. Noli negligere grátiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophétiam, cum impositióne mánuum presbytérii. Hæc meditáre, in his esto: ut proféctus tuus manifestus sit ómnibus. Adtende tibi, & doctrínæ: insta in illis. Hoc enim fáciens, & te ipsum salvum fácies, & eos qui te áudiunt.

℟. Super spéculam Dómini ego sum, stans júgiter per diem: * Et super custódiam meam ego sum, stans totis nóctibus. Allelúia. ℣. Nocte & die non

cessávi, cum lácrymis monens unum quemque vestrúm.* Et super. *Isai.* 21. *Act.* 20.

LECTIO XI. *Cap.* 5.

QUi benè præsunt Presbyteri, dúplici honóre digni habeantur: máximè qui labórant in verbo & doctrínâ. Dicit enim Scriptúra: Non alligábis os bovi trituranti. Et: Dignus est operárius mercéde suâ. Adversùs Presbyterum accusatióne noli recípere, nisi sub duóbus aut tribus téstibus. Peccantes coram ómnibus árgue: ut & cæteri timórem hábeant. Testor coram Deo & Christo Jesu, & electis Angelis, ut hæc custódias sine præjudício, nihil fáciens in álteram partem declinando. Manus citò némini imposúeris, neque communicáveris peccátis aliénis. Teipsum castum custódi.

℟. Locútus es sanctis tuis, & dixisti: Exaltávi electum de plebe meâ: invéni servum meum. * Oleo sancto meo unxi eum; manus enim mea auxiliábitur ei. Allelúia. ℣. Huic Deus testimónium pérhibens, dixit: Invéni virum secundùm cor meum. * Oleo. *Ps.* 88. *Act.* 13.

LECTIO XII. *Cap.* 6.

RAdix ómnium malórum est cupíditas: quam quidam appetentes, erravérunt à fide, & inseruérunt se dolóribus multis. Tu autem, ô homo Dei, hæc fuge: sectáre verò justítiam, pietátem, fidem, caritátem, patiéntiam, mansuetúdinem. Certa bonum certámen fidei; apprehende vitam ætetnam, in quâ vocátus es, & confessus bonam confessiónem coram multis téstibus. Præcípio tibi coram Deo, qui vivíficat ómnia, & Christo Jesu, qui testimónium réddidit sub Póntio Piláto, bonam confessiónem: ut serves mandátum sine máculâ, irreprehensíbile usque in adventum Dómini nostri Jesu Christi.

℟. Euge, serve bone & fidélis, super multa te constituam: * Intra in gáudium Dómini tui. † Allelúia. ℣. Super pópulum meum constítui te: sapiéntia & sciéntia data sunt tibi; & glóriam dabo tibi. * Intra. ℣. Glória. † Allelúia. *Matth.* 25. *II. Paral.* 1.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 24.

DIxit Jesus discípulis suis: Vigiláte; quia nescítis quâ horâ Dóminus vester ventúrus sit. Illud autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias quâ horâ fur ventúrus esset, vigiláret útique, & non sineret

pérfodi domum suam. Ideò & vos estóte paráti; quia quâ nescítis horâ, Fílius hóminis ventúrus est. Quis, putas, est fidélis servus & prudens, quem constítuit dóminus suus super famíliam suam, ut det illis cibum in témpore? Beátus ille servus, quem, cùm vénerit dóminus ejus, invénerit sic faciéntem. Amē dico vobis, quóniam super ómnia bona sua constítuet eum.

AD LAUDES.

Antiphonæ.

I. Super muros tuos, Jerúsalē, constítui custódes: totâ die & totâ nocte, in perpétuum non tacébunt. Allelúia. *Isai.* 62.

II. Erunt Dómino offeréntes sacrifícia in justítiâ; & placébit Dómino sacrifícium. Allelúia. *Malach.* 3.

III. Deum Israel prædicábunt; & scient errantes spíritu intelléctum. Allelúia. *Isai.* 29.

IV. Audiátur sónitus, quando ingréditur & egréditur sanctuárium Póntifex in conspéctu Dómini. Allelúia. *Exod.* 28.

V. Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit eum qui misit me. Allelúia. *Luc.* 10.

Lectio. *Hebr.* 13.

Mementóte Præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei: quorum intuentes éxitum conversatiónis, imitámini fidem. † Jesus Christus heri, & hódie; ipse & in sǽcula. * Doctrínis váriis & peregrínis nolíte abdúci.

℟. *br.* Réspice de cœlo, Dómine, & vide, & vísita víneam istam. * Allelúia, allelúia. ℟. Réspice. ℣. Et pérfice eam quam plantávit déxtera tua. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Réspice. *Ps.* 79.

Hymnus. *G. Ep. S.*

Jesu Sacerdótum decus,
In hâc die, quâ glóriâ
Sanctum corónas Præsulem,
Votis adesto súpplicum.

Sui probátus præmium
Amóris, & pignus tui,
A Patre tráditos tibi
Accépit agnos páscere.

Hos novit, & præit vocans
In tuta quemque páscua,
Victumque præbet: áudiūt,
Sequuntur, & vivunt oves.

Quam sentit errantem jugis,
Hanc nocte quærit ac die;
Et gaudet inventam suo
Portans ovíli réddere.

Arcet fremen tes béstias,
Lupi retundit ímpetus,
Dolosque fallit, vel mori
Caro parátus pro grege.

Offert frequentem víctimam

ſunt : & qui appropinquant pédibus ejus, accipient de doctrinâ illius. Allelúia. *Deut.* 33.

II. In corde prudentis requiéſcit ſapiéntia, & indoctos quoſque erúdiet. Allelúia. *Prov.* 14.

III. In médio Ecclésiæ apériet Dóminus os ejus, & adimplébit illum ſpíritu ſapiéntiæ & intellectûs. Allelúia. *Eccli.* 15.

IV. Ipſe tamquam imbres mittet elóquia ſapiéntiæ ſuæ ; & in oratióne confitébitur Dómino. Allelúia. *Eccli.* 39.

LECTIO. *Eccli.* 24.

DOctrínam quaſi prophétiam effundam, † & relinquam illam quæréntibus ſapiéntiam, * & non déſinam in progénies illórum uſque in ævum ſanctum.

℟. *br.* Os juſti meditábitur ſapiéntiam. * Allelúia, allelúia. ℟. Os. ℣. Et lingua ejus loquétur judícium. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Os juſti. *Pſ.* 36.

HYMNUS. *S. V.*

O, Qui perpétuus nos mónitor doces,
Vox ætérna Patris, Chriſte, vicários
Doctóres, pátrias cùm rémeas domos,
Nobis quàm benè súppetis!

Hi ſemper vígilant, ne quid adúlterum
Corrumpat fidei virgíneum decus;
Lædi vel léviter non pátitur fides,
His cuſtódibus íntegra.

Infámes ábolent relíquias deûm;
Erróres ábigunt, crímina dédocent;
Chriſto reſtítuunt, quos malè crédulos
Mendax lúſerat hæréſis.

Patrum canítiem, tot venerábiles
Rugas objíciunt, unde nitet fides:
Quæ ſunt priſca, docent; quæ nova, súbruunt:
Servant depóſitum Dei.

Sit ſupréma tibi glória, Véritas,
Quæ per ſcripta Patrum quando forìs ſonas,
Nullo vocis egens, corda doces, ſono,
Et te méntibus ínſeris. Amen.

℣. Beátus homo quem tu erudíeris, Dómine, ℟. Et de lege tuâ docúeris eum. *Pſ.* 93.

Ad Magníficat. *Ant.* Omnis ſcriba doctus in regno cœlórum, símilis eſt hómini patrifamílias, qui profert de theſauro ſuo nova & vétera. Allelúia. *Matth.* 13.

Collecta infrà ad Laudes, niſi ſit propria.

AD OFFICIUM NOCT.

In Pſ. Veníte. *Ant.* Fontem ſapiéntiæ Dóminum, * Veníte, adorémus. Allelúia. *Eccli.* 1.

HYMNUS. *S. V.*

JAm nunc quæ números
tot tibi víndices,
Effer ſidéreum Rellígio caput:
Quot ſunt mota tibi prælia, nóbiles
Tot nectis tibi láureas.

Cùm per mille neces impíetas furit,
Oppónis válido péctore Mártyres:
Cùm per mille dolos décipit hæreſis,
Doctóres tibi ſúſcitas.

Quando ſparſa lues úndique críminum,
Hi gliſcens vítium prótinùs ámputant:
Quando plúrima nox méntibus íncubat,
Hi plenum révehunt diem.

Firmant inſtábiles, & dúbios regunt:
Monſtrant tuta procul líttora náufragis:
Nobis, qui véhimur cæca per æquora,
Lucent perpétuæ faces.

Quæ dixêre tuis cónſona ſénſibus,
Noſtris illa, Deus, córdibus ímprimas;
Quos terris cólimus, quos ſéquimur duces,
Fac nos móribus áſſequi.

Patri máxima laus, máxima Fílio,
Par ſit, Sancte, tibi glória, Spíritus:
Fac mentes répleat lúmine véritas;
Urat péctora cáritas.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. I. A Deo profecta eſt ſapiéntia: & in ore fidéli abundábit; & Dominátor dabit eam illi. Allelúia. *Eccli.* 15.

II. Sapiéntia non eſt multis manifeſta; quibus autem cógnita eſt, pérmanet uſque ad conſpectum Dei. Allelúia. *Eccli.* 6.

III. Multitúdo ſapiéntium ſánitas eſt orbis terrárum. Allelúia. *Sap.* 6.

IV. Sapiens in pópulo hæreditábit honórem; & nomen illíus erit vivens in ætérnum. Allelúia. *Eccli.* 37.

V. Némine͂ díligit Deus, niſi eum qui cum ſapiéntiâ inhábitat. Allelúia. *Eccli.* 7.

VI. Sciéntia ſapientis tamquàm inundátio abundábit, & consílium illíus ſicut fons vitæ pérmanet. Allelúia. *Eccli.* 21.

℣. Bonum mihi lex oris tui, Dómine, ℟. Super míllia auri & argenti. *Pſ.* 118.

Lectiones cum Reſponſoriis ſuis de Scripturâ occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Ant. I. Optávi, & datus est mihi sensus; & invocávi, & venit in me spíritus sapiéntiæ. Allel. *Sap.* 1.

II. Præpósui illam regnis & sédibus, & divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus. Allelúia. *Ibid.*

III. Ego non sum turbátus te Pastórem sequens, & diem hóminis non desiderávi; quod egressum est de lábiis meis, rectum in conspectu tuo fuit. Allelúia. *Jerem.* 17.

IV. Annuntiábam ut pœniténtiam ágerent, & converterentur ad Deum, digna pœniténtiæ ópera faciéntes. Allelúia. *Act.* 26.

V. Inventi sunt sermónes tui, & comédi eos; & factum est mihi verbum tuum in gáudium & in lætítiam cordis mei. Allel. *Jerem.* 15.

VI. Cùm esset sapientíssimus, dócuit pópulum: quæsívit verba utília, & conscripsit sermónes rectíssimos ac veritáte plenos. Allelúia. *Eccli.* 12.

℣. Scrutábor legem tuã, Dómine, ℟. Et custódiam illam in toto corde meo. *Ps.* 118.

LECTIO V.

Ex libro secundo sancti Augustíni Epíscopi contra Juliánum. *Cap.* 10. *n.* 34.

SAnctos & in sanctâ Ecclésiâ illustres Antístites Dei, non Platónicis & Aristotélicis & Zenónicis, aliísque hujuscémodi, vel Græcis vel Latínis, quamquam & istis áliquos eórum, verùm omnes sacris lítteris erudítos nominátìm, sicut oportébat, expressi; eorumque senténtias, quantùm sufficere videbátur, sine ullâ éditas ambiguitáte, digessi; ut in eis tímeas, non ipsos, sed illum qui sibi eos utília vasa formávit, & sancta templa construxit: qui tunc de istâ causâ judicavérunt, quando eos nemo potest dícere, perperàm cuíquam vel adversári, vel favére potuisse.

℟. Ne despícias narratiónem presbyterorùm sapiéntium: * Ab ipsis enim disces sapiéntiam & doctrínam intellectûs. Allelúia. ℣. Sapiéntiæ illórum ex corde conjúngere; ut omnem narratiónem Dei possis audíre. * Ab ipsis. *Eccli.* 8 & 6.

LECTIO VI. *n.* 34 & 37.

NUllus nobíscum vel vobíscum amicítias adtendérunt, vel inimicítias exercuérunt; neque nobis, neque vobis iráti sunt; neque nos, neque vos miseráti sunt. Quod invenérunt in Ecclésiâ, tenuérunt; quod didicérunt, docuérunt; quod à pátribus accepérunt, filiis tradidérunt. Isti sunt docti, graves, sancti, veritátis acér-

rimi defensóres adversùs gárrulas vanitátes; in quorum ratióne, eruditióne, libertáte, quæ tria bona júdici tribuisti, non potes invenire quod spernas.

℟. Non te prætéreat narrátio seniórum: * Ipsi enim didicérunt à pátribus suis. Allelúia. ℣. Ne transgrediáris términos antíquos, quos posuérunt patres tui. * Ipsi. *Eccli.* 8. *Prov.* 22.

Lectio VII. *n.* 37.

SI episcopális synodus ex toto orbe cōgregarétur, mirum si tales possent illic fácilè tot sedére; quia nec isti uno témpore fuérunt: sed fidéles, & multis excellentióres, paucos dispensatóres suos Deus, per diversas ætátes témporum locorumque distántias, sicut ei placet, atque expedíre júdicat, ipse dispensat. Hos itaque de áliis atque áliis tempóribus, atque regiónibus, ab Oriente & Occidente congregátos vides, non in locum quò navigáre cogantur hómines, sed in librum qui navigáre possit ad hómines.

℟. Verba sapiéntium sicut stímuli & quasi in altum defixi, quæ per magistrórum consílium datæ sunt à pastóre uno: * His ámpliùs, fili mi, ne requíras. Allelúia. ℣. Quanta mandávit Dóminus pátribus nostris, nota fácere ea filiis suis, ut cognoscat generátio áltera. * His. *Eccli.* 12. *Ps.* 77.

Lectio VIII. *Ibid.*

QUantò tibi essent isti júdices optabilióres, si tenéres cathólicam fidem; tantò tibi sunt terribilióres, quia oppugnas cathólicam fidem, quam in lacte suxérunt, quam in cibo sumpsérunt, cujus lac & cibum parvis magnísque ministravérunt, quam contra inimícos étiam vos tunc nondùm natos, undè nunc revelámini, apertíssimè ac fortíssimè defendérunt. Tálibus post Apóstolos, sancta Ecclésia plantatóribus, rigatóribus, ædificatóribus, pastóribus, nutritóribus crevit.

℟. Dat Dóminus sapiéntiam sapiéntibus & sciéntiā intelligéntibus disciplínam: * Ipse revélat profunda & abscóndita: & lux cum eo est. † Allelúia. ℣. In manu illíus & nos & sermónes nostri, & omnis sapiéntia & disciplína. * Ipse. ℣. Glória. † Allelúia. *Dan.* 2. *Sap.* 7.

IN III. NOCTURNO.

I. Canticum. *Prov.* 3.

Summa viri sapientis felicitas. Quæ à Deo est Sapientiæ encomium.

BEátus homo qui invénit sapiéntiam, * & qui áffluit prudéntiâ.

Mélior est acquisítio ejus

negotiatióne argenti, * & auri primi & puríssimi, fructus ejus.

Pretiósior est cunctis ópibus; * & ómnia quæ desiderantur, huic non valent comparári.

Longitúdo diérum in déxterâ ejus, * & in sinistrâ illíus divítiæ & glória.

Viæ ejus, viæ pulchræ; * & omnes sémitæ illíus pacíficæ.

Lignum vitæ est his qui apprehénderint eam; * & qui tenúerit eam, beátus.

II. CANTICUM. *Sap.* 7.

Sapientiæ fructus & excellentia.

OMnibus mobílibus mobílior est sapiéntia; * adtingit autem ubíque propter suam mundítiam.

Vapor est enim virtútis Dei, & emanátio quædam est claritátis omnipotentis Dei sincéra; * & ídeò nihil inquinátum in eam incurrit.

Candor est enim lucis ætérnæ, & spéculum sine máculâ Dei majestátis, * & imágo bonitátis illíus.

Et cùm sit una, ómnia potest; * & in se pérmanens, ómnia ínnovat;

Et per natiónes in ánimas sanctas se transfert; * amícos Dei & prophétas constítuit.

Néminem enim díligit Deus, * nisi eum qui cum sapiéntiâ inhábitat.

III. CANTICUM. *Sap.* 9.

Incerta hominum sapientia; sola vera, quæ est à Deo.

QUis hóminum póterit scire consílium Dei? * aut quis póterit cogitáre quid velit Deus?

Cogitatiónes enim mortálium tímidæ, * & incertæ providéntiæ nostræ.

Corpus enim quod corrúmpitur, aggrávat ánimã, * & terréna inhabitátio déprimit sensum multa cogitantem.

Et difficilè æstimámus quæ in terrâ sunt; & quæ in prospectu sunt, invenímus cum labóre: * quæ autem in cœlis sunt, quis investigábit?

Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu déderis sapiéntiam, * & míseris Spíritum sanctum tuum de altíssimis:

Et sic correctæ sint sémitæ eórum qui sunt in terris, * & quæ tibi placent, didícerint hómines?

Nam per sapiéntiam sanáti sunt, * quicumque placuérunt tibi, Dómine, à princípio.

Ant. Dedit mihi Dóminus linguam mercédem meam; & in ipsâ laudábo eum. Allelúia. *Eccli.* 51.

℣. Deus, docuísti me à juventúte meâ; ℟. Et usque nunc pronuntiábo mirabília tua. *Ps.* 70.

Lectio IX.

Ex Epístolâ secundâ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. *Cap.* 2.

FIli mi, confortáre in grátiâ quæ est in Christo Jesu; & quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidélibus homínibus, qui idónei erunt & álios docére. Labóra sicut bonus miles Christi Jesu. Nemo mílitans Deo implicat se negótiis seculáribus; ut ei pláceat, cui se probávit. Nam & qui certat in agóne, non coronátur nisi legítimè certáverit. Laborantem agrícolam oportet primùm de frúctibus percípere. Intéllige quæ dico: dabit enim tibi Dóminus in ómnibus intelléctum.

℟. Sápiens apériet os suum in oratióne; * Si enim Dóminus magnus volúerit, spíritu intelligéntiæ replébit illum. Allelúia. ℣. Si quis vestrûm índiget sapiéntiâ, pôstulet à Deo, qui dat ómnibus affluenter. * Si enim. *Eccli.* 39. *Jac.* 1.

Lectio X.

NOli conténdere verbis; ad nihil enim útile est, nisi ad subversiónem audiéntium. Sollícitè cura teipsum probábilem exhibére Deo, operárium inconfusíbilem, rectè tractantem verbum veritátis: profána autem & vanilóquia devíta; multùm enim proficiunt ad impietátem: & sermo eórum ut cancer serpit: ex quibus est Hymenæus, & Philétus, qui à veritáte excidérunt, dicentes resurrectiónem esse jam factam, & subvertérunt quorumdam fidem. Sed firmum testamẽtum Dei stat, habens signáculum hoc: Cognóvit Dóminus qui sunt ejus; & discédat ab iniquitáte, omnis qui nóminat nomen Dómini.

℟. Ne retíneas verbum in témpore salútis: non abscondas sapiéntiam tuam in decóre suo: * In linguâ enim sapiéntia dignóscitur; & sensus, & sciéntia, & doctrína in verbo sensáti. Allelúia. ℣. Prædica verbum; insta opportúnè, importúnè; árgue, óbsecra, íncrepa in omni patiéntiâ & doctrínâ. * In linguâ. *Eccli.* 4. *II. Tim.* 4.

Lectio XI.

JUvenília desidéria fuge, sectáre verò justítiam, fidem, caritátem & pacem, cum iis qui ínvocant Dóminum de corde puro. Stultas autem, & sine disciplínâ quæstiónes devíta: sciens quia génerant lites. Servum autem Dómini non oportet litigáre; sed mansuétum esse ad omnes, docíbilem, patientem, cum modéstiâ corripientem eos qui resistunt veritáti: nequando Deus det illis pœniténtiam

ad cognoscendam veritátem, & resipiscant à diáboli láqueis, à quo captívi tenentur ad ipsíus voluntátem.

℟. Qui habet sermónem meum, loquátur sermónem meum verè: quid páleis ad tríticum? dicit Dóminus. Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dóminus, * Et quasi málleus cónterens petram? Allelúia. ℣. Vivus est sermo Dei, & éfficax, & penetrabílior omni gládio ancípiti. * Et quasi. *Jerem.* 23. *Hebr.* 4.

LECTIO XII. *Cap.* 3.

TU autem assecútus es meam doctrínam, institutiónem, propósitum, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam, persecutiónes, passiónes; quália mihi facta sunt Antiochíæ, Icónii & Lystris: quales persecutiónes sustínui, & ex ómnibus erípuit me Dóminus. Et omnes qui piè volunt vívere in Christo Jesu, persecutiónem patientur. Mali autem hómines, & seductóres profícient in pejus, errantes & in errórem mittentes. Tu verò pérmane in iis quæ didicisti, & crédita sunt tibi: sciens à quo didíceris; & quia ab infántiâ sacras líteras nosti, quæ te possunt instrúere ad salútem, per fidem, quæ est in Christo Jesu. Omnis scriptúra divínitùs inspiráta útilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitiâ: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.

℟. Si quis erráverit à veritáte, & convérterit quis eum; scire debet * Quóniam qui converti fécerit peccatórem ab erróre viæ suæ, salvábit ánimam ejus à morte, & opériet multitúdinem peccatórum. † Allelúia. ℣. Adtende tibi & doctrínæ: hoc enim fáciens, & teipsum salvum fácies, & eos qui te áudiunt. * Quóniam. ℣. Glória. † Allelúia. *Jac.* 5. *I. Tim.* 4.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum. *Cap.* 5.

DIxit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quòd si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultrà, nisi ut mittátur foràs, & conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Non potest cívitas abscondi suprà montem pósita: neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sunt. Sic lúceat lux vestra coram homínibus; ut vídeant ópera vestra bona, & gloríficent

patrem vestrum, qui in cœlis est. Nolíte putáre, quóniã veni sólvere Legem, aut Prophétas: non veni sólvere, sed adimplére. Amen quippe dico vobis, donec tránseat cœlum & terra, ióta unum, aut unus apex non præteríbit à Lege, donec ómnia fiant. Qui ergo sólverit unum de mandátis istis mínimis, & docúerit sic hómines, mínimus vocábitur in regno cœlórum; qui autem fécerit, & docúerit, hic magnus vocábitur in regno cœlórum.

AD LAUDES.

Antiphonæ.

I. Dominus dedit mihi linguam erudítam, ut sciam sustentáre eum qui lassus est verbo. Allelúia. *Isai.* 50.

II. Sermo meus non in persuasibílibus humánæ sapiéntiæ verbis; sed in ostensióne spíritûs & virtútis. Allelúia. *I. Cor.* 2.

III. Auxílio adjútus Dei sto, testíficans minóri atque majóri, nihil extrà dicens quàm ea quæ Prophétæ locúti sunt. Allelúia. *Act.* 26.

IV. Non judicávi me scire áliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum. Allel. *I. Cor.* 2.

V. Si nóverim mystéria ómnia, & omnem sciéntiam; caritátem autem non habúero, nihil sum. Allelúia. *I. Cor.* 13.

LECTIO. *Jac.* 3.

QUæ desursùm est sapiéntia, primùm quidem pudíca est, † deinde pacífica, modesta, suasíbilis, bonis conséntiens, * plena misericórdiâ & frúctibus bonis.

℟. *br.* Lex Dómini immaculáta, convertens ánimas. * Allelúia, allelúia. ℟. Lex. ℣. Testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Lex. *Ps.* 18.

HYMNUS. *S. V.*

VOs succensa Deo spléndida lúmina:
Vos sal, nos hómines quo sápimus Deum;
Ævum, puri ánimo, móribus íntegri,
Quo condímur in álterum.
Per vos Relligio, tútaque Véritas;
Per vos virgíneis fulget honóribus:
Per vos Christus amat pándere dívites
Thesáuros sapiéntiæ.
Vestris unda fluit puris canálibus;
Christi floret ager; munda nitet seges;
Lac aptum púeris, & sólidum viris
Cauti sufficitis cibum.

Hi sunt, summe Deus,
qui tibi mílitant;
Hi sunt qui stábiles ædificant domos:
Unâ docta cohors arma tenet manu;
Muros cónstruit álterâ.
Vicistis stygias vos quibus hæreses,
Hæc nos accípimus tela supérstites;
His pugnámus adhuc, nec dúbio éxitu
His armis quoque víncimus.
Quis te, summe Pater, te Sóboles Patris,
Te divíne satìs prædicet Hálitus?
Laudes ipse tuas dic, pótior Deus,
Unus qui tibi sufficis. Amen.

℣. Justítiæ Dómini rectæ, lætificantes corda: ℟. Præceptum Dómini lúcidum, illúminans óculos. *Ps.* 18.

Ad Benedictus. *Ant.* Sapiéntia & fortitúdo Dómini sunt: tibi, Deus, confiteor, teque laudo; quia sapiéntiam & fortitúdinem dedisti mihi. Allelúia. *Dan.* 2.

Collecta. *Sacr. Greg.*

QUæsumus, Dómine, cleméntiam tuam; † ut in hâc die quam festivitáte beáti *N.* cõsecrasti, * des nobis illam sequi doctrínam, quam ille verbo dócuit, & ópere complévit: Per Dóminum.

Collecta. *Brev. Clun.*

EXcita, Dómine, intercedente beáto *N.* tuórum corda fidélium, † ut sacris intenta doctrínis, * & intélligant quod sequantur, & sequendo fidéliter apprehendant: Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Lectio. *I. Cor.* 2.

UNicuíque datur manifestátio Spíritûs ad utilitátem: † álii quidem per Spíritum datur sermo sapiéntiæ; * álii autem sermo sciéntiæ secundùm eumdem Spíritum.

℣. Os meum annuntiábit justítiam tuam: ℟. Totâ die salutáre tuum. *Ps.* 70.

AD SEXTAM.

Lectio. *I. Tim.* 6.

SI quis áliter docet, & non acquiescit sanis sermónibus Dómini nostri Jesu Christi, † & ei quæ secundùm pietátem est, doctrínæ, * superbus est, nihil sciens.

℣. A judíciis tuis non declinávi, Dómine; ℟. Quia tu legem posuisti mihi. *Ps.* 118.

AD NONAM.

Lectio. *I. Tim.* 1.

FInis præcepti est cáritas de corde puro, & consciéntiâ bonâ, & fide non fictâ; † à quibus quidam

aberrantes, conversi sunt in vanilóquium, volentes esse legis doctóres, * non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.

℣. Pronuntiávi ómnia judícia oris tui: ℟. In viâ testimoniórum tuórum delectátus sum. *Ps.* 118.

AD II. VESPERAS.

Antiphonæ.

I. FUit gratus Deo; eruditus omni sapiéntiâ; [illegible] erat potens in verbis & [illegible] opéribus suis. Allelúia. [illegible]*ct*. 7.

II. Juxta manum Dei sui [illegible]onam super se, parávit [illegible]r suum, ut investigáret [illegible]gem Dómini, & fáceret, [illegible] docéret. Allelúia. *I.* [illegible]*sdr*. 7.

III. Sapiéntiam ejus enar[illegible]bunt gentes, & laudem [illegible]us enuntiábit Ecclésia. [illegible]llelúia. *Eccl.* 39.

IV. Qui fécerit & do[illegible]erit, hic magnus vocátur in regno cœlórum. [illegible]lelúia. *Matth.* 5.

Lectio. *II. Tim.* 2.

[illegible]Onfortáre in grátiâ quæ est in Christo Jesu, † quæ audísti à me per [illegible]ultos testes, hæc com[illegible]enda fidélibus homíni[illegible]s; * qui idónei erunt & [illegible]ios docére.

[illegible]. *br.* Quanta audívimus, [illegible] cognóvimus ea! * Allelúia, allelúia. ℟. Quanta. ℣. Patres nostri narravérũt nobis. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Quanta. *Ps.* 77.

Hymnus. O, qui perpétuus. *ut ad I. Vesp. pag.* xxxij.

℣. Annuntiávi justítiam tuam in Ecclésiâ magnâ; ℟. Ecce lábia mea non prohibébo; Dómine, tu scisti. *Ps.* 39.

Ad Magníficat. *Ant.* Qui docti fúerint, fulgébunt quasi splendor firmamenti; & qui ad justítiam erúdiunt multos, quasi stellæ in perpétuas æternitátes. Allelúia. *Dan.* 12.

DIEBUS PRIVATIS.

IN II. NOCTURNO,

Lectio. *I. Tim.* 6.

DEpósitum custódi, devítans profánas vocum novitátes, & oppositiónes falsi nóminis sciéntiæ, quam quidam promittentes, circa fidem excidérunt.

℣. Narrábo nomen tuum frátribus meis: ℟. In médio Ecclésiæ laudábo te. *Ps.* 21.

COMMUNE

ABBATUM, MONACHORUM,

et Anachoretarum.

AD I. VESPERAS.

Antiphonæ.

I. POnet Dóminus desértum Sion quasi delícias, & solitúdinem ejus

quasi hortum Dómini. Allelúia. *Isai.* 51.

II. Habitábit in solitúdine judícium, & justítia in Charmel sedébit. Allelúia. *Isai.* 32.

III. Erit opus justítiæ pax, & cultus justítiæ siléntium, & secúritas usque in sempitérnum. Allelúia. *Isai.* 32.

IV. Sedébit pópulus meus in pulchritúdine pacis, & in tabernáculis fidúciæ. Allelúia. *Isai.* 32.

LECTIO. *II. Cor.* 6.

EXíte de médio eórum; & separámini, & immúndum ne tetigéritis, dicit Dóminus; † & ego recípiam vos; & ero vobis in patrem, * & vos éritis mihi in fílios.

℟. *br.* Súscipe me secúndùm elóquium tuum, & vivam; * Allelúia, allelúia. ℟. Súscipe. ℣. Non confúndas me ab exspectatióne meâ. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Súscipe. *Ps.* 118.

HYMNUS. *S. V.*

FElíces némorum pángimus íncolas,
Certo consílio quos Deus ábdidit,
Ne contágio secli
Mores læderet íntegros.

Ut te possídeant, quem sítiunt Deum,
Urbes, regna, suos, se quoque déserunt:
Totus víluit orbis,
Dum cœléstia cógitát.

Nudi, prompti, álacres, líberi ab ómnibus,
Ad luctam púgiles ócius ádvolant;
Ut vastum mare tranent,
Prudentes onus éxuũt.

Æternas ut opes, cértaque gáudia
Secúri rápiant, ómnia lúdicra
Sano péctore temnunt,
Confísi melióribus.

Illis summa fuit glória, déspici;
Illis divítiæ, paupériem pati;
Illis summa voluptas,
Longo supplício mori.

Fac nos, summe Deus, quæ pátimur mala,
In pœnam scélerum ferre libéntiùs;
Et tellúre relictâ,
Immortália quærere.

Patri máxima laus; máxima Fílio,
Amborumque sacro máxima Flámini,
Quo deserta petívit
Quondam ductus Homo-Deus. Amen.

Si sit Anachoreta.

HYMNUS. *S. V.*

QUid tu, relictis úrbibus,
Mortálium consórtia
Timens fugis? quid tu vides,
Solusque tecum cógitas?

Mentis volátu líbero,
Percurris æternas domos;
Et quæ negas mortálibus,
Transfers Deo commércia.

Præsens choris cœléstibus,
Sacro quiétus ótio,
Totus tuendo Númini,
Totus colendo tu vacas.

Quàm pura, qui te díligunt,
O Christe, libant gáudia!
Te propter antris ábditos
Sinu recondis in tuo.

Qui sponte desertum petis,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

℣. In umbrâ alárum tuárum sperábo, ℟. Donec tránseat iníquitas. *Ps.* 56.

Ad Magníficat. *Ant.* Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da paupéribus; & habébis thesaurum in cœlo: & veni, séquere me. Allelúia. *Matth.* 19.

Collecta infrà ad Laudes, nisi sit propria.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Remuneratórem inquiréntibus se Deum, * Veníte, adorémus. Allelúia. *Hebr.* 11.

Hymnus, Felíces némorũ. *ut ad I. Vesperas.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. I. Fúgite de terrâ Aquilónis, dicit Dóminus: ô Sion! fuge, quæ hábitas apud filiam Babylónis. Allelúia. *Zach.* 2.

II. Quæ participátio justítiæ cum iniquitáte, aut quæ socíetas luci ad ténebras? exíte de médio eórum. Allelúia. *II. Cor.* 1.

III. Quicumque volúerit amícus esse séculi hujus, inimícus Dei constitúitur. Allelúia. *Jac.* 4.

IV. Omnis ex vobis qui non renúntiat ómnibus quæ póssidet, non potest meus esse discípulus. Allelúia. *Luc.* 14.

V. Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, & fratres, & soróres, adhuc autem & ánimam suam, non potest meus esse discípulus. Allelúia. *Ibid.*

VI. Qui non bájulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discípulus. Allelúia. *Ibid.*

℣. Ecce elongávi fúgiens, ℟. Et mansi in solitúdine. *Ps.* 54.

Lectiones cum Responsoriis suis de Scripturâ occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Ant. I. Intráte per angustam portam quæ ducit ad vitam; quia lata porta ducit ad perditiónem. Allelúia. *Matth.* 7.

II. Quid prodest hómini si mundum univérsum lucrétur, ánimæ verò suæ d[...]

trimentum patiátur? Allelúia. *Matth.* 16.

III. Si quis vult post me veníre, ábneget semetipsum & tollat crucem suam, & sequátur me. Allelúia. *Matth.* 16.

IV. Nolíte timére, pusillus grex; quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Allelúia. *Luc.* 12.

V. Véndite quæ possidétis, & date eleemósynam; fácite vobis thesaurum non deficientem in cœlis. Allelúia. *Ibid.*

VI. Ubi thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit. Allelúia. *Ibid.*

℣. Cogitávi dies antíquos, ℟. Et annos ætérnos in mente hábui. *Ps.* 76.

LECTIO V.

Ex libro sancti Augustíni Epíscopi, de Móribus Ecclésiæ Cathólicæ. *Edit. Bened. cap.* 31.

QUis non illos mirétur & prædicet, qui contemptis atque desertis mundi hujus illécebris, in commúnem vitam castíssimam, sanctissimamque congregáti, simul ætátem agunt, viventes in oratiónibus, in lectiónibus, in disputatiónibus, nullâ supérbiâ túmidi, nullâ pervicáciâ turbulenti, nullâ invidéntiâ lívidi: sed modesti, verecundi, pacáti, concordíssimam vitam & intentíssimam in Deum, gratíssimum munus ipsi ófferunt, à quo ista posse meruérunt. Nemo quidquam póssidet próprium; nemo cuíquam onerósus est. Operantur mánibus ea, quibus & corpus pasci possit, & à Deo mens impedíri non possit.

℟. Fúgite de médio Babylónis, * Et salvet unusquísque ánimam suam. Allelúia. ℣. Exíte de illâ, pópulus meus; ut ne partícipes sitis delictórum ejus, & de plagis ejus non accipiátis. * Et salvet. *Jerem.* 51. *Apoc.* 18.

LECTIO VI. *Cap.* 33.

CAritas præcípuè custóditur; caritáti victus, caritáti sermo, caritáti hábitus, caritáti vultus aptátur, coítur in unam conspiraturque caritátem; hanc violáre, tamquàm Deum, nefas dúcitur: huic si quid resistit, expugnátur atque ejícitur; hanc si quid offendit, unum diem duráre non sínitur. Sciunt ita commendátam esse à Christo & Apóstolis, ut si hæc una desit, inánia; si hæc adsit, plena sint ómnia.

℟. Vade, pópule meus, intra cubícula tua, claude óstia tua super te, abscóndere módicùm ad momentum, * Donec pertránseat indignátio. Allelúia. ℣. Veníte seorsùm in desertum locum, & requiéscite pusil-

lum. * Donec. *Isai.* 26. *Marc.* 6.

LECTIO VII.

Ex Libro tértio sancti Joannis Chrysóstomi Epíscopi adversùs oppugnatóres vitæ Monásticæ. *Edit. Bened.* *n.* 10.

VItæ genus cœlo dignum delegérunt, nec minórem Angélico statum óbtinent. Quemádmodũ enim apud Angelos nulla est inæquálitas: neque álii prósperè, álii in extrémis malis versantur, sed omnes in unâ pace, lætítiâ & glóriâ: sic & his in locis, nemo paupertátem expróbrat, nemo de divítiis gloriátur: meum & tuum illud, quod ómnia subvertit & perturbat, pénitùs éxsulat. Omnia ipsis commúnia sunt, mensa, domicílium, vestimenta. Ecquid mirum, quando ipsa ánima una eademque ómnibus est? Omnes eâdem sunt nobilitáte nóbiles, eâdem servitúte servi, eâdem libertáte líberi. Unæ illìc ómnibus divítiæ, quæ verè divítiæ sunt: una glória, quæ verè glória: non enim nómine, sed re bona tenent; una voluptas, unum desidérium, una spes ómnibus; ac quasi quâdam normâ & librâ ómnia accurátè ordinantur.

℟. Multitúdinis erat cor unum & ánima una; * Nec quisquam eórum quæ possidébat, áliquid suum esse dicébat, sed erant illis ómnia commúnia. Allelúia. ℣. Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitáre fratres in unum! * Nec. *Act.* 4. *Ps.* 132.

LECTIO VIII.

NUlla inæquálitas, sed ordo, concínnitas, harmónia, & multa concórdiæ servandæ diligéntia, perpetúaque lætítiæ matéria. Quamóbrem omnes ómnia fáciunt, & patiuntur, ut lætentur & gáudeant. Illìc enim solùm vídeas hæc perfectè contíngere, nusquam álibi: non modò quòd præséntia ómnia contemnant, atque omnem rixæ ac discórdiæ matériã abscíderint, splendidâque futurórum spe fulti sint; sed étiam quòd ea quæ síngulis áccidunt, seu trístia, seu bona, ómnibus commúnia esse putentur.

℟. Quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus sum propter Christum detrimenta; * Ut invéniar in illo habens justítiam quæ ex fide est, configurátus morti ejus. † Allelúia. ℣. Elégi abjectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum. * Ut. ℣. Glória. † Allelúia. *Philip.* 3. *Ps.* 83.

IN III. NOCTURNO.

I. CANTICUM. *Isai.* 35.

Religiosæ solitudinis lætitia, securitas, & perpetua felicitas.

SCissæ sunt in deserto aquæ, * & torrentes in solitúdine.

Et quæ erat árida, erit in stagnum, * & sítiens in fontes aquárum.

In cubílibus, in quibus priùs dracónes habitábant, * oriétur viror cálami & junci.

Et erit ibi sémita & via, & via sancta vocábitur: * non transíbit per eam pollútus.

Et hæc erit vobis directa via, * ita ut stulti non errent per eam.

II. CANTICUM. *Ibidem.*

NOn erit ibi leo, & mala béstia non ascendet per eam, * nec inveniétur ibi.

Et ambulábunt * qui liberáti fuerint.

Et redempti à Dómino convertentur; & vénient in Sion cum laude, * & lætítia sempiterna super caput eórum.

Gáudium & lætítiam obtinébunt, * & fúgiet dolor & gémitus.

III. CANTICUM. *Thren.* 3.

Animæ soli Deo adhærentis spes & fiducia.

PArs mea Dóminus, dixit ánima mea: * proptérea exspectábo eum.

Bonus est Dóminus sperántibus in eum, * ánimæ quærenti illum.

Bonum est præstolári cum siléntio * salutáre Dei.

Bonum est viro, * cùm portáverit jugum ab adolescéntiâ suâ.

Sedébit solitárius, & tacébit; * quia levávit super se.

Ponet in púlvere os suum, * si fortè sit spes.

Ant. Ædificabuntur in te deserta seculórum, & erit quasi hortus irríguus. Allelúia. *Is.* 58.

℣. Plantáti in domo Dómini, ℟. In átriis domûs Dei nostri florébunt. *Ps.* 91.

LECTIO IX.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

Cap. 4.

OBsecro vos, ego vinctus in Dómino, ut dignè ambulétis vocatióne, quâ vocáti estis, cum omni humilitáte, & mansuetúdine, cum patiéntiâ, supportantes ínvicem in caritáte, sollíciti serváre unitátem Spíritûs in vínculo pacis. Unū corpus, & unus Spíritus, sicut vocáti estis in unâ spe vocatiónis vestræ. Unus Dóminus, una fides, unum baptisma; unus Deus & Pater ómnium, qui est super omnes, & per ómnia, & in ómnibus nobis.

℟. Indúite vos sicut electi Dei, sancti & dilecti,

víſcera miſericórdiæ, benignitatem, humilitátem, modéſtiam, patiéntiam; * Et pax Chriſti exſultet in córdibus veſtris. Allelúia. ℣. Super ómnia hæc caritátem habéte, quod eſt vínculum perfectiónis. * Et pax. *Coloſſ.* 3.

LECTIO X.

HOc ígitur dico, & teſtíficor in Dómino, ut jam non ambulétis, ſicut & gentes ámbulant in vanitáte ſensûs ſui, ténebris obſcurátum habentes intellectum, alienáti à vitâ Dei, per ignorántiam, quæ eſt in illis, propter cæcitátem cordis ipſórum, qui deſperantes, ſemetipſos tradidérunt impudicítiæ, in operatiónem immundítiæ omnis, in avarítiam. Vos autem non ita didiciſtis Chriſtum. Si tamen illum audiſtis, & in ipſo edocti eſtis, ſicut eſt véritas in Jeſu: depónere vos ſecundùm deſidéria erróris. Renovámini autem ſpíritu mentis veſtræ, & indúite novum hóminem, qui ſecundùm Deum creátus eſt in juſtítiâ & ſanctitáte veritátis.

℟. Ego Dóminus Deus veſter: * Juxta conſuetúdinem terræ Ægypti in quâ habitaſtis, non faciétis. Allelúia. ℣. Nolíte conformári huic ſéculo; ſed reformámini in novitáte ſensûs veſtri. * Juxta. *Levit.* 18. *Rom.* 12.

LECTIO XI. *Cap.* 4. & 5.

OMnis ſermo malus ex ore veſtro non procédat; ſed ſi quis bonus ad ædificatiónem fidei, ut det grátiam audiéntibus. Et nolíte contriſtáre Spíritum ſanctum Dei: in quo ſignáti eſtis in diem redemptiónis. Omnis amaritúdo, & ira, & indignátio, & clamor, & blaſphémia tollátur à vobis, cum omni malítiâ. Eſtóte autem ínvicem benígni, miſericordes, donantes ínvicem, ſicut & Deus in Chriſto donávit vobis. Eſtóte ergo imitatóres Dei ſicut filii caríſſimi: & ambuláte in dilectióne, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & trádidit ſemetipſum pro nobis oblatiónem & hóſtiā Deo in odórem ſuavitátis.

℟. Sitis omnes unánimes, compatientes, fraternitátis amatóres, miſericordes, modeſti, húmiles: * Quia in hoc vocáti eſtis, ut benedictiónē hæreditáte poſſideátis. Allelúia. ℣. Caritáte fraternitátis ínvicem diligentes; honóre ínvicem præveniente, ſollicitúdine non pigri, Spíritu ferventes, Dómino ſervientes. * Quia. *I. Petr.* 3. *Rom.* 12.

LECTIO XII.

Ex Epíſtolâ ejuſdem ad Philippenſes. *Cap.* 3.

IMitatóres meî eſtóte, fratres, & obſerváte eos qui ita ámbulant, ſicut

reant : * ſed ad te ſine offenſióne currentes, vitam ætemam, ad quam vocáti ſunt, apprehendant : Per Dóminum.

Si non ſit Abbas.

COLLECTA. *Sacr. Gelaſ.*

DEus, qui in ſanctis hábitas, & pia corda non déſeris; † líbera nos per interceſſiónem beáti *N.* à terrénis deſidériis & cupiditáte carnáli, * ut tibi ſoli Dómino líberis méntibus ſerviámus: Per Dóminum.

AD TERTIAM.

LECTIO. *I. Cor.* 9.

OMnis qui in agóne contendit, ab ómnibus ſe ábſtinet; & illi quidem ut corruptíbilem corónam accípiant, nos autem incorruptam. † Ego ígitur ſic curro, non quaſi in incertum; ſic pugno, non quaſi áerem vérberans; * ſed caſtígo corpus meum, & in ſervitútem rédigo.

℣. Propter verba labiórum tuórum, Dómine, ℟. Ego cuſtodívi vias duras. *Pſ.* 16.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Hebr.* 12.

OMnis diſcíplina, in præſenti quidem vidétur non eſſe gáudii, ſed mœróris; † póſteà autem fructum pacatíſſimum exercitátis per eam, * reddet juſtítiæ.

℣. Convertiſti planctum meum in gáudium mihi; ℟. Conſcidiſti ſaccum meú, & circumdediſti me lætítiâ. *Pſ.* 29.

AD NONAM.

LECTIO. *Coloſſ.* 3.

VErbum Chriſti hábitet in vobis abundanter, in omni ſapiéntiâ, † docentes, & commonentes voſmetipſos, in pſalmis, hymnis & cánticis ſpirituálibus, * in grátiâ cantantes in córdibus veſtris Deo.

℣. Cantábiles mihi erant juſtificatiónes tuæ, ℟. In loco peregrinatiónis meæ. *Pſ.* 118.

AD II. VESPERAS.

ANTIPHONÆ.

I. SUmus húmiles in univerſâ terrâ, Dómine: ſed in ánimo contríto & ſpíritu humilitátis ſuſcipiámur; quóniam non eſt confúſio confidéntibus in te. Allelúia. *Dan.* 8.

II. Non derelínquimur, ſemper mortificatiónem Jeſu in córpore noſtro circumferentes; ut & vita Jeſu manifeſtétur in carne noſtrâ mortáli. Allelúia. *II. Cor.* 4.

III. Quaſi morientes, & ecce vívimus; quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes; tamquàm nihil habentes, & ómnia poſſidentes. Allelúia. *II. Cor.* 6.

IV.

IV. Teneámus ſpei noſtræ confeſſiónem indeclinábilem, (fidélis eſt enim qui repromíſit) & conſiderémus ínvicem in provocatiónem caritátis & bonórum, óperum. Allelúia. *Hebr.* 10.

Lectio. *Coloſſ.* 3.

QUæ ſursûm ſunt ſápite, non quæ ſuper terram. † Mórtui enim eſtis, & vita veſtra eſt abſcóndita cum Chriſto in Deo. * Cùm Chriſtus apparúerit, vita veſtra; tunc & vos apparébitis cum ipſo in glóriâ.

℟. Clamávi ad te, Dómine; dixi: Tu es ſpes mea. * Allelúia, allelúia. ℟. Clamávi. ℣. Pórtio mea in terrâ vivéntium. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Clamávi. *Pſ.* 141.

Hymnus, Felíces némorum. *ut ſuprà ad I. Veſperas, pag.* xlij.

Si ſit Anachoreta, Hymnus, Qui tu, relíctis úrbibus. *ut ad I. Veſperas. pag.* xlij.

℣. Funes cecidérunt mihi in præcláris; ℟. Etenim hæréditas mea præclára eſt mihi. *Pſ.* 15.

Ad Magníficat. *Ant.* Nemo eſt qui relíquerit domum, aut agros, propter me, qui non accípiat cénties tantùm in témpore hoc, & in ſéculo futúro vitam ætérnam. Allel. *Marc.* 10.

DIEBUS PRIVATIS.

IN II. NOCTURNO.

Lectio. *II. Cor.* 5.

SCimus, quóniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitatiónis diſſolvátur, quòd ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufáctam, ætérnam in cœlis. Nam & in hoc ingemíſcimus, habitatiónem noſtram, quæ de cœlo eſt, ſuperíndui cupientes; ſi tamen veſtíti, non nudi inveniámur.

℣. Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum; ℟. Quando véniam, & apparébo ante fáciem Dei? *Pſ.* 41.

COMMUNE

JUSTORUM.

AD I. VESPERAS.

Antiphonæ.

I. TUrris fortíſſima nomen Dómini; ad ipſum currit juſtus, & exaltábitur. Allelúia. *Prov.* 18.

II. Juſtórum ſémita quaſi lux ſplendens procédit & creſcit uſque ad perféctam diem. Allelúia. *Prov.* 4.

III. Qui ſperant in Dómino, mutábunt fortitúdinem; current, & non laborábunt; ambulábunt, & non defícient. Allelúia. *Iſai.* 40.

IV. Deridétur justi simplícitas; lampas contempta apud cogitatiónes dívitum, paráta ad tempus statútum. Allelúia. *Job, 12.*

LECTIO. *I. Petr. 3.*

QUi vult vitam dilígere, & dies vidére bonos, coërceat linguam suam à malo, & lábia ejus ne loquantur dolum: † declínet à malo, & fáciat bonum; * inquírat pacem, & sequátur eam.

℞. *br.* Justus Dóminus, & justítias dilexit. * Allelúia, allelúia. ℞. Justus. ℣. Æquitátem vidit vultus ejus. * Allelúia. ℣. Glória. ℞. Justus. *Ps. 10.*

Si sit Sacerdos;

HYMNUS. *Brev. Bituric.*

JAm satis fluxit cruor hostiárum,
Prístinæ cessent holocausta Legis;
Christe, quos formas, melióra libant
Sacra ministri.

Elicit flammas Elias ab alto,
Mysta nunc major jubet, & potenti
Obsequens verbo, Deus astat aris
Hóstia factus.

Pingue libámen, novus & Sacerdos,
Orbe jam toto, Deus immolátur;
Se manu nostrâ litat incruento
Fúnere Christus.

Tale nil priscis pátribus tribútum
Angelis nusquàm data par potestas:
Se manu nostrâ Deus ipse cunctis
Præbet in escam.

Christe, fac semper tua sacra puro
Corde tractémus, manibusque puris;
Cáritas aptos tua nos tremendis
Applicet aris.

Lúminis splendor, Patris una proles,
Christe, te pronus venerátur orbis,
Qui Sacerdótes per amóris almi
Flamen inungis.
Amen.

℣. Oculi mei ad fidéles terræ, ut sédeant mecum: ℞. Ambulans in viâ immaculátâ, hic mihi ministrábat. *Ps. 100.*

Ad Magníficat. *Ant.* Notum fáciet Dóminus qui ad se pertíneant, & sanctos applicábit sibi; & quos elégerit appropinquábunt ei. Allelúia. *Num. 16.*

Collecta infrà ad Laudes, nisi sit propria.

Si non sit Sacerdos;

HYMNUS. *G. Ep. S.*

SUmmi pusillus grex Patris,
Timóre mentem sólvite,
Sui paternus vos amor
Vult esse regni cómpotes.

En regnat inter cœlites,
Qui vixit olìm século
Ignótus, exósus sibi,
Qui pauper, & sciens pati.

Angusta pœniténtiæ
Ingressus, & viam crucis,
Per dura Christum prælia,
Per damna non timet sequi.

Carnem terit jejúniis;
Linguam domat siléntio;
In páuperum, parcus sibi,
Abscondit & spargit sinu.

Sapóre verbi páscitur;
Totóque legem péctore
Scrutátus, orat pérvigil;
Mens celsa versátur polo.

Hâc surgit ad cœlum viâ;
Et nos eâdem da, Pater,
Da, Nate, da cum Spíritu,
Ad te veníre sémitâ.
Amen.

℣. Beátus vir cujus est nomen Dómini spes ejus; ℟. Et non respexit in vanitátes & insánias falsas. *Ps.* 39.

Ad Magníficat. *Ant.* Omnis qui audit verba mea, & facit ea, assimilábitur viro sapienti, qui ædificávit domum suam supra petram. Allelúia. *Matth.* 7.

Collecta infrà ad Laudes, nisi sit propria.

AD OFFICIUM NOCT.

Si sit Sacerdos; in Ps. Veníte. *Ant.* Sacerdótem in æternum Jesum Christum, * Veníte, adorémus. Allelúia. *Hebr.* 5.

Si non sit Sacerdos; in Ps. Veníte. *Ant.* Diligentem justos Dóminum, * Veníte, adorémus. Allelúia. *Ps.* 145.

HYMNUS. *S. V.*

Non parta solo sánguine
Ornat beátos púrpura:
Sunt incruenta, quæ suos
Habent triumphos, prælia.

Non iste flammas, non cruces,
Non sensit uncos péctines;
Crudélis & durus sibi
Se morte lentâ cónficit.

Si lictor illi défuit,
Si vincla, fustes, úngulæ;
Paráta pro Christo mori,
Hoc supplet omne cáritas.

Corpus subégit cástitas,
Et líberam mentem fides,
Amor supernis ígnibus
Totam libávit hóstiam.

Venis apertis ómnibus
Qui velit ultrò erúmpere,
Fraudátus optátâ viâ,
It fusus in fletum cruor.

Da, Christe, sic nos vívere,
Discámus ut semper mori,
Da, post brevis vitæ dies,
Vitæ perennis gáudia.

Æterna justórum quies
Tibi, beáta Trínitas,
Sit summa laus, summum decus,
In sempiterna sécula.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. I. Ecce verè Israelíta, in quo dolus non est. Allelúia. *Joan.* 1.

II. Erat vir simplex & rectus ac timens Deum, & recédens à malo. Allelúia. *Job*, 1.

III. Custodívit ánimam suam, & memor fuit Dómini in toto corde suo. Allelúia. *Tob.* 1.

IV. Immóbilis in Dei timóre permansit, agens grátias Deo ómnibus diébus vitæ suæ. Allelúia. *Tob.* 2.

V. Benedíctio Dei in mercédem justi festínat, & in horâ velóci procéssus illíus fructíficat. Allelúia. *Eccli.* 11.

VI. Qui fidúciam habet mei, hæreditábit terram, & possidébit montem sanctum meum. Allelúia. *Is.* 59.

℣. Convertantur mihi timentes te, Dómine, ℟. Et qui novérunt testimónia tua. *Ps.* 118.

Lectiones cum Responsoriis suis de Scripturâ occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Ant. I. Qui séquitur me, non ámbulat in ténebris, sed habébit lumen vitæ. Allelúia. *Joan.* 8.

II. Nisi abundáverit justítia vestra, plusquàm Scribárum & Pharisæórum, non intrábitis in regnum cœlórum. Allelúia. *Matth.* 5.

III. Omni vitâ tuâ dílige Dóminum, & ínvoca illum in salúte tuâ. Allelúia. *Eccli.* 13.

IV. Exerce teipsum ad pietátem; píetas ad ómnia útilis est, promissiónem habens vitæ, quæ nunc est, & futúræ. Allelúia. *I. Tim.* 4.

V. Communicátio fídei tuæ évidens fiat, in agnitióne omnis óperis boni. Allelúia. *Philem.*

VI. Non impediáris oráre semper, & ne vereáris usque ad mortem justificári; quóniam merces Dei manet in æternum. Allelúia. *Eccli.* 18.

℣. Ego in innocéntiâ meâ ingressus sum; ℟. Et in Dómino sperans, non infirmábor. *Ps.* 25.

LECTIO V.

Ex Epístolâ sancti Augustíni Epíscopi ad Macedónium. *Ep.* 155. *Ed. Ben.*

In hâc vitâ virtus non est, nisi dilígere quod diligendum est. Id elígere, prudéntia est; nullis inde averti moléstiis, fortitúdo est; nullis illécebris, temperántia est; nullâ supérbiâ, justítia est. Quid autem eligámus quod præcípuè diligámus; nisi quo nihil mélius invenímus? Hoc Deus est, cui si diligendo áliquid vel præpónimus, vel æquámus, nos ipsos dilígere nescímus. Tantò enim nobis mélius est, quantò magis in illum

imus, quo nihil mélius est. Imus autẽ non ambulando, sed amando. Quem tantò habébimus præsentiórem, quantò eumdem amórem, quo in eum téndimus, potuérimus habére puriórem. Nec enim locis corporálibus vel exténditur, vel inclúditur. Ad eum ergo qui ubíque præsens est & ubíque totus, non pédibus ire licet, sed móribus.

℟. Tóllite jugum meum super vos, & díscite à me, quia mitis sum, & húmilis corde; & inveniétis réquiẽ animábus vestris: * Jugum enim meum suáve est, & onus meum leve. Allelúia. ℣. Interrogáte quæ sit via bona, & ambuláte in eâ; & inveniétis refrigérium animábus vestris. * Jugum. *Matth.* 11. *Jerem.* 6.

LECTIO VI.

MOres autem nostri, non ex eo quod quisque novit, sed ex eo quod díligit, dijudicári solent. Nec fáciunt bonos vel malos mores, nisi boni vel mali amóres. Pravitáte ergo nostrâ, à rectitúdine Dei longè sumus. Unde rectum amando corrígimur, ut recto recti adhærére possímus. Ad illum ergo quantâ óperâ póssumus, étiam illi ut pervéniant agámus, quos tamquàm nosmetipsos dilígimus, si nosmetipsos dilígere illum diligendo jam nóvimus. Debet ergo homo & próximum dilígere tamquàm seipsum, ut quem potúerit hóminem vel beneficéntiæ consolatióne, vel informatióne doctrínæ, vel disciplínæ coërcitióne, addúcat ad colendum Deũ; sciens in his duóbus præceptis totam legem Prophetasque pendére.

℟. Pone thesaurum tuum in præceptis Altíssimi, * Et próderit tibi magis quàm aurum. Allelúia. ℣. Sectáre justítiam, pietátem, fidem, caritátem, patiéntiã, mansuetúdinem. * Et. *Eccli.* 29. *I. Tim.* 6.

LECTIO VII.

HOc qui sóbriâ discretióne éligit, prudens est; qui nullâ hinc afflictióne avértitur, fortis est; qui nullâ áliâ delectatióne, témperans est; qui nullâ elatióne, justus est. His virtútibus divínitùs impertítis, per grátiam mediatóris Dei cum Patre, & nobiscum hóminis Jesu Christi, per quem post inimicítias iniquitátis reconciliámur Deo in spíritu caritátis: his, inquam, virtútibus divínitùs impertítis, & bona vita nunc ágitur, & posteà præmium ejus, quæ nisi æterna esse non potest, beáta vita persólvitur.

℟. Omnis qui venit ad me, & audit sermónes meos, & facit eos, osten-

dam vobis cui símilis sit: * Símilis est hómini ædificanti domum, qui fodit in altum, & pósuit fundaméntum super petram. Allelúia. ℣. Beátus homo, cui donátum est habére timórem Dei: qui tenet illum, cui assimilábitur? * Símilis est. *Luc. 6. Eccli. 25.*

LECTIO VIII.

HIc enim sunt eædem virtútes in actu, ibi in effectu: hic in ópere, ibi in mercéde: hic in officio, ibi in fine. Itaque omnes boni & sancti, étiam in tormentis quibúslibet divíno fulti adjutório, spe illíus finis beáti vocantur, quo fine beáti erunt. Nam si in eísdem tormentis, & atrocíssimis dolóribus, semper essent cum quibúslibet virtútibus, eos esse míseros nulla sana rátio dubitáret. Pietas ígitur, id est, verus veri Dei cultus ad ómnia prodest, & quæ moléstias hujus vitæ avertat aut léniat, & quæ ad illam vitam salutemque perdúcat; ubi nec áliquid jam mali patiámur, & bono summo sempiternóque perfruámur.

℟. Quantò magnus es, humília te in ómnibus; & coram Deo invénies grátiam, * Quóniam magna poténtia Dei sólius, & ab humílibus honorátur. † Allelúia. ℣. Deus superbis resistit; humílibus autem dat grátiam; humiliámini ígitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in témpore visitatiónis. * Quóniã. ℣. Glória. † Allelúia. *Eccli. 3. I. Petr. 5.*

IN III. NOCTURNO.

I. CANTICUM. *Eccli. 2.*

Deus timentibus se benignè propitius. Væ incredulis & infidelibus.

QUi timétis Dóminum, crédite illi; * & non evacuábitur merces vestra.

Qui timétis Dóminum, speráte in illum; * & in oblectatiónem véniet vobis misericórdia.

Qui timétis Dóminum, dilígite illum, * & illuminabuntur corda vestra.

Respícite, filii, natiónes hóminum; * & scitóte quia nullus sperávit in Dómino, & confúsus est.

Quis enim permansit in mandátis ejus, & derelictus est? * aut quis invocávit eum, & despexit illum?

Quóniam pius & miséricors est Deus, & remittet in die tribulatiónis peccáta; * & protector est ómnibus exquiréntibus se in veritáte.

II. CANTICUM. *Ibid.*

VÆ dúplici corde, & lábiis scelestis, & mánibus malefaciéntibus, * & peccatóri terram ingredienti duábus viis.

Væ dissolútis corde, qui non credunt Deo; * & ídeò non protegentur ab eo.

Væ his, qui perdidérunt sustinéntiam, & qui dereliquérunt vias rectas, * & divertérunt in vias pravas.

Et quid fácient, * cùm inspícere cœperit Dóminus?

III. Canticum. *Ibid.*

Qui timent Dóminum, non erunt incredíbiles verbo illíus: * & qui díligunt illum, conservábunt viam illíus.

Qui timent Dóminum, inquírent quæ beneplácita sunt ei; * & qui díligunt eum, replebúntur lege ipsíus.

Qui timent Dóminum, præparábunt corda sua, * & in conspectu illíus sanctificábunt ánimas suas.

Qui timent Dóminum, custódiunt mandáta illíus, * & patiéntiam habébunt usque ad inspectiónem illíus,

Dicentes: Si pœniténtiam non egérimus, * incidémus in manus Dómini; & non in manus hóminum.

Secundùm enim magnitúdinem ipsíus, * sic & misericórdia illíus cum ipso est.

Ant. Mundémus nos ab omni inquinamento carnis & spíritûs, perficientes sanctificatiónem in timóre Dei. Allelúia. *II. Cor.* 7.

℣. Beátus vir qui timet Dóminum, ℟. In mandátis ejus volet nimis. *Ps.* 111.

LECTIO IX.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. *Cap.* 12.

Obsecro vos, fratres, per misericórdiam Dei, ut exhibeátis córpora vestra hóstiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationábile obséquium vestrum. Et nolíte conformári huic século, sed reformámini in novitáte sensûs vestri, ut probétis quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens & perfecta. Dico enim per grátiam quæ data est mihi, ómnibus qui sunt inter vos: Non plus sápere quàm oportet sápere, sed sápere ad sobrietátem; & unicuíque sicut Deus divísit mensúram fidei. Sicut enim in uno córpore multa membra habémus, ómnia autem membra non eumdem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo, sínguli autem alter altérius membra.

℟. Qui obtúrat aures suas, ne áudiat sánguinem, & claudit óculos suos ne vídeat malum, * Iste in excelsis habitábit: Regem in decóre suo vidébunt óculi ejus. Allelúia. ℣. Qui lóquitur veritátem in corde suo, qui non egit dolum

in linguâ suâ, nec fecit próximo suo malum. *Iste. *Isai.* 33. *Ps.* 14.

LECTIO X.

Dilέctio sine simulatióne: odientes malum, adhærentes bono: caritáte fraternitátis ínvicem diligentes: honóre ínvicem præveniéntes: sollicitúdine non pigri: spíritu ferventes; Dómino serviéntes; spe gaudentes; in tribulatióne patientes; oratióni instantes; necessitátibus sanctórum communicantes; hospitalitátem sectantes. Benedícite persequéntibus vos: benedícite, & nolíte maledícere. Gaudéte cum gaudéntibus, flete cum fléntibus: idipsum ínvicem sentientes: non alta sapientes; sed humílibus consentientes: nolíte esse prudentes apud vosmetipsos: nulli malum pro malo reddentes: providentes bona, non tantum coram Deo, sed étiam coram ómnibus homínibus.

℟. Accessérunt ad Jesum discípuli ejus: & apériens os suum, docébat eos, dicens: * Beáti páuperes spíritu; quóniam ipsórum est regnum cœlórum. Allelúia. ℣. Ad quem respíciam, nisi ad paupérculum, & contrítum spíritu, & treméntem sermónes meos? * Beáti. *Matth.* 5. *Isai.* 66.

LECTIO XI.

Ex Epístolâ secundâ beáti Petri Apóstoli. *Cap.* 1.

Grátia vobis & pax adimpleátur in cognitióne Dei, & Christi Jesu Dómini nostri: quómodò ómnia nobis divínæ virtútis suæ, quæ ad vitam & pietátem donáta sunt, per cognitiónem ejus, qui vocávit nos, própriâ glóriâ & virtúte, per quem máxima & pretiósa nobis promíssa donávit: ut per hæc efficiámini divínæ consortes natúræ: fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscéntiæ corruptiónem.

℟. Hæc est cáritas Dei, ut mandáta ejus custodiámus; * Et mandáta ejus grávia non sunt. Allelúia. ℣. Nihil dúlcius quàm respícere in mandátis Dómini. * Et mandáta. *I. Joan.* 5. *Eccli.* 23.

LECTIO XII.

Vos autem curam omnem subinferéntes, ministráte in fide vestrâ virtútem, in virtúte autem sciéntiam, in sciéntiâ autem abstinéntiam, in abstinéntiâ autem patiéntiam, in patiéntiâ autem pietátem, in pietáte autem amórem fraternitátis, in amóre autem fraternitátis caritátem. Hæc enim, si vobiscum adsint, & súperent, non vácuos, nec sine fructu vos constítuent in Dómini no-

stri Jesu Christi cognitióne. Cui enim non præstò sunt hæc, cæcus est, & manu tentans, obliviónem accípiens purgatiónis véterum suórum delictórum. Quaproprer, fratres, magis satágite, ut per bona ópera certam vestram vocatiónem & electiónem faciátis: hæc enim facientes, non peccábitis aliquandò. Sic enim abundanter ministrábitur vobis intróitus in æternum regnum Dómini nostri & Salvatóris Jesu Christi.

℟. Ego in justítiâ apparébo conspéctui tuo, Dómine: * Satiábor, cùm apparúerit glória tua. † Allelúia. ℣. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cógnitus sum. * Satiábor. ℣. Glória. † Allelúia. *Ps.* 16. *I. Cor.* 13.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

Cap. 12.

DIxit Jesus discípulis suis: Nolíte timére, pusillus grex; quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Véndite quæ possidétis, & date eleemósynam. Fácite vobis sácculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis: quò fur non appróпiat, neque tínea corrumpit. Ubi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit.

AD LAUDES.

ANTIPHONÆ.

I. QUi servat verbum Christi verè in hoc cãritas Christi perfecta est. Allelúia. *I. Joan.* 2.

II. Nos scimus quóniam transláti sumus de morte ad vitam, quóniam dilígimus fratres. Allelúia. *I. Joan.* 3.

III. Qui facit voluntátem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrábit in regnum cœlórum. Allelúia. *Matth.* 7.

IV. Regnum cœlórum vim pátitur, & violenti rápiunt illud. Allelúia. *Matth.* 11.

V. Conténdite intráre per angustam portam; quia multi, dico vobis, quærent intráre, & non póterunt. Allelúia. *Luc.* 13.

LECTIO. *Philip.* 2.

OMnia fácite sine murmuratiónibus, & hæsitatiónibus: † ut sitis sine querélâ, & símplices filii Dei, sine reprehensióne, in médio natiónis pravæ & perversæ: * inter quos lucétis sicut luminária in mundo: verbũ vitæ continentes.

℟. *br.* Lucerna pédibus meis verbum tuum, Dómine. * Allelúia, allelúia. ℟. Lucerna. ℣. Et lumen sémitis meis. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Lucerna. *Ps.* 118.

HYMNUS. *S. V.*

QUi te, Deus, sub íntimo
Amans recépit péctore,
Non ille terras ámpliùs
Suspírat, oblítus suî.
Quid ergo gaudes néctere
Tristes moras amántibus?
Terris retardas éxsules,
Cives polo quos déstinas.
Hinc fervet in dies amor;
In vota toti diffluunt:
Ad astra festinántibus
Fit pœna vita lóngior.
Vix iste tardi córporis
Pondus molestum sústinet;
Præ mortis óccupat diem,
Ardens Deo se júngere.
Æterna justórum quies,
Tibi, beáta Trínitas,
Sit summa laus, summum decus,
In sempitérna sǽcula.
Amen.

Si sit Sacerdos, ℣. Emitte lucem tuam, & veritátem tuam, Dómine, ℟. Ipsa me deduxérunt & adduxérunt in montem sanctum tuum, & in tabernácula tua. *Ps.* 42.

Ad Benedictus. *Ant.* Fidúciam habémus per Christum ad Deum, qui & idóneos nos fecit minístros novi testamenti, non litterâ, sed spíritu. Allelúia. *II. Cor.* 3.

COLLECTA. *Br. Parif.*

DOmine Deus omnípotens, qui fámulum tuum *N.* ut Sacerdótio tibi fungerétur, à pópulo segregásti; † ejus nos intercessióne secerne à peccatóribus, * & cum eléctis tuis regále tibi sacerdótium constítue: Per Dóminum.

Si non sit Sacerdos, ℣. Lux orta est justo, ℟. Et rectis corde lætítia. *Ps.* 96.

Ad Benedictus. *Ant.* Qui facit veritátem, venit ad lucem, ut manifeséntur ópera ejus, quia in Deo sunt facta. Allelúia. *Joan.* 3.

COLLECTA.
Miss. Gall. Vet.

DEus, qui es miséricors in opéribus, justus in judíciis, largus in donis, † multíplica super nos misericórdiam tuam; * & quia tu nobis es bonórum causa meritórum, Sancto *N.* intercedente, custódi quod tríbuis, ut invénias quod corónes: Per Dóminum.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Galat.* 5.

VOs in libertátem vocáti estis, fratres: † tantùm ne libertátem in occasiónem detis carnis, sed per caritátem Spíritûs servíte ínvicem: * omnis enim lex in uno sermóne implétur: Díliges próximum tuum sicut teipsum.

℣. Díriget Dóminus mansuétos in judício: ℟. Docébit mites vias suas. *Ps.* 24.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Jac.* 1.

QUi perspéxerit in legem perfectam libertátis & permánserit in eâ, † non audítor obliviósus factus, sed factor óperis; * hic beátus in facto suo erit.

℣. Servávi mandáta tua & testimónia tua; ℟. Quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. *Ps.* 118.

AD NONAM.

LECTIO. *Coloss.* 1.

NOn cessámus pro vobis orantes & postulantes, ut impleámini agnitióne voluntátis Dei in omni sapiéntiâ & intellectu spirituáli: † ut ambulétis dignè Deo per ómnia placentes: * in omni ópere bono fructificantes, & crescentes in sciéntiâ Dei.

℣. Beáti qui custódiunt judícium, ℟. Et fáciunt justítiam in omni témpore. *Ps.* 105.

AD II. VESPERAS.

Antiphonæ.

I. MUndus transit, & cōcupiscéntia ejus; qui autem facit voluntátem Dei, manet in ætérnum. Allelúia. *I. Joan.* 2.

II. Expectátio justórum lætítia; spes autem impiórum períbit. Allelúia. *Pròv.* 10.

III. Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti exspectántibus te. Allelúia. *Isai.* 64.

IV. Inventus est sine máculâ, & perfectus est; erit illi glória ætérna. Allelúia. *Eccli.* 31.

LECTIO. *Galat.* 6.

QUæ semináverit homo, hæc & metet. † Quóniam qui séminat in carne suâ, de carne & metet corruptiónem; * qui autem séminat in spíritu, de spíritu metet vitam ætérnam.

℟. *br.* Qui séminant in lácrymis, in exsultatióne metent. * Allelúia, allelúia. ℟. Qui. ℣. Euntes ibant & flebant, mittentes sémina sua. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Qui. *Ps.* 125.

Si sit Sacerdos, Jam satis fluxit. *ut ad I. Vesp. pag.* lij.

℣. Sacerdótes tui induantur justítiam, ℟. Et sancti tui exsultent. *Ps.* 131.

Ad Magníficat. *Ant.* Operátus est bonum & rectum, & verum coram Dómino Deo suo, in universâ cultúrâ ministérii domûs Dómini; fecitque & prosperátus est. Allelúia. *II. Paral.* 31.

Si non sit Sacerdos, *Hymnus*, Summi pusillus. *ut ad I. Vesp. pag.* lij.

℣. Non privábit bonis Dóminus eos qui ámbulant in innocéntiâ: ℟. Dómine virtútum, beátus homo qui sperat in te. *Ps.* 83.

Ad Magníficat. *Ant.* Qui

diligunt te, Dómine, sicut sol in ortu suo splendet, ita rútilent. Allelúia. *Judic.* 5.

DIEBUS PRIVATIS.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO. *Philip.* 4.

FRatres, quæcúmque sunt vera, quæcumque pudíca, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabília, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplínæ, hæc cogitáte.

℣. Omnia judícia Dómini in conspectu meo: ℟. Et justítias ejus non répuli à me. *Ps.* 17.

COMMUNE *VIRGINUM.*

AD I. VESPERAS.

ANTIPHONÆ.

I. QUid Dómini bonum est, & quid pulchrũ ejus, nisi frumentum electórum, & vinum gérminans vírgines? Allelúia. *Zach.* 9.

II. Dabo eis nomen mélius à filiis & filiábus; nomen sempiternum dabo eis, quod non períbit. Allelúia. *Isai.* 56.

III. Quæ nescívit thorũ in delicto, habébit fructum in respectióne animárum sanctárum. Allelúia. *Sap.* 3.

IV. Dábitur illi fidei donum electum, & sors in templo Dei acceptíssima. Allelúia. *Sap.* 3.

LECTIO. *I. Cor.* 7.

UNusquísque próprium donum habet ex Deo, álius sic, álius verò sic: † dico autem non nuptis & víduis, * bonum est si sic permáneant.

℟. *br.* Afferentur Regi Vírgines in exsultatióne. * Allelúia, allelúia. ℟. Afferentur. ℣. Adducentur in templum Regis. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Afferentur. *Ps.* 44.

Si sit Martyr;

HYMNUS. *S. V.*

FEstis læta sonent æthera cánticis;
Nunc aptáte tubas, súmite tympana,
Cœtus Angélici, dícite Vírginem,
Christi dícite Mártyrem.

Vestris illa fuit débita cœtibus,
Quæ mortális adhuc, nóbilis æmula,
Ut vos exprímeret, dedídicit genus,
Virgo córporis ímmemor.

Sed quid cógis, amor? Fórtiter ámbiit
Sponso virgíneum fúndere sánguinem;

Oblíti méminit tunc benè córporis,
Præclaræ sitiens necis.
Sic quâ parte minor, vos superéminet,
Immortále genus, quæ pótuit mori,
Et per damna sui córporis íntegram
Testári Dómino fidē.
Patri máxima laus, máxima Filio
Amborumque sacro máxima Flámini,
A quo magnánimæ prælia sustinent,
Spreto fúnere, Vírgines. Amen.

℣. Deus præcinxit me virtúte, ℟. Et pósuit immaculátam viam meam. *Ps.* 17.

Ad Magníficat. *Ant.* Infirma mundi elégit Deus, ut confundat fórtia; ut non gloriétur omnis caro in conspectu ejus. Allelúia. *I. Cor.* 1.

Collecta, infrà ad Laudes, nisi sit propria.

Si non sit Martyr;

HYMNUS. *S. V.*

Vos ô Virgínei cum cítharis chori,
Agni delíciæ, pars gregis óptima,
Sponsum virgíneo progénitum sinu
Puris tóllite láudibus.
Hæc est sacra dies, óbvia quâ suo
Cum plenâ rútilans lámpade júngitur
Sponso, stansque throno próxima cóncinit
Virgo cántica Vírgini.
Solo digna Deo cónjuge, réspuit
Mortáles thálamos; ut semel óbligat
Sese fida suo, quem benè déperit,
Ultro se Deus óbligat.
Purum ne máculent pectus imágines,
In se tota sui córporis ímmemor
Mens sese récipit; nil óculi vident,
Surdis nil sonat áuribus.
Ægro vix sua sunt pábula córpori,
Ardet mille modis ante diem mori;
Quidquid mors rápiet, jam sibi præripit;
Unus fit Deus ómnia.
Fac, ô Christe, tuæ Vírginis æmulos
Hâc nos ire tibi, quâ gráditur viâ;
Qui gens sancta sumus, móribus íntegris
Fac soli tibi vívere.
Da te, summe Pater, tóllere láudibus:
Da te, Christe, sequi, láurea Vírginum,
Fac incensa tuis, Spíritus, árdeant
Flammis frígida péctora. Amen.

℣. Hæréditas immaculatórum in ætemum erit: ℟. Non confundentur in témpore malo. *Ps.* 36.

Ad Magníficat. *Ant.*

Complácuit Dómino in te, & gaudébit super te Deus tuus. Allelúia. *Is.* 62.

Collecta, infrà ad Laudes, nisi sit propria.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Venite. *Ant.* Agnum, quem sequuntur Vírgines, * Veníte, adorémus. Allelúia. *Apoc.* 14.

Si sit Martyr;

HYMNUS. *S. V.*

Virginum robur, Deus, atque custos;
Sexus imbellis, médios per enses,
Dum faves, quas non súperat viríli
Péctore mortes!

Pro tuis aris animósa Virgo
Molle dat pœnis laceráre corpus;
Non suos sentit, memor ô! tuórum,
Christe, dolórum.

Non graves plagæ, válidi nec ictus
Integram possunt violáre mentem;
Quin sacri crescit magìs obstinátus
Ardor amóris.

Sponsa dilecto placitúra sponso
Déspicit ruptum laniáta corpus:
Est suus truncis honor, & venustas
Est sua membris.

Omnis à Recto fluit ille splendor:
Christe, sic olìm, cruce tensus altâ,
Obsequens Patri, láceros placébas
Hórridus artus.

Summa laus Patri, genitóque Verbo,
Et tibi compar, utriusque Nexus:
Fac tibi semper placeámus uni
Móribus æquis. Amē.

Si non sit Martyr;

HYMNUS. *S. V.*

Cœlestis aula pánditur;
En sponsus; omnes óbviæ,
Exíte sponso Vírgini,
Exíte, sponsæ Vírgines.

Hæc nuptiális est dies,
Quæ, lónga post suspíria,
Dat ómnibus, dat síngulis,
Jam pléniùs frui Deo.

Quæ casta vobis gáudia,
Quos afflet ignes, dícite,
Ab ore cujus púrior
Torrens voluptas éffluit?

Hunc propter unum víluit
Superba regum púrpura:
Doráta quæ sponso Deo,
Quid Virgo terris ámbiat?

O virgináles núptiæ
Per quas caro fit spíritus!
O dulce vinclum, júngitur
Quo mens Deo, menti Deus!

Æterne sponse vírginum,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. I. Oleum effúsum nomen tuum; ídeò adoléscéntulæ dilexérunt te. Allelúia. *Cant.* 1.

II. Post te currémus, in odórem unguentórum tuórum. Allelúia. *Ibid.*

III. Exsultábimus & lætábimur in te; recti díligunt te. Allelúia. *Ibid.*

IV. Pars mea Dóminus, dixit ánima mea; bonus est ánimæ quærenti illum. Allelúia. *Thren.* 3.

V. In perpétuum coronáta triumphat, incoinquinatórum certáminum præmium vincens. Allelúia. *Sap.* 4.

VI. O quàm pulchra est casta generátio cum claritáte! immortális est enim memória illíus. Allelúia. *Sap.* 4.

℣. Cor meum & caro mea ℟. Exsultavérunt in Deum vivum. *Ps.* 83.

Lectiones cum Responsoriis suis de Scripturâ occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Ant. I. Nescítis quóniam córpora vestra membra sunt Christi? Allelúia. *I. Cor.* 6.

II. Secundùm expectatiónem & spem meam magnificábitur Christus in córpore meo. Allelúia. *Philip.* 1.

III. Relígio munda apud Deum & Patrem hæc est, immaculátum se custodíre ab hoc século. Allelúia. *Jac.* 1.

IV. Fructus Spíritûs est, cáritas, mansuetúdo, fides, modéstia, continéntia, cástitas. Allelúia. *Gal.* 5.

V. Si spíritu vívimus, spíritu & ambulémus. Allelúia. *Ibid.*

VI. Deus reddet iis qui secundùm patiéntiam boni óperis incorruptiónẽ quærunt, vitam æternam. Allelúia. *Rom.* 2.

℣. Quæ est expectátio mea? nonne Dóminus? ℟. Et substántia mea apud te est. *Ps.* 38.

LECTIO V.

Ex Libro sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris de hábitu Vírginum. *Edit. Baluz.*

NUnc nobis ad Vírgines sermo est; quarum quò sublímior glória, major & cura est. Flos est ille Ecclesiástici gérminis, decus atque ornamentum grátiæ spirituális, læta índoles, laudis & honóris opus íntegrum atque incorruptũ, Dei imágo respondens ad sanctimóniam Dómini, illústrior pórtio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis lárgiter floret Ecclésiæ matris glorióſa fœcúnditas: quantóque plus copiósa virgínitas número suo addit, tantò plus gáudium matris aúgescit.

℟. Audi, fília, & vide; & inclína aurem tuam, & oblivíſcere pópulum tuum, & domum patris tui; * Et concupiſcet Rex decórem tuum. Allelúia. ℣. Juvenília deſidéria fuge; ſectáre verò juſtítiam, fidem, ſpem, caritátem, & pacem cum iis qui ínvocant Dóminum de corde puro. *Pſ.* 44. *II. Tim.* 2.

LECTIO VI.

Ex Apológiâ ſancti Athanáſii Epíſcopi ad Conſtántium Imperatórem. *Edit. Bened. n.* 33.

DEi Fílius, Dóminus & Salvátor noſter Jeſus Chriſtus, propter nos homo factus, qui mortem abrogávit, noſtrumque genus à ſervitúte corruptiónis liberávit, cum áliis ómnibus donis ſuis illud quoque nobis impertívit, ut Angelórum imáginem in terrâ haberémus, nempè virginitátem. Eas ſanè quæ hâc virtúte prædítæ ſunt, ſponſas Chriſti vocáre conſuévit cathólica Eccléſia: has éthnici cùm vident, ut templum Verbi admirantur: certum quippe eſt nuſquàm hanc venerandam ac cœleſtem profeſſiónem éxcoli, niſi dumtaxàt apud nos Chriſtiános. Hoc enim máximum eſt argumentũ, certam ac veram apud nos eſſe religiónem.

℟. Múlier innupta & virgo, * Cógitat quæ Dómini ſunt, ut ſit ſancta córpore & ſpíritu. Allelúia. ℣. Felix eſt ſtérilis & incoinquináta, quæ neſcívit thorum in delícto. * Cógitat. *I. Cor.* 7. *Sap.* 3.

LECTIO VII.

Ex Libro ſancti Auguſtíni Epíſcopi, de ſanctâ Virginitáte. *Edit. Bened. cap.* 53.

HOc ágite, Vírgines Dei, hoc ágite; ſequímini Agnum quocumquè íerit. Sed priùs ad eum quem ſequámini veníte, & díſcite; quóniam mitis eſt & húmilis corde. Humíliter ad húmilem veníte, ſi amátis; & ne diſcedátis ab illo, ne cadátis. Qui enim timet ab illo diſcédere, rogat & dicit: Non véniat mihi pes ſupérbiæ. Pérgite viam ſublimitátis, pede humilitátis. Ipſe exaltat humíliter ſequentes, quem deſcéndere non píguit ad jacentes. Dona ejus illi ſervanda committite; fortitúdinem veſtram ad illum cuſtodíte. Quidquid mali ipſo cuſtodiente non commíttitis, tamquàm remiſſum ab illo deputáte: ne módicum vobis exiſtimantes dimiſſum, módicùm diligátis, & tundentes péctora publicános ruinóſâ jactántiâ contemnátis. De víribus veſtris expertis cavéte, ne, quia ferre áliquid potuiſtis, in-

ßémini : de inexpertis autẽ oráte, ne suprà quàm potestis ferre tentémini.

℟. Perdidisti omnes qui fornicantur abs te, Dómine : * Mihi adhærére Deo bonum est, pónere in Dómino Deo spem meam. Allelúia. ℣. Qui adhæret Dómino, unus spíritus est. * Mihi. *Ps.* 72. *I. Cor.* 6.

LECTIO VII.

Ex Epístolâ ad Vírginem Demetríadem. *Inter Opera S. Leonis, Edit. Paris. cap.* 17.

HUmílitas ómnium virtútum inexpugnábilis fortitúdo, & quædam suórum est vita membrórum. Discérnimus enim illam ab iis officiis, quæ potest étiam cum mundi sapiéntibus habére commúnia : & in eo proprietátem ipsíus definímus : Quòd per ómnia Deo súbditur. Nec potest quidquam de méritis suis pérdere, quorum causas atque proféctus non in se, sed in suo autóre constítuit. Dignum quippe est, ut imágo Dei Deo spléndeat, & inde pulchra, inde sit compta. Alióquin adúltera est, & à divíno aliéna conjúgio, si altérius cujusquam decórem in spéculo sui cordis ostendat, aut ullis áliis monílibus acquiéscit ornári, nisi illis quæ de thesauris Sponsi per sancti Spíritûs pignus accépit.

℟. Totus desiderábilis, talis est diléctus meus; * Et ipse est amícus meus, filiæ Jerúsalem. † Allelúia. ℣. Vivo, jam non ego, vivit verò in me Christus. * Et ipse. ℣. Glória. † Allelúia. *Cant.* 5. *Galat.* 2.

IN III. NOCTURNO.

I. CANTICUM. *Cant.* 2.

Laus virginitatis ; Ecclesiæ typus.

EGo flos campi, * & lílium convállium.

Sicut lílium inter spinas, * sic amíca mea inter fílias.

Sicut malus inter ligna silvárum, * sic diléctus meus inter fílios.

Sub umbrâ illíus quem desideráveram, sedi ; * & fructus ejus dulcis gutturi meo.

Introdúxit me in cellam vináriam : * ordinávit in me caritátem.

II. CANTICUM. *Ibidem.*

EN diléctus meus lóquitur mihi : * Surge, própera, amíca mea, columba mea, formósa mea, & veni.

Jam enim hiems tránsiit ; * imber ábiit, & recessit :

Flores apparuérunt in terrâ nostrâ ; * tempus putatiónis advénit :

Vox túrturis audíta est

in terrâ nostrâ: * ficus prótulit grossos suos:

Víneæ florentes dedérunt odórem suum: * surge, amíca mea, speciósa mea, & veni.

III. CANTICUM. *Cant.* 8.

POne me ut signáculum super cor tuum, * ut signáculum super bráchium tuum:

Quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut infernus æmulátio: * lámpades ejus, lámpades ignis atque flammárum.

Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátē,* nec flúmina óbruent illam:

Si déderit homo omnem substántiam domûs suæ pro dilectióne, * quasi nihil despíciet eam.

Ant. Cantábant Vírgines cánticum novum ante sedem Dei & Agni. Allelúia. *Apoc.* 14.

℣. Immísit Dóminus in os meum cánticum novum, ℟. Carmen Deo nostro. *Ps.* 39.

LECTIO IX.

Ex Epístolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 7.

DE Virgínibus præceptum Dómini non hábeo: consílium autem do, tamquàm misericórdiam consecútus à Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instantē necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri? noli quærere solutiónem. Solútus es ab uxóre? noli quærere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non peccásti. Et si núpserit virgo, non peccávit: tribulatiónem tamen carnis habébunt hujúsmodi. Ego autem vobis parco.

℟. Súscipe me, Dómine, secúndùm elóquium tuum, & vivam; & * Non confúndas me ab expectatióne meâ. Allelúia. ℣. Defécit caro mea & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in ætérnum. * Non. *Ps.* 118. & 72.

LECTIO X.

HOc ítaque dico, fratres: Tempus breve est: réliquum est, ut & qui habent uxóres, tamquàm non habentes sint: & qui flent, tamquàm non flentes; & qui gaudent, tamquàm non gaudentes; & qui emunt, tamquàm non possidentes: & qui utuntur hoc mundo, tamquàm non utantur: prætérit enim figúra hujus mundi. Volo autem vos sine sollicitúdine esse.

℟. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum, * Quia fortis est ut mors diléctio. Allelúia. ℣. Neque altitúdo, neque

profundum, neque creatúra ália póterit nos separáre à caritáte Dei. * Quia. *Cant.* 8. *Rom.* 8.

LECTIO XI.

QUi sine uxóre est, sollícitus est quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est quæ sunt mundi, quómodo pláceat uxóri, & divísus est. Et múlier innupta, & virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore & spíritu. Quæ autem nupta est, cógitat quæ sunt mundi, quómodo pláceat viro. Porrò hoc ad utilitátem vestram dico: non ut láqueum vobis injíciam, sed ad id quod honestum est, & quod facultátem præbeat sine impedimento Dóminum obsecrandi.

℟. Dábitur illi sors in templo Dei acceptíssima; * Bonórum enim labórum gloriósus est fructus. Allelúia. ℣. Beáti mundo corde; quóniam ipsi Deum vidébunt. * Bonórum. *Sap.* 3. *Matth.* 5.

LECTIO XII.

SI quis autem turpem se vidéri exístimat super vírgine suâ, quòd sit superadulta, & ita oportet fieri: quod vult, fáciat; non peccat, si nubat. Nam qui státuit in corde suo firmus, non habens necessitátem, potestátem autem habens suæ voluntátis, & hoc judicávit in corde suo serváre vírginem suam, benè facit. Igitur & qui matrimónio jungit vírginē suam, benè facit; & qui non jungit, mélius facit. Múlier alligáta est legi quanto témpore vir ejus vivit: quòd si dormíerit vir ejus, liberáta est: cui vult, nubat; tantùm in Dómino. Beátior autem erit si sic permánserit, secundùm meum consílium: puto autem quòd & ego Spíritum Dei hábeam.

℟. Gaudens gaudébo in Dómino, & exsultábit ánima mea in Deo meo; * Quia índuit me vestiméntis salútis, & induménto justítiæ circúmdedit me. † Allelúia. ℣. Magnificáte Dóminum mecū; & exaltémus nomen ejus in idipsum. * Quia. ℣. Glória. † Allelúia. *Isai.* 61. *Psalm.* 33.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 25.

DIxit Jesus discípulis suis: Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, quæ accipientes lámpades suas, exiérunt óbviàm sponso & sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, & quinque prudentes: sed quinque fátuæ acceptis lampádibus, non sumpsérunt óleum secum,

prudentes verò accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciente sponso, dormitavérunt omnes, & dormiérunt. Médiâ autem nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit; exíte óbviàm ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, & ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt : Date nobis de óleo vestro; quia lámpades nostræ extinguuntur. Respondérunt prudentes, dicentes: Ne fortè non sufficiat nobis & vobis, ite pótiùs ad vendentes, & émite vobis. Dùm autem irent émere, venit sponsus; & quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, & clausa est jánua. Novíssimè verò véniunt réliquæ vírgines, dicentes : Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respondens, ait : Amen dico vobis, néscio vos. Vigiláte ítaque, quia nescítis diem neque horam.

AD LAUDES.

Antiphonæ.

I. Anima mea liquefacta est, ut dilectus meus locútus est. Allelúia. *Cant.* 5.

II. Invéni quem díligit ánima mea : ténui eum, nec dimittam. Allelúia. *Cant.* 3.

III. Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui páscitur inter lília. Allelúia. *Cant.* 6.

IV. Pater meus, & dux virginitátis meæ tu es, Dómine. Allelúia. *Jerem.* 3.

V. Grátia cum ómnibus qui díligunt Dóminum nostrum Jesum Christum in incorruptióne. Allelúia. *Ephes.* 6.

LECTIO. *Sap.* 8.

Scivi quóniam áliter non possem esse cóntinens, nisi Deus det; † & hoc ipsum erat sapiéntiæ, * scire cujus esset hoc donum.

℟. *br.* Psallam & intélligam in viâ immaculátâ. *Allelúia, allelúia. ℟. Psallam. ℣. Perambulábam in innocéntiâ cordis mei. *Allelúia. ℣. Glória. ℟. Psallam. *Ps.* 100.

Si sit Martyr;

HYMNUS. *S. V.*

Quid sacram, Virgo, generósa Martyr,
Ambiunt frontem dúplices corónæ?
Nempè non unum gémino reportas
Hoste triumphum.

Móllior fregit neque te voluptas,
Impotens flexit neque te tyrannus;
Tu graves pœnas, pariterque blandos
Vincis amóres.

Liliis ſponſus récubat, roſiſque;
Tu tuo ſemper benè fida ſponſo,
Et roſas Martyr, ſimul & dediſti
Lília Virgo.

Summa laus Patri; genitóque Verbo,
Et tibi compar, utriuſque Nexus,
Vírginum per quem ſacra Corda puris
Ignibus ardent.
Amen.

℣. Deduxiſti me, Dómine, quia factus es ſpes mea; ℟. Turris fortitúdinis à fácie inimíci. *Pſ.* 60.

Ad Benedictus. *Ant.* Factus eſt Dóminus firmamentum meum: liberávit me, quia complácui ei; ſecundùm mundítiam mánuum meárum reddet mihi. Allelúia. *II. Reg.* 22.

Collecta. *Brev. Pariſ.*

Deus, qui inter cætera potentiæ tuæ mirácula, étiam in ſexu frágili victóriam martyrii contuliſti; † concéde propítius, ut beatæ *N.* Vírginis & Mártyris tuæ cujus paſſiónem cólimus, * victrícem quoque patiéntiam imitémur: Per Dóminum.

Si non ſit Martyr;

Hymnus. *G. Ep. S.*

Non vana dilectum gregem
Pavêre mundi gáudia,
Nec pura fallax péctora
Imágo luſit ſéculi.

Sed hæc tuárum própria
Sunt, Chriſte, ſponsárum bona,
Te ſemper & tecum tuis
In te potíri gáudiis.

Caſtis vicíſsim tu tibi
In córdibus thorum ſtruis;
Interque flammas íntimo
Amans quieſcis in ſinu.

Hic unus eſt ſponſis amor,
Unuſque tecum ſpíritus;
Beaſque ſolus ſíngulas,
In teque transformas, Deus.

Te deprecámur ſúpplices,
Noſtris ut addas ſénſibus,
Neſcíre prorsùs ómnia
Corruptiónis vúlnera.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Par ſit tibi laus, Spíritus,
Divína qui perénnibus
Firmas ſigillis fœdera.
Amen.

℣. Fiat cor meum immaculátum in juſtificatiónibus tuis, Dómine; ℟. Ut non confundar. *Pſ.* 118.

Ad Benedictus. *Ant.* Tu ſcis, Dómine, quia nunquàm concupívi virum, & mundam ſervávi ánimam meam ab omni concupiſcéntiâ. Allelúia. *Tob.* 3.

Collecta. *Sacr. Gelaſ.*

Caſtimóniæ pacem méntibus noſtris, atque corpóribus, intercedente ſanctâ *N.* Vírgine tuâ, Dómine, propitiátus indulge; † ut veniente ſponſo Fílio tuo unigénito, * accenſis lam-

pádibus, ejus digni præstolémur occursum: Per eumdem.

AD TERTIAM.

Lectio. *II. Cor.* 11.

Æmulor vos Dei æmulatióne: † despondi enim vos uni viro, * vírginem castã exhibére Christo.

℣. Sitívit in te ánima mea, ℟. Quàm multiplíciter tibi caro mea! *Ps.* 62.

AD SEXTAM.

Lectio. *I. Cor.* 7.

Mulier innupta & virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore & spíritu: † quæ autem nupta est, cógitat quæ sunt mundi, * quómodò pláceat viro.

℣. Tibi dixit cor meum, exquisívit te fácies mea: ℟. Fáciem tuam, Dómine, requíram. *Ps.* 26.

AD NONAM.

Lectio. *I. Cor.* 6.

An nescítis quóniam membra vestra templum sunt Spíritûs Sancti, qui in vobis est, quem habétis à Deo, & non estis vestrî? † Empti enim estis prétio magno. * Glorificáte & portáte Deum in córpore vestro.

℣. Cantábo tibi, Dómine; ℟. Psallam & intélligam in viâ immaculátâ. *Ps.* 100.

AD II. VESPERAS.

Antiphonæ.

I. Vírgines accipientes lámpades suas, exiérunt óbviàm sponso & sponsæ. Allelúia. *Matth.* 25.

II. Prudentes accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus, & ornavérunt lámpades suas. Allelúia. *Matth.* 25.

III. Médiâ nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit; exíte óbviàm ei. Allelúia. *Matth.* 25.

IV. Venit sponsus; & quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias. Allelúia. *Matth.* 25.

Lectio. *Apoc.* 19.

Regnávit Dóminus Deus noster omnípotens: † gaudeámus, & exsultémus; & demus glóriam ei; * quia venérunt núptiæ Agni.

℟. *br.* Júvenes & vírgines laudent nomen Dómini. * Allelúia, allelúia. ℟. Júvenes. ℣. Quia exaltátum est nomen ejus solíus. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Júvenes. *Ps.* 148.

Si sit Martyr, Hymnus, Festis læta sonent. *ut ad I. Vesperas, pag.* lxij.

℣. Retríbuet mihi Dóminus secundùm justítiam meam, ℟. Et secundùm puritátem mánuũ meárum in

in conspectu oculórum ejus. *Ps.* 17.

Ad Magníficat. *Ant.* Casta generátio in perpétuum coronáta triũphat, incoinquinatórum certáminum præmium vincens. Allelúia. *Sap.* 4.

Si non sit Martyr, Hymnus, Vos, ô Virgínei. *ut ad I. Vesp. pag.* lxiij.

℣. Me propter innocéntiam suscepisti, ℟. Et confirmasti me in conspectu tuo in æternum. *Ps.* 40.

Ad Magníficat. *Ant.* In resurrectióne, neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo. Allelúia. *Matth.* 22.

DIEBUS PRIVATIS.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO. *I. Cor.* 7.

DE Virgínibus præceptum Dómini non hábeo; consílium autem do, tamquàm misericórdiam consecútus à Dómino, ut sim fidélis.

℣. Beáti immaculáti in viâ, ℟. Qui ámbulant in lege Dómini. *Ps.* 118.

COMMUNE

SANCTARUM

MULIERUM.

AD I. VESPERAS.

Antiphonæ ut infrà ad Laudes, quartâ omissâ. pag. lxxix.

Pars Verna.

LECTIO. *I. Cor.* 11.

VOlo vos scire quòd omnis viri caput Christus est: † caput autem mulieris, vir: * caput verò Christi, Deus.

℟. *br.* Perambulábam in innocéntiâ cordis mei in médio domus meæ. * Allelúia, allelúia. ℟. Perambulábam. ℣. Non proponébam ante óculos meos rem injustam. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Perambulábam. *Ps.* 100.

HYMNUS. *S. V.*

ADeste, sanctæ Cónjuges;
En illa fortis fémina,
Ornáta quæ virtútibus
Inter triumphat cœlites.

Non vana pompa séculi
Sensus fefellit, nec malis
Gliscens voluptas ártibus
Viríle pectus mólliit.

Prodesse quærit ómnibus,
Curis honestis ánxia;
Patróna, custos vírginum,
Secunda mater órphanis.

Pannis latentem vílibus
Christum fovébat hóspite;
Quas dura subtraxit sibi,
Opes refundit pródiga.

Pascenda cœlesti cibo,
Sacris studébat lítteris;
Templo frequens, sed sédula
Redíbat ad curam domûs.

Pacem domi, pacem foris
Alto colit siléntio;
Lites amat compónere,
Ut una mens sit ómnibus.

Divína proles féminæ,
Jesu, tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempitérna ſécula.
Amen.

Si ſit Martyr, ℣. Miſericórdia tua, Dómine, ſubſequétur me, ℟. Omnibus diébus vitæ meæ. *Pſ.* 22.

Ad Magníficat. *Ant.* Deus cœlórum, exaudi me deprecantem, & de tuâ miſericórdiâ præſumentem; ut gentes agnoſcant quia tu es Deus, & non eſt álius præter te. Allelúia. *Judith,* 9.

Collecta infrà ad Laudes, niſi ſit propria.

Si non ſit Martyr, ℣. Miſericórdia tua, Dómine, ante óculos meos eſt, ℟. Et complácui in veritáte tuâ. *Pſ.* 25.

Ad Magníficat. *Ant.* Exſultávit cor meum in Dómino, & dilatátum eſt cor meum: quia lætáta ſum in ſalutári tuo. Allelúia. *I. Reg.* 2.

Collecta infrà ad Laudes, niſi ſit propria.

AD OFFICIUM NOCT.

In Pſ. Veníte. *Ant.* Deum, in quo ſperant ſanctæ Mulíeres, * Veníte, adorémus. Allelúia. *I. Petr.* 3.

Hymnus, Adeſte, ſanctæ Cónjuges. *ut ſuprà ad I. Veſperas, pag.* lxxiij.

IN I. NOCTURNO.

Ant. I. Inítium ſapiéntiæ timor Dómini, cum electis féminis gráditur. Allelúia. *Eccli.* 1.

II. Grátia ſuper grátiam, múlier ſancta & pudoráta. Allelúia. *Eccli.* 26.

III. Múlier ſensáta & bona, grátia verecúndiæ illíus ſuper aurum. Allelúia. *Eccli.* 7.

IV. Fundamenta ætérna ſupra petram sólidam; & mandáta Dei in corde mulíeris ſanctæ. Allelúia. *Eccli.* 26.

V. Fortitúdo & decor indumentum ejus, & ridébit in die noviſſimo. Allelúia. *Prov.* 31.

VI. Sic ſanctæ mulíeres ſperantes in Deo, ornábant ſe. Allelúia. *I. Petr.* 3.

℣. Mandáta tua diléxi, Dómine, ℟. Super aurum & topázion. *Pſ.* 118.

Lectiones cum Reſponſoriis ſuis de Scripturâ occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Ant. I. Super ſervos meos, & ſuper ancillas meas in diébus illis effundam de ſpíritu meo. Allelúia. *Act.* 2.

II. Sicut Eccléſia ſubjecta eſt Chriſto, ita & mulíeres viris ſuis in ómnibus. Allelúia. *Epheſ.* 5.

III. Deprecabátur Dóminum, dicens: Dómine mi, qui Rex noſter es ſo-

lius, ádjuva me, cujus præter te nullus est auxiliátor álius. Allelúia. *Esther*, 14.

IV. Ostende, quóniam non derelinquis præsumentes de te. Allelúia. *Judith*, 6.

V. Hæc erat plena opéribus bonis & eleemósynis quas faciébat. Allelúia. *Act.* 9.

VI. In opéribus bonis testimónium habens, omne opus bonum subsecúta est. Allelúia. *I. Tim.* 5.

℣. Ego sicut olíva fructífera in domo Dómini, ℟. Sperávi in misericórdiâ Dei. *Ps.* 51.

LECTIO V.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi. *Serm.* 196. *in Nat. Dom.* 13. *Edit. Bened. Cap.* 2.

TRes vitæ sunt in Ecclésiâ membrórum Christi: conjugális, viduális, virginális. Quia ipsæ vitæ, ipsæ pudicítiæ futúræ erant in sanctis membris Christi; omnes istæ vitæ tres adtestátæ sunt Christum. Prima conjugális: quando María virgo concépit, Elísabeth uxor Zachariæ & ipsa concéperat; hujus Júdicis præcónem ferébat in útero. Venit ad eam sancta María, tamquàm ad cognátam suã salutandam. Exsultávit infans in útero Elísabeth. Ille exsultávit, illa prophetávit. Habes adtestantem pudicítiam conjugálem.

℟. Fallax grátia, & *Vana est pulchritúdo: múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur. Allelúia. ℣. Ne respícias in mulíeris spéciem. * Vana est. *Prov.* 31. *Eccli.* 25.

LECTIO VI.

UBi viduális vita? In Annâ. Audistis, quòd esset sancta prophetissa vídua octoginta & quátuor annórum, quæ septem annis víxerat cum viro suo; frequentans templum Dómini, sérviens in oratiónibus nocte & die. Et ipsa vídua agnóvit Christum. Vidit parvum, agnóvit magnum. Et ipsa adtestáta est. Habes & in istâ vitam viduálem. In Maríâ virginálem. Eligat sibi quisque de istis tribus quam volúerit. Qui præter istas esse volúerit, in membris Christi esse non dispónit.

℟. Erat in ómnibus famosíssima, quóniam timébat Dóminum valdè, * Nec erat qui loquerétur de illâ verbum malum. Allelúia. ℣. Non discedébat de templo, jejúniis & obsecratiónibus sérviens die ac nocte. * Nec erat. *Judith*, 8. *Luc.* 2.

LECTIO VII.

NOn dicant conjugátæ, Nos ad Christum non pertinémus. Habuérunt

maritos ſanctæ féminæ. Non ſe extollant vírgines. Quantò magnæ ſunt, humílient ſe in ómnibus. Omnia exempla ſalútis propóſita ſunt ante óculos noſtros. Nemo exórbitet. Nemo præter uxórem: mélius ſine uxóre. Si pudicítiam conjugálem quæris, habes Suſánnam; ſi viduálem, habes Annam; ſi virginálem, habes Maríam.

℟. Benedícta es tu à Dómino: * Scit enim omnis pópulus mulíerem te eſſe virtútis. Allelúia. ℣. Nomen tuum Dóminus ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum. * Scit. *Ruth*, 3. *Judith*, 15.

LECTIO VIII.

Ex libro ejuſdem de Agóne Chriſtiáno. *Ed. Bened. Cap.* 11.

ERigat ſpem ſuam genus humánum, & recognoſcat natúram ſuam: vídeat quantum locum hábeat in opéribus Dei. Nolíte voſipſos contémnere, viri; Fílius Dei virum ſuſcépit. Nolíte voſmetipſas contémnere, féminæ; Fílius Dei natus ex féminâ eſt. Nolíte tamen amáre carnália; quia in Fílio Dei nec máſculus nec fémina ſumus. Nolíte amáre temporália, quia ſi benè amarentur, amáret ea homo quem ſuſcépit Fílius Dei. Nolíte timére contumélias, & cruces, & mortem; quia ſi nocérent hómini, non ea paterétur homo quem ſuſcépit Fílius Dei.

℟. Feciſti viríliter & confortátum eſt cor tuum, eo quòd caſtitátem amáveris: * Et ideò eris benedícta in ætérnum. † Allelúia. ℣. Oratiónes tuæ & eleemóſynæ tuæ aſcendérunt in memóriam in conſpectu Dei. * Et ideò. ℣. Glória. † Allelúia. *Judith*, 15. *Act.* 10.

IN III. NOCTURNO.

I. CANTICUM. *Prov.* 31.

Quàm rara, ſed pretioſa mulier ſapiens! ejus dotes, encomium, & gloria; corporis pulchritudo fallax gratia.

MUlíerem fortem quis invéniet? * procul & de últimis fínibus prétium ejus.

Confídit in eâ cor viri ſui, * & ſpóliis non indigébit.

Reddet ei bonum, & non malum, * ómnibus diébus vitæ ſuæ.

Quæſívit lanam & linum, * & operáta eſt consílio mánuum ſuárum.

Facta eſt quaſi navis inſtitóris, * de longè portans panem ſuum.

Et de nocte ſurrexit; * deditque prædam domeſticis ſuis, & cibária ancillis ſuis.

Consideràvit agrum, & emit eum : * de fructu mánuum suárum plantávit víneam.

II. CANTICUM. *Ibid.*

Accinxit fortitúdine lumbos suos, * & roborávit bráchium suum.

Gustávit & vidit, quia bona est negotiátio ejus; * non exstinguétur in nocte lucerna ejus.

Manum suam misit ad fórtia, * & dígiti ejus apprehendérunt fusum.

Manum suam apéruit ínopi, * & palmas suas extendit ad páuperem.

Non timébit dómui suæ à frigóribus nivis; * omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplícibus.

Stragulátam vestem fecit sibi : * byssus & púrpura indumentum ejus.

Nóbilis in portis vir ejus, * quando séderit cum senatóribus terræ.

Síndonem fecit & véndidit; * & cíngulum trádidit Chananæo.

III. CANTICUM. *Ibid.*

Fortitúdo & decor indumentum ejus; * & ridébit in die novíssimo.

Os suum apéruit sapiéntiæ, * & lex cleméntiæ in linguâ ejus.

Consideràvit sémitas domûs suæ, * & panem otiósa non comédit.

Surrexérunt filii ejus, & beatíssimã prædicavérunt; * vir ejus, & laudávit eam.

Multæ filiæ congregavérunt divítias : * tu supergressa es universas.

Fallax grátia, & vana est pulchritúdo : * múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur.

Date ei de fructu mánuum suárum; * & laudent eam in portis ópera ejus.

Ant. Laudáte Dóminum Deum nostrum, qui non deséruit sperantes in se, & in me ancillâ suâ adimplévit misericórdiam suam. Allelúia. *Judith*, 13.

℣. Glorificábo nomen tuum in æternum, ℟. Quia misericórdia tua magna est super me. *Ps.* 85.

LECTIO IX.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

Cap. 5.

Mulieres viris suis súbditæ sint, sicut Dómino : quóniam vir caput est mulíeris : sicut Christus caput est Ecclésiæ; ipse salvátor córporis ejus. Sed sicut Ecclésia subjecta est Christo; ita & mulíeres viris suis in ómnibus.

℟. Adjuva me, nullum áliud auxílium habentem, nisi te, Dómine, qui habes ómnium sciéntiam; * Et nosti quia óderim glóriam iniquórum. Allelúia. ℣. Tu scis quòd nunquàm lætáta sit ancilla tua,

nisi in te, Dómine Deus Abraham. * Et nosti. *Esther*, 14.

LECTIO X.

VIri, dilígite uxóres vestras, sicut & Christus diléxit Ecclésiam, & seipsum trádidit pro eâ, ut illam sanctificáret, mundans lavácro aquæ in verbo vitæ, ut exhibéret ipse sibi gloriósam Ecclésiam, non habentem máculam, aut rugam, aut áliquid hujúsmodi, sed ut sit sancta & immaculáta. Ita & viri debent dilígere uxóres suas ut córpora sua.

℟. Nunquàm cum ludéntibus míscui me; * Neque cum his qui in civitáte ámbulant, partícipem me præbui. Allelúia. ℣. Mundam servávi ánimā meam ab omni concupiscéntiâ. * Neque. *Tob.* 3.

LECTIO XI.

QUi suam uxórem díligit, seipsum díligit. Nemo enim unquam carnem suam ódio hábuit: sed nutrit, & fovet eam, sicut & Christus Ecclésiam: quia membra sumus córporis ejus, de carne ejus & de óssibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærébit uxóri suæ; & erunt duo in carne unâ. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclésiâ. Verúmtamen & vos sínguli, unusquisque uxórem suam sicut seipsum díligat: uxor autem tímeat virum suum.

℟. Non est in sermónibus tuis ulla reprehénsio: * Nunc ergo ora pro nobis, quóniam múlier sancta es, & timens Deum. Allelúia. ℣. Fides tua te salvam fecit. * Nunc. *Judith*, 8. *Luc.* 7.

LECTIO XII.

Ex Epístolâ primâ beáti Petri Apóstoli. *Cap.* 3.

MUlíeres súbditæ sint viris suis; ut & si qui non credunt verbo, per mulíerum conversatiónem sine verbo lucrifiant, *considerantes* in timóre castam conversatiónem vestram. Quarum non sit extrínsecùs capillatúra, aut circumdátio auri, aut induménti vestimentórum cultus; sed qui abscónditus est cordis homo, in incorruptibilitáte quiéti & modesti spíritûs, qui est in conspectu Dei lócuples. Sic enim aliquando & sanctæ mulíeres, sperantes in Deo, ornábant se, subjectæ própriis viris. Sicut Sara obediébat Abrahæ, dóminum eum vocans: cujus estis filiæ benefacientes, & non pertimentes ullam perturbatiónem.

℟. Si qua múlier fidélis habet virum infidélem, & hic consentit habitáre cum illâ, non dimittat virum:

* Sanctificátus est enim vir infidélis per mulíerem fidélem. † Allelúia. ℣. Qui invénit mulíerem bonam, invénit bonum; & háuriet jucunditátem à Dómino. * Sanctificátus est. ℣. Glória. † Allelúia. *I. Cor.* 7. *Prov.* 18.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 19.

ACcessérunt ad Jesum Pharisæi tentantes eum, & dicentes: Si licet hómini dimíttere uxórem suam, quâcumque ex causâ? Qui respondens, ait eis: Non legistis, quia qui fecit hóminem ab inítio, máscu-lum & féminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærébit uxóri suæ. Et erunt duo in carne unâ. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non séparet. Dicunt illi: Quid ergo Móyses mandávit dare libellum repúdii, & dimíttere? Ait illis: Quóniam Móyses ad durítiam cordis vestri permísit vobis dimíttere uxóres vestras: ab inítio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicumque dimíserit uxórem suam, nisi ob fornicatiónem, & áliam dúxerit, mœchátur. Dicunt ei discípuli ejus: Si ita est causa hóminis cum uxóre, non expedit núbere. Qui dixit illis: Non omnes cápiunt verbum istud, sed quibus datum est: sunt enim eunúchi, qui de matris útero sic nati sunt; & sunt eunúchi, qui facti sunt ab homínibus; & sunt eunúchi, qui se ipsos castravérunt propter regnum cœlórum: qui potest cápere, cápiat.

AD LAUDES.

ANTIPHONÆ.

I. SIcut sol óriens mundo in altíssimis Dei, sic mulíeris bonæ spécies in ornamentum domûs ejus. Allelúia. *Eccli.* 26.

II. Considerávit sémitas domûs suæ, & panem otiósa non comédit. Allelúia. *Prov.* 31.

III. Os suum apéruit sapiéntiæ, & lex clementiæ in linguâ ejus. Allelúia. *Prov.* 31.

IV. Ego sum, ego sum, quæ Dómino canam, psallam Dómino Deo Israel. Allelúia. *Judic.* 5.

V. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri. Allelúia. *Judith*, 15.

LECTIO. *I. Tim.* 2.

MUlier in siléntio discat cum omni subjectióne. † Docére autem mulíeri non permitto, neque dominári in virum; * sed esse in siléntio.

℟. *br.* Dixi : Custódiam vias meas, ut non delinquam in linguâ meâ. * Allelúia, allelúia. ℟. Dixi. ℣. Pósui ori meo custódiam. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Dixi. *Ps.* 38.

HYMNUS. *S. V.*

O Jam beáta, quæ suo
Tandem solúta córpore,
Vinclis perennióribus
Uni Deo conjúngitur!
Per quos gradus cœlum petit,
Hâc ire vos omnes docet,
Junctæ jugáli vínculo,
Et vos solútæ cónjuges.
Insignis & nos Féminæ
Sequi decet vestígia,
Magnum vel ipsis quæ fuit
Virtútis exemplum viris.
Queîs arsit illa, fac, Deus,
Flagrémus & nos ígnibus;
Eóque, quo te vis coli,
Amóre fac mens te colat.
Sit laus Patri, laus Fílio;
Par sit tibi laus, Spíritus:
Qui robur addis féminis,
Tu nostra firma péctora.
Amen.

Si sit Martyr,

℣. Adhæsit ánima mea post te: ℟. Me suscépit déxtera tua. *Ps.* 62.

Ad Benedictus. *Ant.* Invocávi Dóminum Patrem Dómini mei, ut non derelinquat me in die tribulatiónis meæ, & exaudíta est orátio mea. Allelúia. *Eccli.* 51.

COLLECTA. *Brev. Senon.*

DEus, cujus grátiâ virtus in infirmitáte perfícitur; † largíre nobis, quæsumus, beátæ *N.* Mártyris tuæ triumphum recoléntibus, * ut quæ à te accépit ut vínceret, à te quoque vincendi grátiam nobis obtíneat : Per Dóminum.

Si non sit Martyr,

℣. Meditátio cordis mei in conspectu tuo semper, ℟. Dómine, adjútor meus & redemptor meus. *Ps.* 18.

Ad Benedictus. *Ant.* Orátio humiliantis se, nubes penetrábit; & non discédet donec Altíssimus adspíciat, & Dóminus non elongábit. Allelúia. *Eccli.* 35.

COLLECTA. *Brev. Paris.*

TUórum corda fidélium, Deus miserátor, illústra; † & beátæ *N.* précibus ac méritis, fac nos terréna despícere, * & amáre cœléstia : Per Dóminum.

AD TERTIAM.

LECTIO. *I. Tim.* 2.

VOlo oráre mulíeres in hábitu ornáto, † cum verecúndiâ & sobrietáte ornantes se, & non in tortis crínibus, aut auro, aut margarítis, vel veste pretiósâ; * sed quod decet mulíeres, promittentes pietátem per ópera bona.

℣. Averte óculos meos ne vídeant vanitátem : ℟. In viâ tuâ vivífica me. *Ps.* 118.

AD SEXTAM.

LECTIO. *I. Tim. 3.*

OPortet mulíeres esse pudícas, † non detrahentes,* sóbrias, fidéles in ómnibus.

℣. Ab omni viâ malâ prohíbui pedes meos; ℟. Ut custódiam verba tua. *Ps.* 118.

AD NONAM.

LECTIO. *Tit. 2.*

DOceant adolescéntulas, ut viros suos ament, filios suos díligant; † prudentes, castas, sóbrias, domûs curam habentes, benígnas, súbditas viris suis,* ut non blasphemétur verbum Dei.

℣. Anima mea Dómino vivet, ℟. Et semen meum sérviet ipsi. *Ps.* 21.

AD II. VESPERAS.

Antiphonæ ut suprà ad Laudes, quartâ omissâ.

LECTIO. *I. Tim. 2.*

MUlier salvábitur per filiórum generatiónem, † si permánserit in fide, & dilectióne, & sanctificatióne * cum sobrietáte.

℟. *br.* Exsultábo, & lætábor in misericórdiâ tuâ. Allelúia, allelúia. ℟. Exsultábo. ℣. Quóniam respexisti humilitátem meam. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Exsultábo. *Ps.* 31.

Hymnus, O jam beáta, *ut suprà ad Laudes.*

Si sit Martyr,

℣. Apud me orátio Deo vitæ meæ, ℟. Dicam Deo: Suscéptor meus es. *Ps.* 41.

Ad Magníficat. *Ant.* Indue te decóre & honóre ejus, quæ à Deo tibi est, sempitérnæ glóriæ; Deus enim osténdet splendórem suum in te. Allelúia. *Baruch*, 5.

Si non sit Martyr,

℣. Anima mea exsultábit in Dómino; ℟. Et delectábitur super salutári suo. *Ps.* 34.

Ad Magníficat. *Ant.* Gloriétur super te, Jerúsalem, & sit nomen tuum in número sanctórum & justórum. Allelúia. *Judith*, 10.

DIEBUS PRIVATIS.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO. *Ephes. 5.*

MUlíeres viris suis súbditæ sint, sicut Dómino: quóniam vir caput est mulíeris, sicut Christus caput est Ecclésiæ: ipse salvátor córporis ejus. Sed sicut Ecclésia subjecta est Christo, ita & mulíeres viris suis in ómnibus.

℣. Quómodò dilexi legem tuam, Dómine! ℟. Totâ die meditátio mea est. *Ps.* 118.



IN ANNIVERSARIO DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

Solemnitas I. Classis.

AD I. VESPERAS.

Antiphonæ.

I. MAgnus est Deus noster super omnes deos. Quis ergo póterit prævalére ut ædíficet dignam Deo domum? Allelúia. *II. Paral.* 2.

II. Ergone credíbile est, ut hábitet Deus cum homínibus super terram? Allelúia. *II. Paral.* 6.

III. Si cœlum & cœli cœlórum cápere eum néqueunt, quantus ego sum, ut possim ædificáre ei domum? Allelúia. *II. Paral.* 2.

IV. Quàm terríbilis est locus iste! non est hìc áliud, nisi domus Dei, & porta cœli. Allelúia. *Genes.* 28.

Lectio. *Deut.* 12.

AD locum quem elégerit Dóminus Deus vester de cunctis tríbubus vestris, † ut ponat nomen suum ibi, & hábitet in eo,* veniétis, & offerétis in loco illo, holocausta & víctimas vestras.

℟. *br.* Introíbimus in tabernáculum ejus. Allelúia, allelúia. ℟. Introíbimus. ℣. Adorábimus in loco, ubi stetérunt pedes ejus. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Introíbimus. *Ps.* 131.

Hymnus. *Brev. Paris.*

URbs Jerúsalem beáta,
Dicta pacis vísio,
Quæ constrúitur in cœlis
Vivis ex lapídibus,
Et ovantûm coronáta
Angelórum ágmine.

Nova véniens è cœlo
Nuptiáli thálamo,
Præparáta ut sponsáta
Copulétur Dómino;
Platéæ & muri ejus
Ex auro puríssimo.

Portæ nitent margarítis,
Adytis paténtibus;
Et virtúte meritórum,
Illuc introdúcitur
Omnis qui ob Christi nomen
Hìc in mundo prémitur.

Tunsiónibus, pressúris
Expolíti lápides,
Suis coaptantur locis
Per manus Artíficis,
Disponuntur permansúri
Sacris ædifíciis.

Sit perennis laus Parenti;
Sit perennis Fílio;
Laus tibi, qui nectis ambos,
Sit perennis, Spíritus,
Chrisma cujus nos inungens
Viva templa cónsecrat.
Amen.

℣. Fundátur exsultatióne

universæ terræ mons Sion. ℟. Deus in dómibus ejus cognoscétur. *Ps.* 47.

Ad Magníficat. *Ant.* Dómus mea ædificábitur in Jerúsalem, & consolábitur adhuc Dóminus Sion, & éliget adhuc Jerúsalem. Allelúia. *Zach.* 1.

Collecta infrà ad Laudes.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Dóminum in templo sancto suo, * Veníte, adorémus. Allelúia. *Ps.* 10.

HYMNUS. *Br. Paris.*

ANguláris fundamentum
Lapis Christus missus est,
Qui paríetum compáge
In utróque nectitur,
Quem Sion sancta suscépit,
In quo credens pérmanet.
Omnis illa Deo sacra
Et dilecta cívitas,
Plena módulis, in laude
Et canóre júbilo
Trinum Deum unicumque
Cum fervóre prædicat.
Hoc in templo, summe Deus,
Exorátus ádveni,
Et clementi bonitáte
Precum vota súscipe;
Largam benedictiónem
Hîc infunde júgiter.
Hîc promereantur omnes
Petíta acquírere
Et adepta possidére
Cum Sanctis perénniter,
Paradísum introíre,
Transláti in réquiem.
Sit decus, laus & potestas,
Sit supréma glória
Qui nos creávit, Parenti;
Qui redémit Fílio;
Templa cujus sunt fidéles,
Sit sacro laus Flámini.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. I. Ædificávit Noë altáre Dómino; & óbtulit holocausta super altáre; odoratúsque est Dóminus odórē suavitátis. Allelúia. *Gen.* 8.

II. Erexit Jacob lápidem in títulum, fondens óleum désuper, dicens: Erit mihi Dóminus in Deum, & lapis iste vocábitur Domus Dei. Allelúia. *Ibid.* 28.

III. Móyses tabernáculum erexit, unxítque & sanctificávit cum ómnibus vasis suis, altáre simíliter, & ómnia vasa ejus. Allelúia. *Num.* 7.

IV. David invénit grátiam ante Deum, & pétiit ut inveníret tabernáculum Deo Jacob. Allelúia. *Act.* 7.

V. Dixit David ad Salomónem: Fili mi, sit Dóminus tecum, & ædífica domum Dómino tuo, sicut locútus est de te. Allelúia. *I. Paral.* 22.

VI. Salomon ædificávit illi domum; sed non Excelsus in manufactis hábitat,

ſicut Prophéta dicit : Cœlum mihi ſedes eſt. Allelúia. *Act.* 7.

℣. Dómine, dilexi decórem domûs tuæ, ℟. Et locum habitatiónis glóriæ tuæ. *Pſ.* 25.

LECTIO I.

Ex Libro ſecundo Paralipómenon. *Cap.* 7.

CUm compleſſet Sálomon fundens preces, ignis deſcendit de cœlo, & devorávit holocauſta & víctimas : & majeſtas Dómini implévit domum. Nec póterant ſacerdótes ingredi templum Dómini, eo quòd impleſſet majeſtas Dómini templum Dómini. Sed & omnes filii Iſraël vidébant deſcendentem ignem, & glóriam Dómini ſuper domum : & corruentes proni in terram ſuper pavimentum ſtratum lápide adoravérunt, & laudavérunt Dóminum : Quóniam bonus, quóniam in ſǽculum miſericórdia ejus. Rex autem & omnis pópulus immolábant víctimas coram Dómino.

℟. Sicut Móyſes orábat ad Dóminum, & deſcendit ignis de cœlo ; * Sic & Sálomon orávit, & deſcendit ignis de cœlo, & conſumpſit holocauſtum. Allelúia. ℣. Benedixérunt Móyſes & Aaron pópulo, & ecce egreſſus ignis à Dómino devorávit holocauſtū. *Sic. *II. Mach.* 2. *Levit.* 9.

LECTIO II.

SAcerdótes autem ſtabant in officiis ſuis ; & Levítæ in órganis cárminum Dómini, quæ fecit David Rex ad laudandum Dóminum : Quóniam in æternū miſericórdia ejus, hymnos David canentes per manus ſuas : porrò ſacerdótes canébant tubis ante eos, cunctuſque Iſraël ſtabat. Sanctificávit quoque Sálomon médium átrii ante templum Dómini, obtúlerat enim ibi holocauſta & ádipes pacificórum : quia altáre æneum, quod fecerat, non póterat ſuſtinére holocauſta, & ſacrificia, & ádipes. Fecit ergo Sálomon ſolemnitátem in témpore illo ſeptem diébus, & omnis Iſraël cum eo, eccléſia magna valdè, ab intróitu Emath uſque ad Torrentem Ægypti : fecitque die octavo collectam.

℟. Móyſes tabernáculum & ómnia vaſa miniſtérii aſperſit, & ómnia penè in ſánguine ſecundùm legem mundantur : * Neceſſe eſt ergo exemplária quidem cœléſtium his mundári : ipſa autem cœléſtia melióribus hóſtiis, quàm iſtis. Allelúia. ℣. Tulit Móyſes unctiónis óleum quo linivit tabernáculum cum omni ſupelléctili ſuâ : óbtulit &

vitulum pro peccáto. * Necesse. *Hebr.* 9. *Levit.* 8.

LECTIO III.

Appáruit autem ei Dóminus nocte, & ait: Audívi oratiónem tuam, & elégi locum istum mihi in domum sacrificii. Si cláusero cœlum, & plúvia non flúxerit, & mandávero & præcépero locustæ, ut dévoret terram, & mísero pestiléntiam in pópulum meum: conversus autem pópulus meus, super quos invocátum est nomen meũ, deprecátus me fúerit, & exquisíerit fáciem meam, & égerit pœniténtiam à viis suis péssimis: & ego exáudiam de cœlo, & propítius ero peccátis eórum, & sanábo terram eórum. Oculi quoque mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad oratiónem ejus qui in loco isto oráverit. Elégi enim & sanctificávi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum, & permáneant óculi mei, & cor meum ibi cunctis diébus.

℟. Si duo ex vobis consénserint super terram, de omni re quamcumque petíerint, fiet illis à Patre meo qui in cœlis est. * Ubi enim sunt duo vel tres congregáti in nómine meo, ibi sum in médio eórum. Allelúia. ℣. Oculi mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad oratiónem ejus qui in loco isto oráverit. * Ubi. *Matth.* 18. *II. Paral.* 7.

LECTIO IV.

Tu quoque si ambuláveris coram me, sicut ambulávit David pater tuus, & féceris juxta ómnia quæ præcépi tibi, & justítias meas judiciáque serváveris, suscitábo thronum regni tui, sicut pollícitus sum David patri tuo, dicens: Non auferétur de stirpe tuâ vir, qui sit princeps in Israel. Si autem aversi fuéritis, & derelíquéritis justítias meas, & præcepta mea, quæ propósui vobis, & abeuntes servíéritis diis aliénis, & adoravéritis eos, evellam vos de terrâ meâ, quam dedi vobis: & domum hanc, quam sanctificávi nómini meo, projíciam à fácie meâ, & tradam eam in parábolam & in exemplum cunctis pópulis.

℟. Hæc dicit Dóminus exercítuum, Deus Israel: Bonas fácite vias vestras, & stúdia vestra: * Et habitábo vobíscum in loco isto. † Allelúia. ℣. Appropinquáte Deo, & appropinquábit vobis: emundáte manus, peccatóres, & purificáte corda. * Et habitábo. ℣. Glória. † Allelúia. *Jerem.* 7. *Jac.* 4.

IN II. NOCTURNO.

Ant. I. Construxérunt, jubente Deo, domum Dei

filii transmigratiónis, & fecérunt dedicatiónem in gáudio. Allelúia. *I. Esdr. 6.*

II. Elégit Judas sacerdótes sine máculâ, & mundavérunt sancta, & ædificavérunt altáre novum. Allelúia. *I. Mach. 4.*

III. Si cœlum & cœli cœlórum non te cápiunt; quantò magis domus ista? Allelúia. *II. Paral. 6.*

IV. Tu, Dómine, elegisti domum istam ad invocandum nomen tuum in eâ; ut esset domus oratiónis & obsecratiónis pópulo tuo. Allelúia. *I. Mach. 7.*

V. Quicumque oráverit in loco isto, exaudi de habitáculo tuo, id est de cœlis; & propitiáre. Allelúia. *II. Paral. 6.*

VI. Tu es Deus meus, aperiantur, quæso, óculi tui, & aures tuæ intentæ sint ad oratiónem quæ fit in loco isto. Allelúia. *II. Paral. 6.*

℣. In nóctibus extóllite manus vestras in sancta,

℟. Et benedícite Dóminum. *Ps. 133.*

LECTIO V.

Sermo Sancti Augustini Epíscopi. *Serm. 336. In Dedic. Eccles. I. Edit. Bened. cap. 1.*

Celébritas hujus congregatiónis, Dedicátio est domûs oratiónis. Domus ergo nostrárum oratiónum ista est; domus Dei nos ipsi. Si domus Dei nos ipsi, nos in hoc século ædificámur, ut in fine séculi dedicémur. Ædifícium, immò ædificátio habet labórem, Dedicátio exsultatiónem. Quod hìc fiébat, quando ista surgébant; hoc fit modò, cùm congregantur credentes in Christum. Credendo enim quasi de silvis & móntibus ligna & lápides præciduntur: cùm verò catechizantur, baptizantur, formantur, tamquàm inter manus fabrórum & opíficum dolantur, collineantur, complanantur.

℟. Superædificáti estis super fundamentum Apostolórum & Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu, * In quo & vos coædificámini in habitáculum Dei in Spíritu. Allelúia. ℣. In ipso omnis ædificátio constructa crescit in templum sanctum in Dómino. * In quo. *Ephes. 5.*

LECTIO VI.

Verúmtamen domũ Dómini non fáciunt, nisi quando caritáte compaginantur. Ligna ista & lápides, si non sibi certo órdine cohærérent, si non se pacíficè innécterent, si non se ínvicèm, cohærendo sibi, quodámmodo amárent; nemo huc intráret. Dénique quando vides in áliquâ fábricâ lápides & ligna benè sibi cohærére, secúrus

intras, ruínam non times. Volens ergo Dóminus Christus intráre, & in nobis habitáre, tamquàm ædificando dicébat: Mandátum novum do vobis, ut vos ínvicèm diligátis. Mandátum, inquit, novum do vobis. Véteres enim erátis; domum mihi nondùm faciebátis; in vestrâ ruínâ jacebátis. Ergo ut eruámini de vestræ ruínæ vetustáte, vos ínvicèm amáte.

℟. Det vobis Deus Christum habitáre per fidem in córdibus vestris: * In caritáte radicáti & fundáti, ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei. Allelúia. ℣. In ipso ambuláte superædificáti in ipso & confirmáti fide. * In caritáte. *Ephes.* 3. *Coloss.* 2.

LECTIO VII.

Ex Libro décimo ejusdem de Civitáte Dei. *Cap.* 3. *Edit. Bened.*

DEi templum simul omnes & sínguli templa sumus; quia & ómnium concórdiam, & sínguIos inhabitáre dignátur: non in ómnibus quàm in síngulis major; quóniam nec mole disténditur, nec partitióne minúitur. Cùm ad illum sursùm est, ejus est altáre cor nostrum: ejus Unigénito eum sacerdóte placámus: ei cruentas víctimas cædimus, quando usque ad sánguinem pro ejus veritáte certámus: ei suavíssimum adolémus incensum, cùm in ejus conspectu pio sanctóque amóre flagrámus: ei dona ejus in nobis, nosque ipsos vovémus, & réddimus: ei beneficiórum ejus solemnitátibus festis & diébus statútis dicámus sacramusque memóriam, ne volúmine témporum ingráta subrépat oblívio: ei sacrificámus hóstiam humilitátis & laudis in arâ cordis igne férvidæ caritátis.

℟. Qui adhærent Dómino ut colant eum, & díligant nomen ejus, lætificábo eos in domo oratiónis meæ; * Quia domus mea domus oratiónis vocábitur cunctis pópulis. Allelúia. ℣. Holocausta eórum & víctimæ eórum placébunt mihi super altári meo. * Quia. *Isai.* 56.

LECTIO VIII.

AD hunc videndum, sicut vidéri potest, eíque cohærendum, ab omni peccatórum & cupiditátum malárum labe mundámur, & ejus nómine consecrámur. Ipse enim fons nostræ beatitúdinis, ipse omnis appetitiónis est finis. Hunc eligentes, vel pótiùs religentes, amiserámus enim negligentes: hunc ergo religentes, unde & relígio dicta perhibétur, ad eum dilectióne téndimus, ut

perveniendo quiescámus: ideò beáti, quia illo fine perfecti. Ut enim homo sese diligere nosset, constitútus est ei finis, quò referret ómnia quæ ágeret, ut beátus esset. Non enim qui se díligit, áliud esse vult quàm beátus. Hic autem finis est adhærére Deo. Hic est Dei cultus, hæc vera relígio, hæc recta píetas, hæc tantùm Deo débita sérvitus.

℟. Veri adoratóres adorábunt Patrem in spíritu & veritáte; * Nam & Pater tales quærit qui adórent eum. † Allelúia. ℣. Spíritus est Deus; & eos qui adórant eum, in spíritu & veritáte oportet adoráre. * Nam. ℣. Glória. † Allelúia. *Joan.* 4.

IN III. NOCTURNO.

I. Canticum. *III. Reg.* 8.

In dedicatione templi Salomonis oratio.

DOmine Deus Israel, non est símilis tuî, Deus in cœlo désuper, * & super terram deorsùm:

Qui custódis pactum & misericórdiam servis tuis, * qui ámbulant coram te in toto corde suo.

Ergone putandum est * quòd verè Deus hábitet super terram?

Si enim cœlum, & cœli cœlórum te cápere non possunt, * quantò magis domus hæc, quam ædificávi?

Sed réspice ad oratiónem servi tui, & ad preces ejus, Dómine Deus meus: * audi hymnum & oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódie:

Ut sint óculi tui aperti super domum hanc nocte ac die: * super domum de quâ dixisti: Erit nomen meum ibi:

Ut exáudias oratiónem, * quam orat in loco isto ad te servus tuus;

Ut exaudias deprecatiónem servi tui & pópuli tui Israel, * quodcumque oráverit in loco isto.

Et exáudies in loco habitáculi tui in cœlo, * & cum exaudiéris, propítius eris.

II. Canticum. *Jerem.* 7.

Non in Templo solo, sed in viis Domini confidendum.

AUdíte verbum Dómini, omnis Juda, * qui ingredímini per portas has, ut adorétis Dóminum.

Hæc dicit Dóminus exercítuum Deus Israel: bonas fácite vias vestras, & stúdia vestra: * & habitábo vobíscum in loco isto.

Nolíte confídere in verbis mendácii, * dicentes: Templum Dómini, templum Dómini, templum Dómini est.

Quóniam si benè direxéritis vias vestras, * & stúdia vestra:

Si fecéritis judícium inter virum & próximum ejus, * ádvenæ, & pupillo, & víduæ non fecéritis calúmniam,

Nec sánguinem innocentẽ effudéritis in loco hoc, * & post deos aliénos non ambulavéritis in malum vobismetipsis:

Habitábo vobiscum in loco isto; * in terrâ quam dedi pátribus vestris à século & usque in séculum.

III. Canticum. *Isai.* 2.

Ad montem Domini omnes fluent gentes. Lex de Sion exibit.

ET erit in novíssimis diébus præparátus mons domûs Dómini * in vértice móntium,

Et elevábitur super colles, * & fluent ad eum omnes gentes.

Et ibunt pópuli multi, & dicent: Venite & ascendámus ad montem Dómini, * & ad domum Dei Jacob.

Et docébit nos vias suas, * & ambulábimus in sémitis ejus:

Quia de Sion exíbit lex, * & verbum Dómini de Jerúsalem.

Ant. Síleat omnis caro à fácie Dómini; quia consurrexit de habitáculo sancto suo. Allelúia. *Zach.* 2.

℣. Exaudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ; ℟. Dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum. *Ps.* 27.

Lectio IX.

Ex Epístolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Corinthios. *Cap.* 3.

EGo plantávi; Apollo rigávit: sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est áliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat, Deus. Qui autem plantat, & qui rigat, unum sunt. Unusquisque autem própriam mercédem accípiet secundùm suum labórem. Dei enim sumus adjutóres: Dei agricultúra estis, Dei ædificátio estis. Secundùm grátiam Dei, quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum pósui: álius autem superædíficat. Unusquisque autem videat quómodo superædíficet. Fundamentum enim áliud nemo potest pónere, præter id quod pósitum est quod est Christus Jesus.

℟. Ad Dóminum accedentes lápidem vivum; * Et ipsi tamquam lápides vivi superædificámini, domus spirituális, sacerdótium sanctum, offerre spirituáles hóstias acceptábiles Deo per Jesum Christum. Allelúia. ℣. Hic est lapis qui

factus est in caput ánguli; * Et ipsi. *I. Petr.* 2. *Act.* 4.

LECTIO X.

SI quis autem superædíficat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lápides pretiósos, ligna, fœnum, stípulam: uniuscujusque opus manifestum erit: dies enim Dómini declarábit, quia in igne revelábitur; & uniuscujusque opus quale sit, ignis probábit. Si cujus opus mánserit quod superædificávit, mercédem accípiet. Si cujus opus árserit, detrimentum patiétur: ipse autem salvus erit; sic tamen, quasi per ignem. Nescítis quia Templum Dei estis, & Spíritus Dei hábitat in vobis? Si quis autem templum Dei violáverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.

℟. Membra vestra templum sunt Spíritûs sancti qui in vobis est, quem habétis à Deo, & non estis vestrî. Empti enim estis prétio magno: * Glorificáte & portáte Deum in córpore vestro. Allelúia. ℣. Nolíte contamináre ánimas vestras: sancti estóte, quia ego sanctus sum. * Glorificáte. *I. Cor.* 6. *Levit.* 11.

LECTIO XI.

NEmo se sedúcat: si quis vidétur inter vos sápiens esse in hoc sǽculo, stultus fiat, ut sit sápiens. Sapiéntia enim hujus mundi, stultítia est apud Deum. Scriptum est enim: Comprehendam sapientes in astútiâ eórum. Et íterum: Dóminus novit cogitatiónes sapiéntium, quóniam vanæ sunt. Nemo ítaque gloriétur in homínibus. Omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præséntia, sive futúra: ómnia enim vestra sunt; vos autem Christi, Christus autem Dei.

℟. Ponam tabernáculum meum in médio vestrî, & non abjíciet vos ánima mea: * Ambulábo inter vos, & ero Deus vester, vosque éritis pópulus meus. Allelúia. ℣. Vos estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus. * Ambulábo. *Levit.* 26. *II. Cor.* 6.

LECTIO XII.

Ex Epístolâ secundâ ejusdem ad eosdem. *Cap.* 6.

NOlíte jugum dúcere cum infidélibus. Quæ enim participátio justítiæ cum iniquitáte? aut quæ sócietas luci ad ténebras? Quæ autē convéntio Christi ad Bélial? aut quæ pars fidéli cum infidéli? Qui autem consensus templo Dei cum idólis? Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: Quóniam inha-

bitábo in illis, & inambulábo inter eos, & ero illórum Deus; & ipsi erunt mihi pópulus. Propter quod exíte de médio eórum, & separámini, dicit Dóminus; & immundum ne tetigéritis: & ego recípiam vos; & ero vobis in patrem, & vos éritis mihi in filios, & filias, dicit Dóminus omnípotens.

℟. Tu, Dómine universórum, qui nullíus índiges, voluisti templum habitatiónis tuæ fieri in nobis; * Et nunc, Sancte sanctórum Dómine, conserva in æternum impollútã domum istam. † Allelúia. ℣. Si quis templum Dei violáverit, disperdet illum Deus; templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. * Et nunc. ℣. Glória. † Allelúia. *II. Mach.* 14. *I. Cor.* 3.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 21.

Cum intrasset Jesus Hierosólymam, commóta est universa cívitas dicens: Quis est hic? Pópuli autem dicébant: Hic est Jesus Prophéta à Názareth Galilææ. Et intrávit Jesus in templum Dei, & ejiciébat omnes vendentes & ementes in templo; & mensas numulariórum, & cáthedras vendéntium columbas evertit. Et dicit eis: Scriptum est: Domus mea domus oratiónis vocábitur: vos autem fecistis illam speluncam latrónum. Et accessérunt ad eum cæci, & claudi in templo, & sanávit eos.

AD LAUDES.

ANTIPHONÆ.

I. Réspice de sanctuário tuo, Dómine; & de excelso cœlórum habitáculo, & bénedic pópulo tuo. Allelúia. *Deut.* 26.

II. Cadat virtus eórum, Dómine, in iracúndiâ tuâ, qui promittunt se violáre sancta tua, & tabernáculum nóminis tui. Allelúia. *Judith*, 9.

III. Ecce pono in Sion lápidem summum, anguláre̅m, electum, pretiósum; & qui crediderit in eum, non confundétur. Allelúia. *I. Petr.* 2.

IV. Dóminus fundávit Sion, & in ipso sperábunt páuperes pópuli tui. Allelúia. *Isai.* 14.

V. Christi domus sumus nos, si fidúciam & glóriam spei usque ad finem, firmam retineámus. Allelúia. *Hebr.* 3.

LECTIO. *Ezech.* 37.

Dabo sanctificatiónem meam in médio filiórum Israel in perpétuum. † Et erit tabernáculum meum

in eis, & ero eis Deus, * & ipsi erunt mihi pópulus.

℟. *br.* Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus: non commovébitur. * Allelúia, allelúia. ℟. Sanctificávit. ℣. Deus in médio ejus. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Sanctificávit. *Ps.* 45.

HYMNUS. *Guieti.*

PAtris æterni Sóboles coæva,
Dum tuæ sacros pia plebs honóres
Ædis instaurat, Deus alme, nostris
Annue votis.

Hìc sacri fontis látices ab ortu
Inditi purgant máculam reátûs:
Hìc & infúsum nova membra Christo
Chrisma coaptat.

Hìc suâ pascit pópulos fidéles
Carne, qui mundi scelus omne tollit
Agnus, & fusi prétium cruóris
Ipse propínat.

Hìc salus ægris ánimis parátur:
Hìc reos judex fácilis reláxat,
Atque lethálem rediviva pellit
Grátia culpam.

Cujus in cœlo thronus est perennis,
Incolit parvam Deus altus ædem:
Hìc adorátor sibi quisque sedem
Præparat astris.

Nullus hanc turbo quatit, irruentis
Nulla vis nimbi, rapidive fluctus:
Cedit hanc contra furor inferórum
Irritus omnis.

Laus Deo, qui nos sibi consecrávit:
Una sit Patri, paríliquc Proli:
Par sit ambórum tibi nexus, omni
Spíritus, ævo. Amen.

℣. Magnus Dóminus & laudábilis nimis, ℟. In civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus. *Ps.* 47.

Ad Benedictus. *Ant.* Scient gentes quia ego Dóminus sanctificátor Israel, cùm fuerit sanctificátio mea in médio eórum in perpétuum. Allelúia. *Ezech.* 37.

In ipso die Dedicationis.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

DEus, qui invisibíliter ómnia cóntines, & tamen pro salúte géneris humáni signa tuæ poténtiæ visibíliter ostendis: † Templum hoc poténtiâ tuæ inhabitatiónis illustra, * & concéde ut omnes, qui huc deprecatúri convéniunt, ex quâcumque tribulatióne ad te clamáverint, consolatiónis tuæ benefícia consequantur: Per Dóminum.

In Anniversario Dedicationis.

COLLECTA. *Br. Rom.*

DEus, qui nobis per síngulos annos hujus sancti Templi tui consecratiónis réparas diem, & sacris semper mystériis repræsentas incólumes: † exaudi preces pópuli tui, & præsta, * ut quisquis hoc Templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrasse lætétur; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Concílio Gangrensi. C. an. 324. Can. 21.

DOmos Dei honorámus, & qui fiunt in iis conventus ut sanctos & útiles recípimus, non pietátem in dómibus includentes, sed omnem locum in Dei nómine ædificátum honorantes, & quæ fit in ipsâ Ecclésiâ, congressiónem ad públici utilitátem recípimus; & ut semel dicámus, quæ à divínis Scriptúris, & Apostólicis Traditiónibus trádita sunt, in Ecclésiâ fieri optámus.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Sophon.* 1.

VIsitábo super omnem qui arroganter ingréditur super limen in die illâ; † qui complent domum Dómini Dei sui * iniquitáte & dolo.

℣. Adorábo ad templum sanctum tuum, Dómine, ℟. In timóre tuo. *Ps.* 5.

AD SEXTAM.

LECTIO. *I. Petr.* 2.

AD Christum accedentes lápidem vivum, ab homínibus quidem reprobátum, à Deo autem electum & honorificátum; † & ipsi tamquàm lápides vivi superædificámini, domus spirituális, sacerdótium sanctum, * offerre spirituáles hóstias, acceptábiles Deo per Jesum Christum.

℣. In multitúdine misericórdiæ tuæ, Dómine, ℟. Introíbo in domum tuam. *Ps.* 5.

AD NONAM.

LECTIO. *I. Cor.* 3.

NEscítis quia templum Dei estis, & spíritus Dei hábitat in vobis? † Si quis autem templum Dei violáverit dispérdet illum Deus. * Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.

℣. Domum tuam decet sanctitúdo, Dómine, ℟. In longitúdinem diérum. *Ps.* 92.

AD II. VESPERAS.

PSALMI ET ANT.

I. *Ps.* 109. Dixit Dóminus, *pag.* 26.

Ant. Quàm pulchra tabernácula tua, Jacob, & tentória tua, Ísrael! Allelúia. *Num.* 24.

II. *Ps.* 121. Lætátus sum. *pag.* 69.

Ant. Vocábunt Jerúsalem Sólium Dómini, & congregabuntur omnes gentes in nómine Dómini in Jerúsalem. Allelúia. *Jerem.* 3.

III. *Ps.* 131. Meménto, Dómine, David. *pag.* 147.

Ant. Addúcam eos in montem sanctum meum, & lætificábo eos in domo oratiónis meæ. Allelúia. *Isai.* 56.

IV. *Ps.* 147. Lauda Jerúsalem, Dóminum. *pag.* 110.

Ant. Dóminus in templo sancto suo: síleat à fácie ejus omnis terra. Allelúia. *Habacuc.* 2.

LECTIO. *Ephes.* 5.

CHristus diléxit Ecclésiam, & seipsum trádidit pro eâ, ut illam sanctificáret, mundans lavácro aquæ in verbo vitæ, † ut exhibéret ipse sibi gloriósam Ecclésiam, non habentem máculam, aut rugam, aut áliquid hujúsmodi: * sed ut sit sancta & immaculáta.

℟. *br.* Fundamenta ejus in móntibus sanctis. * Allelúia, allelúia. ℟. Fundamenta. ℣. Ipse fundávit eam Altíssimus. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Fundamenta. *Ps.* 86.

HYMNUS.

ECce sedes hic Ton...
Ecce cœli janua...
Hìc sacerdos, ara, ...
plum,
Hìc Deus fit hóstia:
Incruentâ morte, ju...
Hìc amor litat Deum...

Qualis ara, quanta ...
Ipsius capax Dei!
Quem nec universa ...
Omne nec cœlum ca...
Orbe parvo se coarct...
Hìc latére sústinet.

Quàm libenter hì...
dícis
Inserit se córdibus!
Hìc amantis tota Ch...
Exerit se cáritas:
Hìc pater caros sedé...
Gestit inter filios.

Hinc facesse quem ...
sana
Inficit contágio,
Nec sacrum transíre
Inquinátus áudeas:
Ultor astat cum flage...
Púniens sontes Deus.

Sit perennis laus Pa...
Sit perennis Fílio:
Laus tibi, qui nectis a...
Sit perennis, Spíritu...
Chrísma cujus nos ...
gens,
Viva Templa cons...
Amen.

℣. Glorióse dicta su...
te, cívitas Dei. ℟. ...
lætántium ómnium h...
tio est in te. *Ps.* 86.

Ad Magníficat.
Gressus rectos fácite ...
bus vestris; accessístis ...

ad civitátem Dei viventis Jerúsalem cœlestem: ítaque regnum immóbile suscipientes, serviámus Deo cum metu & reveréntiâ. Allelúia. *Hebr.* 12.

DIEBUS

INTRA OCTAVAM.

De quâ non fit in Quadragesimâ.

AD OFFICIUM NOCT.

Ant. Ad Veníte. *& Hymnus ut in Die. p.* lxxxiij.

IN I. NOCTURNO.

Antiphona unica & ℣. ut in Psalterio. Duæ primæ Lectiones de Scripturâ occurrente cum Responsoriis suis; tertia Lectio cum suo Responsorio, ut habetur infrà pro unâquâque die.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO. *Hebr.* 9.

MOyses tabernáculum & ómnia vasa ministérii sánguine aspersit, & ómnia pene in sánguine secundùm legem mundantur: & sine sánguinis effusióne non fit remissio. Necesse est ergo exemplária quidem cœléstium his mundári; ipsa autem cœléstia melióribus hóstiis quàm istis.

℣. In sancto appárui tibi, Dómine, ℟. Ut vidérem virtútem tuam & glóriam tuam. *Ps.* 62.

Collecta singulis diebus propria.

Ad reliquas Horas, omnia ut in Die, præter Psalmos vesperales qui dicuntur de Feriâ. Antiphonæ ad Benedictus. *&* Magníficat. *sicut & Collecta singulis diebus propria.*

DIE II.

INTRA OCTAVAM.

LECTIO III.

Ex Sermóne sancti Basílii Epíscopi in Psalmum vigésimum octávum. *Edit. Bened. n.* 7.

IN templo adstant sancti Angeli: adest Dóminus, qui ánimum ingrediéntium intuétur. Preces uniuscujusque manifestæ Deo sunt, quis ex affectu, quis scitè exquírat cœléstia, quis perfunctóriè & extrémis labris verba pronúnciet, cor verò ipsíus procul à Deo sit. Creatúra omnis tùm silens, tùm cœlestis, tùm terréna dat glóriam conditóri. Miserábiles verò hómines, postquàm, ædibus suis relictis, ad templum concurrérunt, quasi quidpiam consecutúri emolumenti, tamen Dei verbis aures non præbent: suam ipsórum natúram non séntiunt; præoccupáti peo-

câto, non affliguntur: non mœrent dum reminiſcuntur peccatórum: non timent judícium; ſed adridentes, & inter ſe jungentes déxteras, precatiónis domum in locum immódicæ loquacitátis vertunt.

℟. Veri adoratóres adorábunt Patrem in ſpíritu & veritáte; * Nam & Pater tales quærit qui adórent eum. † Allelúia. ℣. Spíritus eſt Deus; & eos qui adórant eum, in ſpíritu & veritáte oportet adoráre: * Nam. ℣. Glória. † Allelúia. *Joan.* 4.

Ad Benedictus. *Ant.* Trádite manus Dómino, & veníte ad Sanctuárium ejus, quod ſanctificávit in æternum. Allelúia. *II. Paral.* 3.

COLLECTA. *Sacr. Ambr.*

DEus, qui loca nómini tuo dicáta ſanctíficas; † effúnde ſuper hanc oratiónis domum grátiam tuam; * ut ab ómnibus hìc invocántibus te, auxílium tuæ miſericórdiæ ſentiátur; Per Dóminum.

Ad Magníficat. *Ant.* Stábimus coram domo hâc in conſpectu tuo, in quâ invocátum eſt nomen tuum: & clamábimus ad te in tribulatiónibus noſtris, & exáudies, Dómine. Allelúia. *II. Paral.* 20.

DIE III.

INTRA OCTAVAM.

LECTIO III.

Ex Libro ſecundo ſancti Auguſtíni Epíſcopi de Civitáte Dei. *Edit. Ben. Cap.* 28.

POpuli cónfluunt ad eccléſias caſtâ celebritáte, honeſtâ utriuſque ſexûs diſtinctióne: ubi áudiant quàm benè hìc ad tempus vívere débeant, ut poſt hanc vitam beátè ſemperque vívere mereántur: ubi ſanctâ Scripturâ, juſtitiæque doctrínâ de ſuperióre loco in conſpectu ómnium perſonante, & qui fáciunt, áudiant ad præmium: & qui non fáciunt, áudiant ad judícium. Quo etſi véniunt quidam tálium præceptórum irriſores, omnis eórum petulántia aut repentínâ immutatióne depónitur, aut timóre vel pudóre comprímitur. Nihil enim eis turpe ac flagitióſum ſpectandum imitandumque propónitur, ubi veri Dei aut præcepta inſinuantur, aut mirácula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia poſtulántur.

℟. Qui habet in cœlis habitatiónem viſitátor & adjútor eſt loci illíus, * Et venientes ad malè faciendú péreutit ac perdit. † Allelúia. ℣. Verè Dóminus eſt in loco iſto. * Et venientes.

℣. Glória. † Allelúia. *II. Machab.* 3. *Genes.* 28.

Ad Benedíctus. *Ant.* Ponam fáciem meam contra illum qui contamináverit Sanctuárium meum, ac pollúerit nomen sanctum meum. Allelúia. *Levit.* 20.

COLLECTA. *Sacr. Ambr.*

ADesto invocatiónibus nostris, omnípotens Deus, & hujus domûs, cujus es fundátor, esto protéctor: † nulla hìc nequítia contráriæ potestátis obsístat; * sed virtúte sancti Spíritûs operante, fiat hìc tibi semper purum servítium & devóta libertas: Per Dóminum.

Ad Magníficat. *Ant.* Domus tua, Dómine, in sanctificatióne tuâ permáneat: & omnes gentes agnoscant quia tu es Deus, & non est álius præter te. Allelúia. *Judith*, 9.

DIE IV.

INTRA OCTAVAM.

LECTIO III.

Ex Libro sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris de Unitáte Ecclésiæ. *Edit. Baluz.*

LOquitur Dóminus ad Petrum: Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam, & portæ inferórum non vincent eam. Et tibi dabo claves regni cœlórum, & quæ ligáveris super terram, erũt ligáta & in cœlis. Et íterùm eídem post resurrectiónem suam dixit: Pasce oves meas. Super illum unum ædíficat Ecclésiam suam, & illi pascendas mandat oves suas. Et quamvis Apóstolis ómnibus post resurrectiónem suam parem potestátem tríbuat, tamen ut unitátem manifestáret, unitátis ejusdem oríginem ab uno incipientem suâ autoritáte dispósuit. Hoc erant útique & cæteri Apóstoli, quod fuit Petrus, pari consórtio præditi & honóris & potestátis, sed exórdium ab unitáte profícíscitur, & primátus Petro datur, ut una Christi Ecclésia, & cáthedra una monstrétur.

℟. Dixit Jesus Simóni: Dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam, * Et portæ ínferi non prævalébunt adversùs eam. † Allelúia. ℣. Deus fundávit eam in æternum; * Et portæ. ℣. Glória. † Allelúia. *Matth.* 16. *Ps.* 47.

Ad Benedíctus. *Ant.* Properábunt gentes multæ, & dicent: Veníte, ascendámus ad montem Dómini, & ad domum Dei Jacob, & docébit nos de viis suis, Allelúia. *Mich.* 4.

COLLECTA. *Sacr. Ambr.*

DEus, qui Ecclésiam tuam sponsam vocáre dignátus es, ut quæ habet grátiam per fidei devotiónem, habéret étiam ex nómine pietátem; † da, ut omnis plebs nómini tuo sérviens, * hujus vocábuli consórtio digna esse mereátur; Per Dóminum.

Ad Magníficat. *Ant.* Domus Dei est Ecclésia Dei vivi, columna & firmamentum veritátis. Allelúia. *I. Tim.* 3.

DIE V.
INTRA OCTAVAM.

LECTIO III.

Ex Libro sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris de Unitáte Ecclésiæ. *Edit. Baluz.*

ET pastóres sunt omnes, & grex unus osténditur, qui ab Apóstolis ómnibus unánimi consensióne pascátur, ut Ecclésia Christi una monstrétur. Quam unitátem firmiter tenére & vindicáre debémus, máximè Epíscopi, qui in Ecclésiâ præsidémus, ut Episcopátum quoque ipsum, unum atque indivísum probémus. Nemo fraternitátem mendácio fallat; nemo fidei veritátem pérfidâ prævaricatióne corrumpat. Episcopátus unus est, cujus à síngulis in sólidum pars tenétur. Ecclésia quoque una est, quæ in multitúdinem látiùs increménto fœcunditátis exténditur. Quómodo solis multi rádii, sed lumen unum: & rami árboris multi, sed robur unum tenáci radíce fundátum; sic & Ecclésia Dómini luce perfúsa per orbem totum rádios suos pórrigit. Unum tamen lumen est, quod ubíque diffúnditur, nec únitas córporis separátur.

℟. Cívitas Dei luce spléndidâ fulgébis: & omnes fines terræ adorábunt te. Natiónes ex longínquo ad te vénient: * Et múnera deferentes, adorábunt in te Dóminum. † Allelúia. ℣. Vénient ab Oriente & Occidente & Aquilóne & Austro. * Et múnera. ℣. Glória. † Allelúia. *Rom.* 13. *Luc.* 13.

Ad Benedíctus. *Ant.* Jerúsalem, aperiéntur portæ tuæ júgiter: die ac nocte non claudentur, ut afferátur ad te fortitúdo géntium. Allelúia. *Isai.* 60.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

DOmum tuam, quǽsumus, Dómine, cleménter ingrédere, † & in tuórum tibi córdibus fidélium perpétuam constítue mansiónem, * ut cujus ædificatióne subsístit, hu-

jus fiat habitatióne præclára; Per Dóminum.

Ad Magníficat. *Ant.* Nominábitur tibi Jerúsalem, nomen tuum à Deo in sempiternum: Pax justítiæ, & honor pietátis. Allelúia. *Baruch*, 5.

DIE VI.

INTRA OCTAVAM.

LECTIO III.

Ex Libro sancti Cypriáni Epíscopi & Martyris de Unitáte Ecclésiæ. *Edit. Baluz.*

ADulterári non potest sponsa Christi, incorrupta est & pudíca. Hæc nos Deo servat, hæc fílios regno, quos generávit, assignat. Quisquis ab Ecclésiâ segregátus adúlteræ júngitur, à promissis Ecclésiæ separátur. Nec pervéniet ad Christi præmia qui relinquit Ecclésiam Christi. Aliénus est, profánus est, hostis est. Habére jam non potest Deum patrem, qui Ecclésiam non habet matrem. Si pótuit evádere quisquam, qui extra Ecclésiam foris fúerit, evádit. Qui álibi præter Ecclésiam cólligit, Christi Ecclésiam spargit. Dicit Dóminus: Ego & Pater unum sumus. Et iterùm de Patre, & Fílio, & Spíritu sancto scriptum est: Et hi tres unum sunt. Et quisquam credit hanc unitátem de divínâ firmitáte veniéntem, sacraméntis cœléstibus cohæréntem, scindi in Ecclésiâ posse, & voluntátum collidéntium divórtio separári? Hanc unitátem qui non tenet, Dei legem non tenet, non tenet Patris & Fílii fidem, vitam non tenet & salútem.

℟. Sollíciti sitis serváre unitátem Spíritûs in vínculo pacis; unum corpus, & unus spíritus in unâ spe vocatiónis vestræ: * Unus Dóminus, una fides, unum baptísma. † Allelúia. ℣. Fundaméntum áliud nemo potest pónere præter id quod pósitum est, quod est Christus Jesus. * Unus. ℣. Glória. † Allelúia. *Ephes.* 4. *I. Cor.* 3.

Ad Benedíctus. *Ant.* Beáti qui díligunt te, Cívitas Dei, & qui gaudent super pace tuâ. Allelúia. *Tob.* 13.

COLLECTA. *Psalt. Thomas.*

DOna, Dómine, virtútem pópulo tuo, † & éffice nos templum Spíritûs sancti; * ut tibi de corde puro, holocaustum acceptábile semper offerámus; Per Dóminum.

Ad Magníficat. *Ant.* Adorábunt vestígia pedum tuórum, qui detrahébant tibi, & vocábunt te civitátem Dómini, Sion Sancti Israel. Allelúia. *Isai.* 60.

DIE VII. INTRA OCTAVAM.

Lectio III.

Ex Libro sancti Augustíni Epíscopi adversùs Epístolam Manichæi. *Edit. Bened. Cap. 4.*

MUlta sunt quæ in Ecclésiæ grémio me justíssimè téneant. Tenet consénsio populórum atque géntium: tenet autóritas miráculis inchoáta, spe nutríta, caritáte aucta, vetustáte firmáta: tenet ab ipsâ sede Petri Apóstoli, cui pascendas oves suas post resurrectiónem Dóminus commendávit usque ad præsentem Episcopátum succéssio Sacerdótum: tenet postrémò ipsum Cathólicæ nomen, quod non sine causâ inter tam multas hæreses sic ista Ecclésia sola obtínuit, ut cùm omnes hærétici se Cathólicos dici velint, quærenti tamen peregríno alicúi, ubi ad Cathólicam conveniátur, nullus hæreticórum vel basílicam suam vel domum áudeat osténdere. Ista ergo tot & tanta nóminis Christiáni caríssima víncula rectè hóminem tenent credentem in Cathólicâ Ecclésia, etiamsi propter nostræ intelligéntiæ tarditátem vel vitæ méritum véritas nondum se apertíssimè ostendat.

℟. Réspice Sion civitátem solemnitátis nostræ: óculi tui vidébunt Jerúsalem habitatiónem opuléntam, tabernáculum quod nequáquam transferri póterit: * Quia solúmmodò ibi magníficus est Dóminus. † Allelúia. ℣. Non auferentur clavi ejus in sempiternum, & omnes funículi ejus non rumpentur. * Quia. ℣. Glória. † Allelúia. *Isai.* 33.

Ad Benedíctus. *Ant.* Ecce ego vobiscum sum ómnibus diébus usque ad consummatiónem séculi. Allelúia. *Matth.* 28.

Collecta. *Sacr. Gelas.*

DEus, qui te in rectis ac sincéris manére pectóribus asseris; † da nobis, quæsumus, tuâ grátiâ tales exsístere, * in quibus semper habitáre dignéris; Per Dóminum.

OCTAVA DEDICATIONIS.

Solemnitas III. Classis.

AD I. VESPERAS.

Antiphonæ.

I. ECce ego creo cœlos novos, & terram novam, & non erunt in memóriâ prióra. Allelúia. *Is.* 65.

II. Gaudébitis & exsul-

tábitis usque in sempiternum in his quæ ego creo; quia ecce ego creo Jerúsalem exsultatiónem & pópulum ejus gáudium. Allelúia. *Ibid.*

III. Exsultábo in Jerúsalem, & gaudébo in pópulo meo; & non audiétur in eo ultrà vox fletûs & vox clamóris. Allelúia. *Ibid.*

IV. Gáudium & lætítia inveniétur in Sion, gratiárum áctio, & vox laudis. Allelúia. *Isai.* 51.

LECTIO. *Apoc.* 21.

VIdi cœlum novum, & terram novam: primum enim cœlum, & prima terra ábiit, & mare jam non est: † Et ego Joannes vidi sanctam civitátem, Jerúsalem novam, descendentem de cœlo à Deo, * parátam sicut sponsam ornátam viro suo.

℟. *br.* Gloriósa dicta sunt de te, Cívitas Dei. * Allelúia, allelúia. ℟. Gloriósa. ℣. Sicut lætántium, ómnium habitátio est in te, * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Gloriósa. *Ps.* 86.

Hymnus, Urbs Jerúsalem. *ut ad primas Vesperas Festi*, *pag.* lxxxij.

℣. Dóminus in templo sancto suo: ℟. Dóminus in cœlo sedes ejus. *Ps.* 10.

Ad Magníficat. *Ant.* Novos cœlos, & novam terram, secundùm promissa Dómini exspectámus in quibus justítia hábitat. Allelúia. *II. Petr.* 3.

Collecta infrà ad Laudes.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Christum Jesum, qui diléxit Ecclésiam, & se ipsum trádidit pro eâ; * Veníte, adorémus. Allelúia. *Ephes.* 5.

Hymnus, Anguláris fundamentum. *ut in Die. pag.* lxxxiij.

IN I. NOCTURNO.

Ant. I. Venérunt structóres tui, Sion; destruentes te, & dissipantes, à te exíbunt. Allelúia. *Is.* 49.

II. Ecce in mánibus meis descripsi te: muri tui coram óculis meis semper. Allelúia. *Ibid.*

III. Ego Sternam per órdinem lápides tuos, & fundábo te in Sápphiris. Allelúia. *Is.* 54.

IV. Ponam jáspidem propugnácula tua, & portas tuas in lápides sculptos, & omnes términos tuos in lápides desiderábiles. Allelúia. *Is.* 54.

V. In justítiâ tuâ fundáberis; calúmnia & pavor non appropinquábit tibi. Allelúia. *Is.* 49.

VI. Montes commovebuntur & colles contremiscent; misericórdia autem

mea non recédet à te. Allelúia. *Is.* 54.

℣. Benignè fac, Dómine, in bona voluntáte tuâ, Sion. ℟. Ut ædificentur muri Jerúsalem. *Ps.* 50.

Lectiones cum Responsoriis suis de Scripturâ occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Ant. I. Consurge, Sion, induére vestimentis glóriæ tuæ Jerúsalem, cívitas Sancti. Allelúia. *Is.* 52.

II. Abstulit Dóminus judícium tuum; avertit inimícos tuos; Rex Israel in médio tuî; non timébis malum ultrà. Allelúia. *Sophon.* 3.

III. Vide collectos fílios tuos ab oriente sole usque ad occidentem, in verbo Sancti gaudentes Dei memóriâ. Allelúia. *Baruch.* 5.

IV. Addúcet illos Dóminus ad te portátos in honóre sicut fílios regni. Allelúia. *Baruch.* 5.

V. Addúcam eos in montem sanctum meum, & lætificábo eos in domo oratiónis meæ. Allelúia. *Is.* 55.

VI. Vocábunt eos pópulus sanctus, redempti à Dómino; tu autem vocáberis: quæsita cívitas, & non derelicta. Allelúia. *Is.* 62.

℣. Quis sápiens & custódiet hæc? ℟. Et intélliget misericórdias Dómini. *Ps.* 106.

L E C T I O V.

Ex enarratióne sancti Augustíni Epíscopi in Psalmum octogésimum sextum. *Edit. Bened. n.* 1.

Civitas quædam in isto Psalmo cantáta & commendáta est, cujus cives sumus, in quantum Christiáni sumus; & unde peregrinámur, quámdiù mortáles sumus; & ad quam téndimus, per cujus viam, quæ omníno quasi dumétis & séntibus interclúsa non inveniebátur, Rex ipsíus civitátis se fecit viam, ut ad civitátem perveniremus. Ambulantes ergo in Christo, & adhuc peregrinantes donec perveniámus, & suspirantes desidério cujusdam ineffábilis quiétis, quæ hábitat in illâ civitáte, de quâ quiéte dictum est hoc nobis esse promissum, quod óculus non vidit; nec auris audívit, nec in cor hóminis ascendit: ambulantes ergo, sic cantémus, ut desiderémus. Nam qui desíderat, etsi linguâ táceat, cantat corde: qui autem non desíderat, quólibet clamóre aures hóminum fériat, mutus est Deo.

℟. Pópulus tuus omnes justi in perpétuum hæreditábunt terram, * Germen plantatiónis meæ, opus manûs meæ ad glorificandum. Allelúia. ℣. Vocábunt eos pópulus sanctus, redempti

à Dómino; * Germen. *Is.* *60 & 62.*

LECTIO VI. *n. 9.*

TAmquàm jocundatórum ómnium habitátio in te. In peregrinatióne istâ contérimur: habitátio nostra, jocunditas sola erit. Períbit labor & gémitus, tránseunt oratiónes, succédunt laudatiónes. Ibi ergo habitátio jocundatórũ, non erit gémitus desiderántium, sed lætítia perfruéntium. Aderit enim cui modò suspirámus: símiles ei érimus, quóniam vidébimus eum, sícuti est. Ibi totum negótium nostrum, non erit nisi laudáre Deum, & frui Deo. Et quid áliud quærémus, ubi solus súfficit, per quem facta sunt ómnia? Habitábimur & habitábimus: subjicientur illi ómnia, ut sit Deus ómnia in ómnibus.

℟. Inebriabuntur ab ubertáte domûs tuæ, Dómine; & torrente voluptátis tuæ potábis eos; * Quóniam apud te est fons vitæ, & in lúmine tuo vidébimus lumen. Allelúia. ℣. Replébimur in bonis domûs tuæ. * Quóniam. *Ps. 35 & 64.*

LECTIO VII.

BEáti ergo qui hábitant in domo tuâ. Unde beáti? In sécula seculórum laudábunt te. Hoc uno beáti otióso negótio. Hoc ergo unum desiderémus, fratres, cùm venérimus ad hoc, nos parémus gaudére ad Deum, laudáre Deum. Opera bona quæ modò nos perdúcunt, non ibi erunt. Non ibi erunt ópera misericórdiæ; ubi nulla erit miséria. Egentem non invénies, nudum non invénies; nemo tibi occurret sítiens, nullus peregrínus erit, nullus ægrótus quem vísites, nullus mórtuus quem sepélias, nullus litigatórum inter quos pacem compónas. Magna ibi quies. Nam ibi ómnia ópera quæ necéssitas flágitat, subtrahentur; mórtuâ necessitáte, peribunt ópera necessitátis.

℟. Non esúrient, neque sítient, & non percútiet eos æstus & sol: quia miserátor eórum reget eos, * Et ad fontes aquárum potábit eos. Allelúia. ℣. Sunt ante thronum Dei, & sérviunt ei die ac nocte in templo ejus; & qui sedet in throno, habitábit super illos; * Et ad fontes. *Isai. 29. Apoc. 7.*

LECTIO VIII.

Ex Sermóne ducentésimo quinquagésimo quarto ejusdem. *In diebus Paschal. 25. Edit. Bened. n. 8.*

LAudémus ergo Dóminum, caríssimi, laudémus Deum, dicámus allelúia. Festinémus ad domum ætérnam. Ventúri sumus ad

domum Dei, quæ est in cœlis. Ibi non quinquaginta diébus Deum laudábimus; sed quemádmodum scriptũ est, in sécula seculórum. Vidébimus, amábimus, laudábimus. Nec quod vidébimus deficiet, nec quod amábimus períbit, nec quod laudábimus tacébit: sempiternum totum erit, sine fine erit. Laudémus, laudémus; sed non solis vócibus, laudémus & móribus: laudet lingua, laudet vita: sed hábeat caritátem infinítam.

℟. Beáti qui hábitant in domo tuâ, Dómine, * In sécula seculórum laudábunt te: † Allelúia. ℣. Applicabuntur gentes multæ ad Dóminum in die illâ, & erunt mihi in pópulum. * In sécula. ℣. Glória. † Allelúia. *Ps.* 83. *Zach.* 2.

IN III. NOCTURNO.

I. Canticum. *Tob.* 13.

De restitutione, & magnâ felicitate futurâ Jerusalem prophetia.

BEnedícite Dóminum, omnes electi ejus: * ágite dies lætítiæ, & confitémini illi.

Jerúsalem cívitas Dei, * castigávit te Dóminus in opéribus mánuum tuárum.

Confitére Dómino in bonis tuis, & benedic Deũ seculórum, * ut reædíficet in te tabernáculum suum,

Et révocet ad te omnes captívos, * & gáudeas in ómnia sécula seculórum.

Luce spléndidâ fulgébis: * & omnes fines terræ adorábunt te.

II. Canticum. *Ibid.*

NAtiónes ex longinquo ad te vénient: & múnera deferentes, adorábunt in te Dóminum, * & terram tuam in sanctificatiónem habébunt,

Nomen enim magnum * invocábunt in te.

Maledicti erunt qui contémpserint te; & condemnáti erunt omnes qui blasphemáverint te; * benedictíque erunt qui ædificáverint te.

Tu autem lætáberis in fíliis tuis; * quóniam omnes benedicentur, & congregabuntur ad Dóminum.

Beáti omnes qui díligunt te, * & qui gaudent super pace tuâ.

III. Canticum. *Ibid.*

ANima mea, bénedic Dóminum, quóniam liberávit Jerúsalem civitátem suam à cunctis tribulatiónibus ejus, * Dóminus Deus noster.

Beátus ero, si fúerint relíquiæ séminis mei * ad vidéndam claritátem Jerúsalem.

Portæ Jerúsalem ex sápphiro & smaragdo ædificabuntur: * & ex lápide pre-

tióso omnis circúitus murórum ejus.

Ex lápide cándido & mundo omnes platéæ ejus sternentur : * & per vicos ejus allelúia cantábitur.

Benedictus Dóminus qui exaltávit eam , * & sit regnum ejus in sǽcula sæculórum super eam. Amen.

Ant. Vénient & laudábunt in monte Sion ; & pópulus meus bonis meis adimplébitur. Allelúia. *Jerem.* 31.

℣. Lauda , Jerúsalem , Dóminum ; ℟. Lauda Deũ tuum , Sion. *Ps.* 147.

LECTIO IX.

Ex Libro Apocalypsis beáti Joannis Apóstoli.

Cap. 21.

EGo Joannes vidi sanctã civitátem Jerúsalem novam descendentem de cœlo à Deo , parátam , sicut sponsam ornátam viro suo. Et audivi vocem magnam de throno dicentem : Ecce tabernáculum Dei cum homínibus , & habitábit cum eis. Et ipsi pópulus ejus erũt; & ipse Deus cum eis erit eórum Deus. Et absterget Deus omnem lácrymam ab óculis eórum ; & mors ultrà non erit , neque luctus , neque clamor , neque dolor erit ultrà , quia prima abiérunt. Et dixit qui sedébat in throno : Ecce nova fácio ómnia.

℟. Præcipitábit Dóminus mortem in sempitérnum , & áuferet Dóminus Deus lácrymam ab omni fácie , * Et oppróbrium pópuli sui áuferet de universâ terrâ : quia Dóminus locútus est. Allelúia. ℣. Oblivióni tráditæ sunt angustiæ prióres ; non audiétur ultrà vox fletûs & vox clamóris. * Et oppróbrium. *Is.* 25. & 65.

LECTIO X.

VEnit unus de septem Angelis habéntibus phíalas plenas septem plagis novíssimis , & locútus est mecum , dicens : Veni & ostendam tibi sponsam , uxórem Agni. Et sústulit me in spíritu in montem magnum & altum , & osténdit mihi civitátem sanctam Jerúsalem descendentem de cœlo à Deo , habentem claritátem Dei ; & lumen ejus símile lápidi pretióso tamquàm lápidi jáspidis , sicut crystallum. Et habébat murum magnum & altum ; habentem portas duódecim ; & in portis Angelos duódecim , & nómina inscripta , quæ sunt nómina duódecim tríbuum filiórum Israel. Ab Oriente portæ tres , & ab Austro portæ tres , & ab Occásu portæ tres.

℟. Non audiétur ultrà iníquitas in terrâ tuâ , vástitas & contrítio in términis tuis ; * Et occupábit

salus muros tuos, & portas tuas laudátio. Allelúia. ℣. Ponam univerſos filios tuos doctos à Dómino; & multitúdinem pacis filiis tuis, * Et occupábit. *Iſai.* 60 & 54.

LECTIO XI.

ET templum non vidi in eâ: Dóminus enim Deus omnípotens templum illíus eſt, & Agnus. Et cívitas non eget ſole, neque lunâ, ut lúceant in eâ: nam cláritas Dei illumináivit eam; & lucerna ejus eſt Agnus. Et ambulábunt gentes in lúmine ejus; & Reges terræ ásferent glóriam ſuam & honórem in illam. Et portæ ejus non claudentur per diem: nox enim non erit illic. Et ásferent glóriam & honórem géntium in illam. Non intrábit in eam áliquod coinquinátum, aut abominatiónem fáciens & mendácium, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni.

℟. Non erit tibi ámpliùs ſol ad lucendum per diem, nec ſplendor lunæ illuminábit te: * Sed erit tibi Dóminus in lucem ſempitérnam, & Deus tuus in glóriam tuam. Allelúia. ℣. Non óccidet ultrà ſol tuus, & luna tua non minuétur; * Sed erit. *Iſai.* 60.

LECTIO XII. *Cap.* 22.

ET oſtendit mihi flúvium aquæ vitæ, ſpléndidum tamquàm cryſtallum, procedentem de ſede Dei & Agni. In médio plateæ ejus, & ex utráque parte flúminis lignum vitæ, ásferens fructus duódecim, per menſes ſíngulos reddens fructum ſuum, & fólia ligni ad ſanitátem géntium. Et omne maledictum non erit ámpliùs: ſed ſedes Dei, & Agni in illâ erunt, & ſervi ejus ſérvient illi. Et vidébunt fáciem ejus; & nomen ejus in fróntibus eórum. Et nox ultrà non erit; & non egébunt lúmine lucernæ, neque lúmine ſolis, quóniam Dóminus Deus illuminábit illos, & regnábunt in sécula ſeculórum.

℟. A século non audiérunt, neque áuribus percepérunt; * Oculus non vidit abſque te, quæ præparaſti exſpectántibus te. † Allelúia. ℣. Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, quam abſcondiſti timéntibus te. * Oculus. ℣. Glória. † Allelúia. *Iſ.* 64. *Pſ.* 30.

EVANGELIUM.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Joannem. *Cap.* 10.

FActa ſunt Encænia Hieroſólymis, & hyems erat; & ambulábat Jeſus in templo, in pórticu Salomónis. Circumdedérunt ergo eum Judæi; & dicébant ei: Quouſque ánimam noſtram tollis? Si tu es Chri-

stus, dic nobis palàm. Respondit eis Jesus: Loquor vobis, & non créditis. Opera quæ ego fácio in nómine Patris mei, hæc testimónium pérhibent de me: sed vos non créditis, quia non estis ex óvibus meis. Oves meæ vocem meam áudiunt: & ego cognosco eas, & sequuntur me: & ego vitam ætérnam do eis: & non períbunt in ætérnum, & non rápiet eas quisquam de manu meâ.

AD LAUDES.

ANTIPHONÆ.

I. Lauda, filia Sion; júbila, Israel; lætáre & exsulta in omni corde, filia Jerúsalem. Allelúia. *Soph.* 3.

II. Addúcet Deus Israel cum jucunditáte in lúmine majestátis suæ cum misericórdiâ & justítiâ quæ est ex ipso. Allelúia. *Baruch,* 5.

III. Dicent, cùm convértero captivitátem eórum: Benedícat tibi Dóminus pulchritúdo justítiæ, mons sanctus. Allelúia. *Jerem.* 31.

IV. Sedénti in throno & Agno benedíctio, & honor, & glória, & potestas in sǽcula sæculórum. Allelúia. *Apoc.* 5.

V. Qui dealbavérunt stolas suas in sánguine Agni, sunt ante thronum Dei, & sérviunt ei die ac nocte in templo ejus. Allelúia. *Apoc.* 7.

LECTIO. *Apoc.* 19.

Vox de throno exívit dicens: † Laudem dícite Deo nostro omnes servi ejus, & qui timétis eum, pusilli & magni. * Et audívi quasi vocem turbæ magnæ & sicut vocem tonitruórum magnórum dicéntium: Allelúia; quóniam regnávit Dóminus Deus noster omnípotens.

℟. *br.* Beáti qui hábitant in domo tuâ, Dómine, Allelúia, allelúia. ℟. Beáti. ℣. In sǽcula sæculórum laudábunt te. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Beáti. *Ps.* 83.

Hymnus, Patris æterni, *ut in Festo, pag.* xcij.

℣. Vox exsultatiónis & salútis ℟. In tabernáculis justórum. *Ps.* 117.

Ad Benedictus. *Ant.* Benedíctus es, Dómine Deus patrum nostrórum, in templo sancto glóriæ tuæ, & benedíctus in throno regni tui, & superlaudábilis & superexaltátus in sǽcula. Allelúia. *Dan.* 3.

COLLECTA. *Br. Clun.*

Deus, qui nobis ætérnæ supérnæ Jerúsalem gáudia, per temporálem hujus sancti templi tui solemnitátem adumbráre voluísti; † fac nos, quǽsumus, ita dilígere decórem

domûs tuæ, * ut & ipsi templum grátiæ tuæ in terris, & locus habitatiónis glóriæ tuæ fieri mereámur in cœlis; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Concílio Coloniensi primo. *An.* 1536. *Part.* 9. *Cap.* 13.

SIgnat Templi Dedicátio, tam fidélis ánimæ, quàm Ecclésiæ cum Christo desponsatiónem. Ipsa enim Ecclésia Cathólica, ex multis vivis lapídibus adunáta, verum Dei templum est. Quamóbrem, nisi ómnia quæ in hujuscémodi consecratióne extériùs aguntur, in nobis spirituáliter impleantur, parum hinc fructûs nobis accésserit.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Isai.* 51.

VEnient in Sion laudantes; & lætítia sempiterna super cápita eórum; † gáudium & lætítiam tenébunt, * fúgiet dolor & gémitus.

℣. Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: ℟. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus. *Ps.* 45.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Sophon.* 3.

IN die illâ dicétur Jerúsalem: Noli timére, Sion, non dissolvátur manus tuæ. Dóminus ipse salvábit; † Gaudébit super te in lætítiâ, silébit in dilectióne suâ, * exsultábit super te in laude.

℣. Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem, ℟. Et abundántia diligéntibus te. *Ps.* 121.

AD NONAM.

LECTIO. *Apoc.* 3.

QUi vícerit, fáciam illum colúmnam in templo Dei mei, & foràs non egrediétur ámpliùs: † & scribam super eum nomen Dei mei, & nomen civitátis Dei mei, novæ Jerúsalem, * quæ descendit de cœlo à Deo meo.

℣. Semen servórum Dómini possidébit eam, ℟. Et qui díligunt nomen ejus habitábunt in eâ. *Ps.* 68.

AD II. VESPERAS.

PSALMI ET ANT.

I. *Psalm.* 109. Dixit Dóminus. *pag.* 216.

Ant. Illa quæ sursum est Jerúsalem líbera est, quæ est mater nostra. Allelúia. *Galat.* 4.

II. *Ps.* 121. Lætátus sum. *pag.* 69.

Ant. Non habémus hic manentem civitátem, sed futúram inquírimus. Allelúia. *Hebr.* 13.

III. *Ps.* 136. Super flúmina Babylónis. *pag.* 89.

Ant. Dum sumus in córpore, peregrinámur à Dómino; per fidem enim ambulámus, & non per spéciem. Allelúia. *II. Cor.* 5.

IV. *Ps.* 147. Lauda, Jerúsalem, Dóminum. *pag.* 110.

Ant. Audémus, & bonam voluntátem habémus magis peregrinári à córpore, & præsentes esse ad Dóminum. Allelúia. *II. Cor.* 5.

LECTIO. *II. Cor.* 5.


SCimus quóniam si terrestris domus nostra hujus habitatiónis dissolvátur, † quòd ædificatiónem ex Deo habémus, * domum non manufactam, ætérnam in cœlis.

℟. *br.* Concupíscit & déficit ánima mea in átria Dómini. * Allelúia, allelúia. ℟. Concupíscit. ℣. Quando véniam & apparébo ante fáciem Dei. * Allelúia. ℣. Glória. ℟. Concupíscit. *Ps.* 83 & 41.

Hymnus, Urbs Jerúsalem. *ut ad I. Vesp. Festi pag.* lxxxij.

℣. Heu mihi quia incolátus meus prolongátus est: ℟. Habitávi cum habitántibus Cedar. *Ps.* 119.

Ad Magníficat. *Ant.* In hoc ingemíscimus, habitatiónem nostram, quæ de cœlo est, superíndui cupientes; si tamen vestíti, non nudi inveniámur. Allelúia. *II. Cor.* 5.



OFFICIUM VOTIVUM

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Tempore Paschali, in fine Ant. & ℟℟. dicitur: Allelúia.

AD OFFICIUM NOCT.

Ave, María, &c. *secretò.*

℣. Deus, in adjutórium meum intende, ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. ℣. Glória, &c.

Laus tibi, Dómine, &c. *Temp. Pasch.* Allelúia.

In Ps. Veníte. *Ant.* Jesum de Maríâ natum, * Veníte, adorémus. *Tempore Pasch.* Allelúia. *Matth.* 1.

HYMNUS. *S. V.*

QUis ore digno te canat,
Virgo Dei puérpera?
Adeste, puri Spíritus,
Vestri sit illud múneris.

Quis intret augustíssima
Mentis tuæ sacrária?
Dotes quis enarrans tuas,
Pertérritus non hæreat?

Dic, Virgo, quæ vis tráxerit
Patri coævum Fílium,
E Patris æterno sinu,
Mortális in matris sinum?

Ad hos honórum te gradus,
Non virginális te pudor,
Non éxtulit tantùm fides,
Nec igne fervens cáritas:

Sed, quæ sibi nunquam placet,
Deo placens modéstia:
Quâ tu tibi sis vílior,
Hâc digna sis mater Dei.

Quàm celsa, quæ se déprimens,
Altum Tonantem déprimit!
In te, suî jam non memor,
Descendit è cœlo Deus.

Sit laus Patri, laus Fílio;
Par sit tibi laus, Spíritus,
Per quem sacrâ se Fílius
Infúdit alvo Vírginis.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Feria II. & V.

Ps. 8. Dómine, Dóminus noster. *pag.* 92.

Ps. 18. Cœli enarrant glóriam Dei. *cum suâ divisione, pag.* 142.

Ps. 44. Eructávit cor meum. *pag.* 96.

Ant. Ave grátiâ plena; Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. *Luc.* 1.

℣. Adducentur Regi Vírgines, post eam: ℟. Próximæ ejus afferentur tibi. *Ps.* 44.

Absolutio. Deus meminerit testamenti sui quod locútus est, & exáudiat oratiónes nostras. *II. Mach.* I.

LECTIO I.

Ex Isáiâ Prophétâ. *Cap.* 7.

ADjécit Dóminus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi signum à Dómino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum suprà. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentábo Dóminum. Et dixit: Numquid parùm vobis est molestos esse homínibus; quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signum: Ecce Virgo concípiet, & páriet Fílium; & vocábitur nomen ejus Emmánuel.

℟. Benedícam ei, & ex illâ dabo Fílium cui benedictúrus sum: * Constítuam pactum meum illi, in fœdus sempiternum. ℣. Hic erit magnus & Fílius Altíssimi vocábitur; & regnábit in domo Jacob in æternum. * Constítuam. *Gen.* 17. *Luc.* I.

LECTIO II.

Ex Diálogo sancti Justíni Mártyris cum Tryphóne Judæo. *n.* 84.

SI non è Vírgine iste de quo Isáias dicébat, nascitúrus erat, de quo Spíritus Sanctus exclamábat: Ecce Dóminus dabit signum, Ecce Virgo in útero concípiet & páriet Fílium; si perinde atque álii omnes primogéniti, iste quoque ex concúbitu gignendus erat, quodnam signum non cunctis primogénitis commúne fácere se dixit? Enim verò quod verè signum est & humáno géneri credíbile, futúrum erat, hoc est, ut ex virgináli útero primogénitus creaturárũ ómnium caro factus verè puer fíeret.

℟. Ecce concípies in útero, & páries Fílium; * Et vocábis nomen ejus Jesum. ℣. Ipse salvum fáciet pópulum suum à peccátis eórum; * Et vocábis. *Luc.* I. *Matth.* I.

LECTIO III.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas. *Cap.* 4.

QUanto témpore hæres párvulus est, nihil differt à servo, cùm sit Dóminus ómnium; sed sub tutóribus & actóribus est, usque ad præfinítum tempus à patre: ita & nos cùm essémus párvuli, sub eleméntis mundi erámus, serviéntes. At ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus fílium suum, factum ex mulíere, factum sub lege; ut eos qui sub lege erant redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus.

℟. Abrahæ dictæ sunt promissiónes, & sémini

ejus: * Non dicit, Et seminibus, quasi in multis; sed, quasi in uno, Et sémini tuo, qui est Christus. ℣. Dixit ad Abraham Deus: Státuam pactum meum, ut sim Deus tuus & séminis tui post te, dabóque tibi & sémini tuo possessiónem ætemam. * Non. ℣. Glória Patri. * Non. *Galat.* 3. *Gen.* 17.

IN II. NOCTURNO.

Feria III. & VI.

Ps. 45. Deus noster refugium & virtus. *pag.* 90.

Ps. 84. Benedixisti, Dómine, terram tuam. *p.* 61.

Ps. 86. Fundamenta ejus. *pag.* 135.

Ant. Ecce concípies in útero & páries filium; & vocábis nomen ejus Jesum. *Luc.* 1.

℣. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus; ℟. Deus in médio ejus. *Ps.* 45

Absolutio. Pater Dómini nostri Jesu Christi benedícat nos in omni benedictióne spirituáli. *Ephes.* 1.

LECTIO I.

Ex Jeremíâ Prophétâ. *Cap.* 31.

USquequò delíciis dissolvéris, fília vaga? quia créavit Dóminus novum super terram: Fémina circúmdabit virum. Hæc dicit Dóminus exercítuum, Deus Israel: adhuc dicent verbum istud in terrâ Juda, & in úrbibus ejus, cùm convértero captivitátem eórum: benedícat tibi Dóminus, pulchritúdo justítiæ, mons sanctus.

℟. Aperíte portas; quóniam nobiscum est Deus: * Qui fecit virtútem in Israel. ℣. Quod in eâ natum est, de Spíritu Sancto est. * Qui fecit. *Judith* 13. *Matth.* 1.

LECTIO II.

Ex Epístolâ Synódicâ sancti Cyrilli Alexandríni ad Nestórium. *Apud Concil. Ephes.*

QUia sacra Virgo Deum carni secundùm hypóstasim unitum corporáliter génuit, ob id, illam quoque Deiparam esse dícimus: non quòd Dei Verbum natúrâ existendi inítium ex carne traxerit; sed quia, humánâ natúrâ secundùm hypóstasim sibi unítâ, corpóream ex útero nativitátem expertum est.

℟. Deus ex sémine David * Secundùm promissiónem eduxit Israel, salvatórem Jesum. ℣. Jurávit Dóminus David veritátem, & non frustrábitur eam. * Secundùm. *Act.* 13. *Ps.* 131.

LECTIO III.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. *Cap.* 5.

SI uníus delicto mors regnávit per unum, multo magìs abundántiam grá-

tiæ, & donatiónis & justítiæ, accipientes, in vitâ regnábunt per unum Jesum Christum. Igitur sicut per unius delictum in omnes hómines in condemnatiónem, sic & per unius justítiam in omnes hómines justificatiónem vitæ. Sicut enim per inobediéntiam unius hóminis, peccatóres constitúti sunt multi, ita & per unius obeditiónem, justi constituentur multi.

℟. Benedixit te Dóminus, in virtúte suâ, * Quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros. ℣. Benedicta tu inter mulíeres, & benedictus fructus ventris tui. * Quia. ℣. Glória. * Quia. *Judith.* 13. *Luc.* 1.

IN III. NOCTURNO.

Feria IV. & Sabbato.

Ps. 95. Cantáte Dómino, ... cantáte. *pag.* 9.

Ps. 96. Dóminus regnávit, exsultet terra. *pag.* 10.

Ps. 97. Cantáte Dómino, ... quia. *pag.* 10.

Ant. Quod nascétur ex te sanctum, vocábitur Fílius Dei. *Luc.* 1.

℣. Descendet sicut plúvia in vellus: ℟. Et replébitur majestáte ejus omnis terra. *Ps.* 71.

Absolutio. Pater Dómini nostri Jesu Christi det nobis Christum habitáre per fidem in córdibus nostris. *Ephes.* 3.

Lectio I.

Ex Isáiâ Prophétâ. *Cap.* 45.

EGo Dóminus, & non est alter; formans lucem, & creans ténebras, fáciens pacem, & creans malum: ego Dóminus fáciens ómnia hæc. Roráte, cœli, désuper; & nubes pluant Justum: aperiátur terra, & gérminet salvatórem; & justítia oriátur simul: ego Dóminus creávi eum.

℟. Ecce tabernáculum Dei cum homínibus, & habitábit cum eis; * Et ipse Deus cum eis erit eórum Deus; ℣. Benedicentur in ipso omnes tribus terræ. * Et. *Apoc.* 21. *Ps.* 71.

Lectio II.

Ex Libro décimo tértio sancti Augustíni Epíscopi de Trinitáte. *Cap.* 18.

POterat Deus hóminem suscípere non de génere Adam: sed méliùs judicávit & de ipso quod victum fúerat génere assúmere hóminem per quem géneris humáni vínceret inimícum: & tamen ex Vírgine; cujus conceptum spíritus, non caro; fides, non libído prævénit. Nascebátur homo, nullum habens, nullum habitúrus omninò peccátum; per quem renascerentur liberandi à peccáto qui nasci non possent sine peccáto. Oportébat ítaque ut

concupiscéntia nulla ibi esset omnínò, quandò concipiebátur Vírginis partus: in quo nihil dignum morte fúerat inventúrus & eum tamen occisúrus autor mortis, autóris vitæ morte vincendus.

℟. Semel jurávi in sancto meo, si David méntiar, * Semen ejus in æternum manébit, & thronus ejus sicut sol in conspectu meo. ℣. Antè promíserat Deus per Prophétas de filio suo, qui factus est ei ex sémine David secundùm carnem: *Semen ejus. *Ps.* 88. *Rom.* 1.

LECTIO III.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. *Cap.* 1.

NOvíssimè diébus istis locútus est nobis Deus in Fílio suo quem constítuit hærédem universórum, per quem fecit & sécula; qui cùm sit splendor glóriæ, & figúra substántiæ ejus, portansque ómnia verbo virtútis suæ, purgatiónem peccatórũ fáciens, sedet ad déxteram in excelsis: tantò mélior Angelis effectus, quantò differéntius præ illis nomen hæreditávit. Cui enim dixit aliquando Angelórum: Fílius meus es tu: ego hódie génui te? Et rursùm: ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in fílium.

℟. Péperit múlier Fílium másculum, qui rectúrus erat omnes gentes in virgâ férreâ; * Et † Raptus est Fílius ejus ad Deum & ad thronum ejus. ℣. De ore ejus procédit gládius ex utrâque parte acútus, ut in ipso percútiat gentes, & ipse reget eos in virgâ férreà. * Et raptus est. ℣. Glória Patri. † Raptus est. *Apoc.* 12 & 19.

AD LAUDES.

Ps. 66. Deus misereátur nostrî. *pag.* 12.

Ps. 92. Dóminus regnávit, decórem. *pag.* 13.

Ps. 99. Jubiláte Deo, omnis terra; servíte. *p.* 13.

CANTICUM. *Zach.* 2.

LAuda & lætáre, filia Sion; * quia ecce ego vénio, & habitábo in médio tuî, ait Dóminus.

Et applicabuntur gentes multæ ad Dóminum in die illâ; & erunt mihi in pópulum, & habitábo in médio tuî: * & scies quià Dóminus exercítuum misit me ad te.

Et possidébit Dóminus Judam partem suam in terrâ sanctificátâ; * & éliget adhuc Jerúsalem.

Síleat omnis caro à fácie Dómini; * quia consurrexit de habitáculo sancto suo.

Ps. 150. Laudáte Dóminum in sanctis ejus. *pag.* 63.

Ant. Benedícta tu inter mulíeres, & benedíctus fructus ventris tui. *Luc.* 1.

LECTIO. *Cant.* 6.

QUæ est ista, quæ progréditur quasi auróra consurgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta?

HYMNUS. *S. V.*

AUróra, quæ solem paris,
Et ipsa solis fília;
Quàm spléndidum, cùm náſceris,
Affers diem mortálibus!

Te luce sol vestit suâ,
Tibíque luna stérnitur;
Aptáta sacro vértici,
Nectunt corónam sydera.

Te mille virtútum chori,
Te turma cingit Cœlitum,
Ambit suo te Númine,
Qui te facit matrem, Deus.

Uti potens exércitus,
Tu, Virgo, terror hóstium;
Te sic obumbrátam Deo
Pavent, tremuntque tartára

Qui tabe nos inféceràt,
Serpentis élidis caput;
Attrítus æterno jacet
Non jam tremendus vûlnere.

Fac, Virgo, quem scimus Deum
Veníſſe terris hóspitem,
Per te, manens nobis adhuc,
Nostri sit hospes péctoris.

Sit laus Patri, laus Filio;
Par sit tibi laus, Spíritus,
Per quem sacrâ se Fílius
Infúdit alvo Vírginis.
Amen.

℣. Recordátus est Dóminus misericórdiæ suæ,
℟. Et veritátis suæ dómui Israel. *Ps.* 97.

CANTICUM. *Luc.* 1.

NE tímeas, María; * invenisti enim grátiã apud Deum.

Ecce concípies in útero, & páries filium, * & vocábis nomen ejus JESUM.

Hic erit magnus, * & Filius Altíſſimi vocábitur:

Et dabit illi Dóminus Deus * sedem David patris ejus:

Et regnábit in domo Jacob in æternum; * & regni ejus non erit finis.

Ant. Beáta quæ credidisti; quóniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Dómino. *Luc.* 1.

Kyrie, eleéson: Christe, eleéson: Kyrie, eleéson.

Orémus.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

DEus, qui de beátæ Maríæ vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscípere voluisti; præsta supplícibus tuis, ut qui verè eam genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eumdem.

AD PRIMAM.

℣. Deus, in adjutórium.

HYMNUS.

MEmento, de Deo Deus,
Quòd matre natus Vírgine,
Nostrî misertus, pérditi
Mundi Redemptor véneris.

Et nos, Dei Virgo parens,
Vultu benigno réspice;
Placábilem tuâ prece
Fac esse nobis Filium.

Qui natus es de Vírgine,
JESU, tibi sit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

Ps. 14. Dómine quis habitábit. *pag.* 63.

Ps. 53. Deus in nómine tuo salvum me fac. *pag.* 65.

Ps. 116. Laudáte Dóminum omnes gentes. *p.* 141.

Ant. Filius Dei factus est ei ex sémine David secundùm carnem. *Rom.* 1.

LECTIO. *Isai.* 11.

EGrediétur virga de radíce Jesse, & flos de radíce ejus ascendet; & requiescet super eum Spíritus Dómini.

℣. Homo natus est in eâ, ℟. Et ipse fundávit eam Altíssimus. *Ps.* 86.

Kyrie, eleéson: Christe, eleéson: Kyrie, eleéson.

Orémus.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

GRátiam tuam, Dómine, méntibus nostris infunde; ut qui, Angelo nuntiante, Christi Filii tui incarnatiónē cognóvimus, per passiónem ejus & crucem, ad resurrectiónis glóriam perducámur: Per eumdem.

AD TERTIAM.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus. Memento, de Deo Deus. *ut suprà ad Primam.*

Ps. 119. Ad Dóminum, cum tribulárer. *pag.* 85.

Ps. 120. Levávi óculos meos. *pag.* 146.

Ps. 121. Lætátus sum. *pag.* 69.

Ant. De Maríâ natus est Jesus, qui vocátur Christus. *Matth.* 1.

LECTIO. *Mich.* 5.

EGrediétur qui sit dominátor in Israel, & egressus ejus ab inítio, à diébus æternitátis.

℣. Dominábitur à mari usque ad mare, ℟. Et à flúmine usque ad términos orbis terrárum. *Ps.* 71.

Kyrie, eleéson: Christe, eleéson: Kyrie, eleéson.

Orémus.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

DEus, qui salútis ætérnæ beátæ Maríæ virginitáte fœcundâ humáno

géneri præmia præstitisti; tríbue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus autórem vitæ suscípere Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum.

AD SEXTAM.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus. Memento, de Deo Deus. *ut suprà ad Primam.*

Ps. 122. Ad te levávi. *pag.* 85.

Ps. 123. Nisi quia Dóminus. *pag.* 146.

Ps. 124. Qui confidunt. *pag.* 146.

Ant. Benedícta es tu, fília, à Dómino Deo excelso, præ ómnibus muliéribus super terram. *Judith.* 13.

LECTIO. *Mich.* 5.

DAbit eos usque ad tempus in quo partúriens páriet; & relíquiæ fratrum ejus convertentur ad fílios Israel.

℣. Véritas de terrâ orta est, ℟. Et justítia de cœlo prospéxit. *Ps.* 84.

Kyrie, eleéson: Christe, eleéson: Kyrie, eleéson.

Orémus.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

COncéde, miséricors Deus, fragilitáti nostræ præsídium; ut qui sanctæ Dei genitrícis memóriam ágimus, intercessiónis ejus auxílio à nostris iniquitátibus resurgámus: Per eumdem.

AD NONAM.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus. Memento, de Deo Deus. *ut suprà ad Primam.*

Ps. 125. In convertendo. *pag.* 49.

Ps. 126. Nisi Dóminus. *pag.* 69.

Ps. 127. Beáti omnes. *pag.* 147.

Ant. Beátus venter qui te portávit, & úbera quæ suxisti. *Luc.* 11.

LECTIO. *I. Petr.* 5.

DEus supérbis resístit, humílibus autem dat grátiam. Humiliámini ígitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitatiónis.

℣. Respexit humilitátem ancillæ suæ; ℟. Ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. *Luc.* 1.

Kyrie, eleéson: Christe, eleéson; Kyrie, eleéson.

Orémus.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

FAmulórum tuórum, quæsumus, Dómine, delíctis ignósce; ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus, Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne adjuvémur: Per eumdem.

AD VESPERAS.

℣. Deus, in adjutórium.

Ps. 109. Dixit Dóminus. *pag.* 26.

Ps. 128. Sæpè expugnavérunt me. *pag.* 123.

Ps. 129. De profundis. *pag.* 88.

Ps. 130. Dómine non est exaltátum. *pag.* 89.

Ant. In me ancillâ suâ adimplévit Dóminus misericórdiam suam, quam promísit dómui Israel. *Judith*, 13.

LECTIO. *Cant.* 6.

VIdérunt eam fíliæ, & beatíssimam prædicavérunt; regínæ, & laudavérunt eam.

HYMNUS. *B.*

DAvídis sóboles, glória Vírginum,
Christi Virgo parens, te pósuit Deus,
Partu virgíneo quæ malè súbdoli
Anguis contéreres caput.
Rebus princípium qui dedit ómnibus,
A te princípium sumpsit Homo-Deus;
Cunctis prospíciens qui tríbuit cibos,
Pastus lacte fuit tuo.
Per te quod múlier perdíderat vetus,
Humáno géneri rédditur áuctiùs:
Tu clausas míseris, heu nímiùm diu!
Cœlórum réseras fores.
Qui lucis Pater est, glória sit Patri;
Cujus Virgo parens, glória Fílio;
Quo fœcunda tibi, nexus amábilis,
Sit par glória, Spíritus.
Amen.

℣. Anima mea exsultábit in Dómino, ℟. Et delectábitur super salutári suo. *Ps.* 34.

CANTICUM. *Luc.* 1.

BEnedicta tu inter mulíeres, * & benedictus fructus ventris tui.

Et unde hoc mihi * ut véniat mater Dómini mei ad me?

Ecce enim ut facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis, * exsultávit in gáudio infans in útero meo.

Et beáta quæ credidisti;* quóniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Dómino.

Ant. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus. *Luc.* 1.

Kyrie, eleéson: Christe, eleéson: Kyrie, eleéson.

Orémus.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

IN méntibus nostris, Dómine, veræ fidei sacramenta confirma; ut qui

conceptum de Vírgine Deū verum & hóminem confitémur, per ejus salutíferæ resurrectiónis poténtiam, ad æternam mereámur pervenire lætítiam: Per eumdem.

AD COMPLETORIUM.

℣. Converte nos, &c.

℣. Deus, in adjutórium.

Ps. 131. Memento, Dómine, David. *pag.* 147.

Ps. 132. Ecce quàm bonum. *pag.* 70.

Ps. 133. Ecce nunc benedícite. *pag.* 30.

CANTICUM. *Luc.* 2.

SImeon dixit ad Maríam matrem Jesu: * Ecce pósitus est hic in ruínam, & in resurrectiónem multórum in Israel;

Et in signum * cui contradicétur:

Et tuam ipsius ánimam pertransíbit gládius; * ut revelentur ex multis córdibus cogitatiónes.

HYMNUS. *Brev. Parif.*

VIrgo Dei génitrix, quē totus non capit orbis,
In tua se clausit víscera, factus homo.
Hinc méritò dicent te sǽcula cuncta beátam;
Hinc pópuli matrem, te dominamque colunt.
Súscipe quos pia plebs tibi péndere certat, honóres:
Annue sollícitâ quam prece poscit opem.
Glória magna Patri; compar sit glória Nato;
Ambórum tibi par, Spíritus alme, decus. Amen.

LECTIO. *Genes.* 22.

POssidébit semen tuum portas inimicórum suórum; & benedicentur in sémine tuo omnes gentes terræ.

℣. Veníte, audíte, & narrábo, omnes qui timétis Deum, ℟. Quanta fecit ánimæ meæ. *Ps.* 65.

Kyrie, eleéson: Christe, eleéson: Kyrie, eleéson.

Orémus.

COLLECTA. *Sacr. Alcuin.*

PRótege, Dómine, fámulos tuos subsídiis pacis; & beátæ Maríæ semper vírginis patrocíniis confidentes, à cunctis hóstibus & perículis redde secúros: Per Dóminum.



OFFICIUM DEFUNCTORUM.

In fine Psalmorum & Canticorum dicitur : Requiem æternam.

AD VESPERAS.

Psalm. 114. Dilexi ; quóniam exáudiet. *pag.* 49.

Ant. O Dómine, líbera ánimam meam.

Ps. 119. Ad Dóminum, cùm tribulárer, clamávi. *pag.* 85.

Ant. Heu mihi! quia incolátus meus prolongátus est.

Ps. 120. Levávi óculos meos in montes. *pag.* 146.

Ant. Auxílium meum à Dómino, qui fecit cœlum & terram.

Ps. 129. De profundis clamávi ad te, Dómine. *pag.* 88.

Ant. Si iniquitátes obsérváveris, Dómine ; Dómine, quis sustinébit ?

Ps. 137. Confitébor tibi, Dómine... quóniam. *p.* 50.

Ant. Opera mánuum tuárum, Dómine, ne despícias.

℣. Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum, ℟. Et non derelínquet omnes qui sperant in eo.

Ad Magníficat. *Ant.* Omne quod dat mihi Pater, ad me véniet ; & eum qui venit ad me, non ejíciam forás. *Joan.* 6.

Secretò dicitur : Pater noster. *Altâ voce,* ℣. Et ne nos indúcas in tentatióné ; ℟. Sed líbera nos à malo.

Ps. 145. Lauda, ánima mea, Dóminum. *pag.* 81.

℣. A portâ ínferi, ℟. Erue, Dómine, ánimas eórum. *Ps.* 88.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam ; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

In depositione Defuncti.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

INclína, Dómine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericórdiam tuam súpplices deprecámur ; † ut ánimam fámuli tui *N.* quá de hoc século migráre jussisti, * in pacis ac lucis regióne constítuas, & Sanctórum tuórum júbeas esse consortem.

Pro Diacono, post litteram N. *additur* Diáconi.

In depositione Defunctæ.

COLLECTA. *Miss. Rom.*

QUæsumus, Dómine, pro tuâ pietáte miserére ánimæ fámulæ tuæ *N.* †

&

&c. à contágiis mortalitátis exútam * in ætérnæ salvatiónis partem restítue.

In depositione Sacerdotis.

Collecta. *Sacr. Leon.*

Deus, qui inter Apostólicos Sacerdótes fámulum tuum *N.* Sacerdotáli fecísti dignitáte vigére; † præsta, quæsumus, ut eórum quoque perpétuo aggregétur consórtio.

Pro Episcopo, loco Sacerdotáli, *dicitur* Pontificáli.

In Anniversariis.

Collecta. *Sacr. Gelas.*

Deus indulgentiárum, Dómine, † da ánimæ fámuli tui *N.* (Sacerdótis, *vel* Pontíficis) (*vel* fámulæ tuæ *N.*) cujus (*vel* animábus famulórum tuórum *N.* & *N.* quorum) (*vel* famulárum tuárum *N.* & *N.* quarum) anniversárium depositiónis diem commemorámus, * refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem, & lúminis claritátem.

Pro Fratribus, Propinquis, & Benefactoribus.

Collecta. *Sacr. Grimold.*

Deus, véniæ largítor, & humánæ salútis amátor, † quæsumus cleméntiam tuam, ut nostræ congregatiónis fratres, propinquos & benefactóres qui ex hoc sǽculo transiérunt, beátâ Maríâ semper Vírgine intercedente cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium pervenire concédas; Per.

Pro omnibus Defunctis.

Collecta. *Sacr. Gelas.*

Fidélium, Deus, ómnium cónditor & Redémptor, † animábus famulórum famularumque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum; * ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur: Qui vivis & regnas in sǽcula sæculórum. ℟. Amen.

In die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, Collecta, Fidélium. *ut suprà, cum integrâ Conclusione sequenti:* Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritûs Sancti Deus, per ómnia sǽcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine; ℟. Et lux perpétua lúceat eis.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

Sic terminantur Vesperæ & Laudes Defunctorum.

In die Depositionis, & in Officio solemniori Defuncti dicitur Collecta cum integrâ Conclusione; aliis diebus dicitur Collecta conveniens sub brevi Conclusione.

Privatìm pro Patre & Matre.

Collecta. *Miss. Rom.*

DEus, qui nos patrem & matrem honoráre præcepisti; miserére clementer animábus patris ac matris meæ, eórumque peccáta dimitte; meque eos in æternæ claritátis gáudio fac vidére; Per.

AD VIGILIAS.

In Ps. Veníte. *Ant.* Deũ, cui omnes vivunt; * Veníte, adorémus. *Luc.* 20.

Hoc Invitatorium dicitur in die Depositionis Defuncti, & quotiès Vigiliæ cum suis tribus Nocturnis dicuntur. Aliis Temporibus dicitur unum tantùm Nocturnum sine Invitatorio, hoc ordine: Fer. II. & V. dicitur primum; Fer. III. & VI. secundum; Fer. IV. & Sabbato, tertium, cum Lectionibus & ℟℟. cuilibet Feriæ propriis, ut infrà annotantur pag. cxxviij. *& sequentibus.*

IN I. NOCTURNO.

Fer. II. & V.

Cum suis Lectionibus, infrà, pag. cxxviij.

Psalmi dicuntur cum suis Divisionibus.

Ps. 5. Verba mea áuribus pércipe, Dómine. *pag.* 80.

Ant. Dómine, deduc me in justítiâ tuâ, propter inimícos meos dírige in conspectu tuo viam meam.

Ps. 6. Dómine, ne in furóre tuo árguas me: ... miserére meî. *pag.* 51.

Ant. Salvum me fac propter misericórdiam tuam; quóniam non est in morte qui memor sit tuî.

Ps. 12. Usquequò, Dómine, oblivisceris me in finem? *pag.* 87.

Ant. Illúmina óculos meos, ne unquàm obdórmiam in morte.

℣. Ne tradas béstiis ánimas confitentes tibi. ℟. Et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem. *Ps.* 73.

Lectiones sine Benedictione leguntur.

Lectio I.

De Libro Job. *Cap.* 14.

HOmo natus de mulíere, brevi vivens témpore, replétur multis misériis. Qui quasi flos egréditur & contéritur, & fugit velut umbra, & nunquàm in eódem statu pérmanet; & dignum ducis super hujuscemodi aperíre óculos tuos, & addúcere eum tecum in judícium? Quis potest fácere mundum de immúndo conceptum sémine? Nonne tu qui solus es? Breves dies hóminis sunt, númerus ménsium ejus apud te est: constituisti términos ejus, qui præteríri non póterunt.

Recéde páululùm ab eo, ut quiescat; donec optáta véniat, sicut mercenárii dies ejus.

℟. Ad Dóminum adspíciam; exspectábo Deum Salvatórem meum: consurgam, cùm sédero in ténebris. * Iram Dómini portábo; quóniam peccávi ei. ℣. Flagellat Dóminus omnem filium quem récipit. * Iram. *Mich.* 7. *Hebr.* 12.

Lectio II. *Job.* 17.

SPíritus meus attenuábitur; dies mei breviabuntur; & solum mihi super est sepulchrũ. Non peccávi; & in amaritudínibus morátur óculus meus. Líbera me, Dómine; & pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me. Dies mei transiérũt; cogitatiónes meæ dissipátæ sunt, torquentes cor meum; noctem vertérunt in diem, & rursùm post ténebras spero lucem. Si sustinúero, infernus domus mea est, & in ténebris stravi léctulum meum. Putrédini dixi: Pater meus es; mater mea, & soror mea, vérmibus; ubi est ergo nunc præstolátio mea? & patiéntiam meam quis consíderat?

℟. Inundavérunt aquæ super caput meum, dixi: Périi: invocávi nomen tuum, Dómine, de lacu novíssimo; vocem meam audísti: * Ne avertas aurem tuam à singultu meo & clamóribus. ℣. Qui voluntáriè genuísti nos verbo veritátis. * Ne avertas. *Thren.* 3. *Jac.* 1.

Lectio III. *Job.* 19.

PElli meæ, consumptis cárnibus, adhæsit os meum, & derelícta sunt tantúmmodò lábia circa dentes meos. Miserémini meî, miserémini meî, saltem vos amíci mei; quia manus Dómini tétigit me. Quare persequímini me sicut Deus, & cárnibus meis saturámini? Quis mihi tríbuat ut scribántur sermónes mei? Quis mihi det ut exaréntur in libro, stylo férreo, & plumbi láminâ, vel celte sculpántur in sílice? Scio enim quòd Redemptor meus vivit, & in novíssimo die de terrâ surrectúrus sum, & rursùm circúmdabor pelle meâ, & in carne meâ, vidébo Deum meum, quem visúrus sum ego ipse, & óculi mei conspectúri sunt, & non álius: repósita est hæc spes mea in sinu meo.

℟. Scio quia universórũ memíneris, Dómine; * Si peccávi, & ad horam pepercísti mihi; cur ab iniquitáte meâ mundum me esse non páteris? ℣. Qui emundas nos ab omni iniquitáte. * Si. *Job*, 10. *I. Joan.* 1.

IN II. NOCTURNO.

FER. III. & VI.
Cum suis Lectionibus infrà, pag. cxxix.

Psalm. 22. Dóminus regit me. *pag.* 106.

Ant. In médio umbræ mortis, non timébo mala; quóniam tu mecum es, Dómine.

Ps. 24. Ad te, Dómine, levávi. *pag.* 5.

Ant. Delicta juventútis meæ & ignorántias meas ne memíneris, Dómine.

Ps. 26. Dóminus illuminátio mea & sálus mea. *pag.* 7.

Ant. Credo vidére bona Dómini in terrâ vivéntium.

℣. Unam pétii à Dómino, hanc requíram; ℟. Ut inhábitem in domo Dómini. *Ps.* 26.

LECTIO IV.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi. *Serm.* 173. *de Verbis Apost. n.* 1. *Ed. Ben.*

QUando celebrámus dies fratrum defunctórũ, in mente habére debémus, & quid sperandum, & quid timendum sit. Secundùm hoc enim sperandum est, quóniam pretiósa in conspectu Dómini mors Sanctórum ejus: secundùm hoc autem timendum est, quia Mors peccatórum péssima. Ideóque propter spem, in memóriâ æternâ erit justus: propter timórem, Ab audítu malo non timébit. In hâc ergo medietáte vitæ, illud quod audívimus ex Evangélio, tenére debémus: Qui credit, inquit, in me, licèt moriátur, vivit. Quid est: Licèt moriátur, vivit? Licèt moriátur córpore, vivit spíritu. Deinde adjungit: Et qui vivit, & credit in me, non moriétur in æternum. Certè licèt moriátur; quómodò, si non moriétur? sed licèt moriátur ad tempus, non moriétur in æternum.

℟. Scio quòd Redemptor meus vivit, & in novíssimo die de terrâ surrectúrus sum; * Et in carne meâ vidébo Deum meum. ℣. Oportet corruptíbile hoc indúere incorruptiónem, & mortále hoc indúere immortalitátem; * Et in carne. *Job*, 19. *I. Cor.* 15.

LECTIO V. *n.* 2. 3.

COnsolémur ergo nos ínvicem, & in his sermónibus nostris. Potest non dolére cor humánum, defuncto caríssimo: méliùs tamen cùm dolet sanátur cor humánum, quàm non dolendo fit inhumánum. María Dómino cohærébat, mórtuum fratrem dolébat. Sed quid miráris quia María dolébat tunc, cùm ipse Dóminus flebat. Ideò & Apóstolus, de dormiéntibus, inquit: Nolo vos ignoráre, fratres, ut non con-

triſtémini, ſicut & gentes quæ ſpem non habent. Non tantùm ait, ut non contriſtémini: ſed, ut non ſic contriſtémini, quemádmodùm gentes quæ ſpem non habent. Neceſſe eſt enim ut contriſtémini: ſed ubi contriſtáris, conſolétur te ſpes.

℟. Omnes nos manifeſtári oportet ante tribúnal Chriſti, * Ut réferat unuſquiſque própria córporis prout geſſit, ſive bonum, ſive malum. ℣. Statútum eſt homínibus ſemel mori; poſt hoc autem judícium. * Ut. *II. Cor.* 5. *Hebr.* 9.

LECTIO VI.

QUómodò non contriſtáris, ubi corpus quod vivit ex ánimâ, fit exánime, diſcedente ánimâ? Qui ambulábat, jacet; qui loquebátur, tacet. Diſceſſit qui non videbátur; remanſit quod cum dolóre videátur: iſta eſt cauſa triſtítiæ. Si hæc eſt cauſa triſtítiæ, ſit hujus triſtítiæ conſolátio. Quæ conſolátio? Quia, Ipſe Dóminus in juſſu & in voce Archángeli, & in noviſſimâ tubâ deſcendet de cœlo, & mórtui in Chriſto reſurgent primi: deinde viventes qui réliqui ſumus, ſimul cum illis rapiémur in núbibus óbviàm Chriſto in áera. Numquid & hoc ad tempus? Non: ſed quid eſt? Et ita ſemper cum Dómino érimus. Péreat contriſtátio ubi tanta eſt conſolátio; detergátur luctus ex ánimo; fides expellat dolórem. In tantâ ſpe non decet eſſe triſte templum Dei. Ibi hábitat bonus conſolátor; ibi qui non fallit, promiſſor. Quid mórtuum diù plangámus? Quóniam mors amára eſt? per illam transívit & Dóminus. Conſolétur vos abundántiùs qui non migrat de corde veſtro; ſed ita dignétur habitáre, ut nos dignétur étiam in fine mutáre.

℟. Omnes qui in monumentis ſunt, áudient vocem Fílii Dei; * Et procédent qui bona fecérunt in reſurrectiónem vitæ; qui verò mala egérunt, in reſurrectiónem judícii. ℣. In momento, in ictu óculi in noviſſimâ tubâ, mórtui reſurgent. * Et procédent. *Joan.* 5. *I. Cor.* 15.

IN III. NOCTURNO.

FER. IV ET SABBATO.

Cum ſuis Lectionibus infrà, pag. cxxxj.

Pſ. 38. Dixi: Cuſtódiam vias meas. *pag.* 111.

Ant. Amove à me plagas tuas, Dómine: áuribus pércipe lácrymas meas.

Pſ. 40. Beátus qui intélligit ſuper egénum. *pag.* 66.

Ant. Numquid qui dormit non adjíciet ut reſúrgat? Dómine, miſerére meî, & resúſcita me.

Ps. 41. Quemádmodùm desíderat cervus ad fontes aquárum. *pag.* 85.

Ant. Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum: quando véniam, & apparébo ante fáciem Dei!

℣. Quare tristis es, ánima mea? & quare conturbas me? ℟. Spera in Deo: quóniam adhuc confitébor illi. *Ps.* 42.

LECTIO VII.

Ex Epístolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicenses. *Cap.* 4.

SI crédimus quòd Jesus mórtuus est, & resurrexit: ita & Deus eos qui dormiérunt per Jesum, addúcet cum eo. Hoc enim vobis dícimus in verbo Dómini, quia nos qui vívimus, qui resídui sumus in adventum Dómini, non prævéniémus eos qui dormiérunt. Quóniam ipse Dóminus in jussu, & in voce Archángeli, & in tubâ Dei descendet de cœlo: & mórtui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui vívimus, qui relínquimur, simul rapiémur cum illis in núbibus óbviàm Christo in áera, & sic semper cum Dómino érimus. Itaque consolámini ínvicem in verbis istis.

℟. Non resurgent ímpii in judício, neque peccatóres in concílio justórum: * Quóniam novit Dóminus viam justórum; & iter impiórum peribit. ℣. Mors peccatórum péssima: pretiósa in conspectu Dómini, mors Sanctórum ejus. * Quóniam. *Ps.* 1. 33. & 115.

LECTIO VIII. *Cap.* 5.

DE tempóribus autem, & momentis, fratres non indigétis ut scribámus vobis: ipsi enim diligenter scitis, quia dies Dómini, sicut fur in nocte, ita véniet. Cùm enim dixerint: Pax & secúritas; tunc repentínus eis supervéniet intéritus, sicut dolor in útero habentis, & non effúgient. Vos autem, fratres, non estis in ténebris, ut vos dies illa, tamquàm fur comprehendat: omnes enim vos filii lucis estis & filii diéi: non sumus noctis, neque tenebrárum.

℟. Deus meus, ne síleas à me: * Ne simul trahas me cum peccatóribus; & cum operántibus iniquitátem ne perdas me. ℣. Pars illórum erit in stagno ardenti igne & súlphure. * Ne simul. *Ps.* 27. *Apoc.* 21.

LECTIO IX.

NOn dormiámus, sicut & cæteri; sed vigilémus, & sóbrii simus. Qui enim dórmiunt, nocte dórmiunt; & qui ébrii sunt, nocte ébrii sunt: nos autem qui diéi sumus, sóbrii simus, indúti lorícam

tam fidei & caritátis, & gáleam spem salútis, quóniam non pósuit nos Deus in iram, sed in acquisitiónem salútis per Dóminum nostrum Jesum Christum, qui mórtuus est pro nobis: ut sive vigilémus, sive dormiámus, simul cum illo vivámus. Propter quod consolámini ínvicem, & ædificáte altérutrum.

℞. Líbera me, Dómine, ab iis qui odérunt me: non absórbeat me profúndum, neque úrgeat super me púteus os suum: * Exaudi me, quóniam † Benigna est misericórdia tua: ¶ Intende ánimæ meæ, & líbera eam. ℣. Dómine Deus, Rex seculórum, solus pius es. * Exaudi me, quóniam † Benigna est misericórdia tua. ¶ Intende ánimæ meæ & líbera eam. ℣. Miserére meî, Dómine, Fili David: Dómine, ádjuva me. † Benigna est misericórdia tua: ¶ Intende ánimæ meæ, & líbera eam. ℣. Propósuit te, Deus, propitiatiónem per fidem propter remissiónem delictórum. ¶ Intende ánimæ meæ, & líbera eam. *Ps.* 68. *Apoc.* 15. *Matth.* 15. *Rom.* 3.

AD LAUDES.

Psalm. 50. Miserére meî, Deus, secundùm. *p.* 149.

Ant. Secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum dele iniquitátem meã.

Ps. 64. Te decet Hymnus. *pag.* 80.

Ant. Exaudi, Deus, oratiónem meam; ad te omnis caro véniet.

Ps. 142. Dómine, exaudi oratiónem meam; áuribus. *pag.* 67.

Ant. Propter nomen tuũ, Dómine, vivífica me.

CANTICUM. *Baruch.* 3.

DOmine, omnípotens, Deus Israel, * ánima in angústiis, & spíritus ánxius clamat ad te:

Audi, Dómine, & miserére, quia Deus es miséricors; * & miserére nostrî, quia peccávimus ante te.

Quia tu sedes in sempitérnum, * & nos períbimus in ævum?

Dómine omnípotens, Deus Israel, * audi nunc oratiónem mortuórum Israel,

Et filiórum ipsórum, qui peccavérunt ante te, & non audiérunt vocem Dómini Dei sui, * & agglutináta sunt nobis mala.

Noli meminisse iniquitátum patrum nostrórum, * sed memento manûs tuæ, & nóminis tui in témpore isto:

Quia tu es Dóminus Deus noster; * & laudábimus te, Dómine.

Ant. Miserére nostrî, Dómine; quia peccávimus ante te.

Ps. 150. Laudáte Dóminum in sanctis ejus. *pag.* 63.

Ant. Omnis spíritus laudet Dóminum.

℣. Educ de custódiâ ánimam meam, ℟. Ad confiténdum nómini tuo, Dómine. *Ps.* 140.

Ad Benedictus. *Ant.* Ego sum resurréctio & vita; qui credit in me, étiam si mórtuus fúerit vivet; & omnis qui vivit & credit in me, non moriétur in ætemum. *Joan.* 11.

Pater noster, &c. *ut suprà ad I. Vesperas, pag.* cxx, *excepto quòd loco Psalmi* Lauda. *dicitur Ps.* 129. De profundis. *suprà pag.* 88.

In Officiis Defunctorum in quibus unum tantùm dicitur Nocturnum, Psalmi, Ant. & ℣. sumuntur ex Officio præcedenti secundùm Feriam, & tres dicuntur Lectiones cum suis ℟℟. ordine qui infrà notatur.

FERIA II. ET V.

LECTIO I.

De Libro Job. *Cap.* 7.

MIlítia est vita hóminis super terram: & sicut dies mercenárii, dies ejus. Sicut servus desíderat umbram, & sicut mercenárius præstolátur finem óperis sui; sic & ego hábui menses vácuos, & noctes labo-riósas enumerávi mihi. Si dormíero, dicam: Quando consúrgam? & rursum exspectábo vésperam, & replébor dolóribus usque ad ténebras. Indúta est caro mea putrédine & sórdibus púlveris: cutis mea áruit, & contracta est. Dies mei velóciùs transiérunt quàm à texente tela succíditur, & consumpti sunt absque ullâ spe. Memento quia ventus est vita mea, & non revertétur óculus meus ut vídeat bona, nec adspíciet me visus hóminis.

℟. Defecérunt sicut fumus dies mei, & ossa mea sicut crémium aruérunt. * Tu autem, Dómine, idem ipse es, & anni tui non defícient. ℣. Quæ est vita nostra? vapor est ad módicum parens. * Tu autem. *Ps.* 101. *Jac.* 4.

LECTIO II.

Ex Enchirídio sancti Augustíni Epíscopi de Fide, Spe, & Caritáte. *Edit. Bened. Cap.* 109.

NEque negandum est Defunctórum ánimas pietáte suórum vivéntium relevári, cùm pro illis sacrifícium Mediatóris offertur vel eleemósynæ in Ecclésiâ fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui cùm víverent, ut hæc sibi pósteà possent prodesse, meruérunt. Est enim quidam vivendi modus, nec tam bonus, ut

non requírat ista post mortem; nec tam malus, ut non ei prosint ista post mortem. Est verò talis in bono, ut ista non requírat; & est rursus talis in malo, ut nec his váleat, cùm ex hac vitâ transíerit, adjuvári. Quocirca hic omne méritum comparátur, quo possit post hanc vitam relevári quíspiam, vel gravári. Nemo se autem speret, quod hìc negléxerit, cùm obíerit, apud Deum promeréri.

℟. Hi qui cum pietáte dormitiónem accepérunt, óptimam habent repósitam grátiam. * Sancta ergo & salubris est cogitátio pro Defunctis exoráre, ut à peccátis solvantur. ℣. Uniuscujusque opus quale sit, ignis probábit. * Sancta ergo. *II. Machab.* 12. *I. Cor.* 3.

LECTIO III.

Ex Epístolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 3.

FUndamentum áliud nemo potest pónere, præter id quod pósitum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superædíficat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lápides pretiósos, ligna, fœnum, stípulam; uniuscujusque opus manifestum erit: dies enim Dómini declarábit, quia in igne revelábitur; & uniuscujusque opus quale sit, ignis probábit. Si cujus opus mánserit quod superædificávit, mercédem accípiet. Si cujus opus árserit, detrimentum patiétur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.

℟. Libera me, Dómine, quóniam benigna est misericórdia tua: secundùm multitúdinē miseratiónum tuárum réspice in me. * Intende ánimæ meæ, & líbera eam. ℣. Deus, propítius esto mihi peccatori. * Intende. *Ps.* 68. *Luc.* 18.

FERIA III. ET VI.

LECTIO I.

De Libro Job. *Cap.* 7.

PArce mihi, nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magníficas eum? aut quid appónis erga eum cor tuum? Vísitas eum dilúculo, & súbitò probas illum. Usquequo non parcis mihi, nec dimittis me, ut glútiam salivam meam? Peccávi; quid fáciam tibi, ô custos hóminum? Quare posuisti me contrárium tibi & factus sum mihimetipsi gravis? Cur non tollis peccátum meum, & quare non aufers iniquitátem meam? Ecce nunc in púlvere dórmiam; & si manè me quæsíeris, non subsístam.

℟. Dies mei ſicut umbra declinavérunt ; & ego ſicut fœnum árui. * Tu autem, Dómine, in ætcrnum pérmanes. ℣. Præcíſa eſt velut à texente vita mea : de mane uſque ad véſperam finies me. * Tu autem. *Pſ.* 101. *Iſai.* 38.

LECTIO II.

Ex Homíliâ vigéſimâ primâ ſancti Joannis Chryſóſtomi in Acta Apoſtolórum. *n.* 4. *Edit. Ben.*

NOn fruſtra oblatiónes pro Defunctis fiunt, non fruſtra preces, non fruſtra eleemóſynæ. Hæc ómnia ſpíritus diſpóſuit volens, ut nos mútuò juvémus. Non fruſtra clamat Diáconus : Pro iis qui in Chriſto defuncti ſunt & pro iis qui illórum memóriam fáciunt. Non Diáconus hanc emittit vocem ; ſed ſpíritus ; non ſanctus dico, ſed donum ejus. Quid dicis ? In mánibus eſt hóſtia, & ómnia paráta proſtant. Adſunt Angeli, Archángeli; adeſt Fílius Dei ; cum tanto horróre adſtant omnes, adſtant illi clamantes ómnibus ſiléntibus, & putas hæc fruſtra fieri ? Abſit. Sed ómnia cum fide fiunt. Hæc cùm ſciámus, conſiderémus quantas póſſumus conſolatiónes Defunctis conferre vice lacrymárum, vice flétuum, vice monumentórum ; eleemóſynas, nempe, oratiónes, oblatiónes ; ut & illi & nos promiſſa conſequámur bona.

℟. Dómine omnípotens, Deus Iſrael, ánima in angúſtiis, & ſpíritus ánxius clamat ad te : * Audi, Dómine, & miſerére, quia Deus es miséricors. ℣. Occíſus es, & redemiſti nos in ſánguine tuo. * Audi. *Baruch.* 3. *Apoc.* 5.

LECTIO III.

Ex Epíſtolâ ſecundâ beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios. *Cap.* 5.

SCimus quóniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitatiónis diſſolvátur, quòd ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufactam, æternam in cœlis. Nam & in hoc ingemíſcimus, habitatiónem noſtram, quæ de cœlo eſt, ſuperíndui cupientes ; audentes ígitur ſemper, ſcientes quóniam dum ſumus in córpore, peregrinámur à Dómino ; per fidem enim ambulámus, & non per ſpéciem, audémus autem, & bonam voluntátem habémus magis peregrinári à córpore, & præſentes eſſe ad Dóminum. Et ídeo conténdimus, ſive abſentes, ſive præſentes, placére illi. Omnes enim nos manifeſtári oportet ante tribúnal Chriſti, ut réferat unuſquiſque própria córporis,

prout gessit, sive bonum, sive malum.

℟. Líbera me, Dómine, quóniam benigna est misericórdia tua: & ne avertas fáciem tuam à púero tuo: * Intende ánimæ meæ, & líbera eam. ℣. Salvátor ómnium hóminum, máximè fidélium. * Intende. *Ps.* 68. *I. Tim.* 4.

FERIA IV. ET SABBATO.

LECTIO I.

De Libro Job. *Cap.* 10.

TÆdet ánimam meam vitæ meæ: dimittam adversùm me elóquium meum, loquar in amaritúdine ánimæ meæ. Dicam Deo: Noli me condemnáre; índica mihi cur me ita júdices? Numquid bonum tibi vidétur, si calumniéris me, & ópprimas me opus mánuum tuárum, & consílium impiórum ádjuves? Numquid óculi cárnei tibi sunt, aut sicut videt homo, & tu vidébis? Numquid sicut dies hóminis dies tui, & anni tui sicut humána sunt témpora, ut quæras iniquitátem meam, & peccátum meum scrutéris? Et scias quia nihil ímpium fécerim, cùm sit nemo qui de manu tuâ possit erúere.

℟. Non intres in judícium cum servo tuo, Dómine; quia * Non justificábitur in conspectu tuo omnis vivens. ℣. Si justus vix salvábitur, ímpius & peccátor ubi parébunt? * Non. *Ps.* 142. *I. Petr.* 4.

LECTIO II.

Ex Sermóne Sancti Augustíni Epíscopi de Verbis Apóstoli. *Serm.* 172. *Cap.* 2. *Edit. Bened.*

ORatiónibus sanctæ Ecclésiæ, & sacrifício salutári, & eleemósynis quæ pro eórum spirítibus erogántur, non est dubitándum mórtuos adjuvári; ut cum eis misericórdiùs agátur à Dómino, quàm eórum peccáta meruérunt. Hoc enim à Pátribus tráditum; univérsa obsérvat Ecclésia, ut pro eis qui in córporis & sánguinis Christi communióne defuncti sunt, cùm ad ipsum sacrifícium loco suo commemorántur, orétur; ac pro illis quoque id offerri commemorétur. Cùm eórum commendatórum causâ, ópera misericórdiæ celebrantur; quis eis dúbitet suffragári, pro quibus oratiónes Deo non inániter allegantur? Non omníno ambigendum est ista prodesse defunctis; sed tálibus, qui ita vixerint ante mortem, ut possint eis hæc utília esse post mortem.

℟. Qui dórmiunt in terræ púlvere * Evigilábunt; álii in vitam ætérnam, &

álii in oppróbrium, ut vídeant semper. ℣. Omnes quidem resurgémus; sed non omnes immutábimur. * Evigilábunt. *Dan.* 12. *I. Cor.* 15.

LECTIO III.

Ex Epístolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicenses. *Cap.* 4.

NOlumus vos ignoráre, fratres, de dormiéntibus; ut non contristémini, sicut & cæteri qui spem non habent. Si enim crédimus quòd Jesus mórtuus est, & resurrexit; ita & Deus eos qui dormiérunt per Jesum, addúcet cum eo. Hoc enim vobis dícimus in Verbo Dómini, quia nos qui vívimus, qui resídui sumus in adventum Dómini, non præveniémus eos, qui dormiérunt. Quóniam ipse Dóminus in jussu, & in voce Archángeli, & in tubâ Dei descendet de cœlo: & mórtui qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos qui vívimus, qui relínquimur, simul rapiémur cum illis in nubibus óbviàm Christo in áera; & sic semper cum Dómino érimus. Itaque consolámini ínvicem in verbis istis.

℟. Líbera me, Dómine, quóniam benigna est misericórdia tua: quóniam tríbulor, velóciter exáudi me. * Intende ánimæ meæ, & libera eam. ℣. Utique, Dómine, ego crédidi quia tu es Fílius Dei vivi. * Intende. *Ps.* 68. *Joan.* 11.

PSALMI PŒNITENTIÆ.

Flexis genibus dicuntur Feriâ quartâ Cinerum, & singulis Feriis sextis usque ad majorem Hebdomadam.

Ps. 6. Dómine, ne in furóre. *pag.* 51.
Ps. 31. Beáti quorum remissæ sunt. *pag.* 87.
Ps. 37. Dómine, ne in furóre. *pag.* 130.
Ps. 50. Miserére meî, Deus. *pag.* 149.
Ps. 101. Dómine, exaudi oratiónem meam. *pag.* 125.
Ps. 129. De profundis. *pag.* 88.
Ps. 142. Dómine, exaudi. . . . áuribus. *pag.* 67.

Ant. Dómine, memor esto meî, & ne vindictam sumas de peccátis meis, neque reminiscáris delicta mea, vel parentum meórum. *Tob.* 3.

LITANIÆ.

KYrie, eleéson; Christe, eleéson; Kyrie, eleéson.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, Miserére nobis.

Fili Redḗptor mundi Deus, Miſerére nobis.
Spíritus Sancte Deus, Miſ.
Sancta Trínitas unus Deus, Miſerére nobis.
Sancta María, Ora pro nobis.
Sancta Dei Génitrix, ora.
Sancta Virgo Vírginū, ora.
Sancte Míchael, ora.
Sancte Gábriel, ora.
Sancte Ráphael, ora.
Omnes ſancti Angeli & Archángeli, oráte pro nobis.
Omnes ſancti beatórum Spíritūum Ordines, oráte.
Sancte Joañes Baptiſta, ora.
Sancte Joſeph, ora.
Omnes ſancti Patriarchæ & Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule,
Sancte Andrea,
Sancte Jacóbe,
Sancte Joannes,
Sancte Thoma,
Sancte Jacóbe, (*Zeb.*)
Sancte Philippe,
Sancte Bartholomæe,
Sancte Matthæe,
Sancte Simon,
Sancte Thaddæe,
Sancte Mathía,
Sancte Bárnaba,
Sancte Marce,
Sancte Luca,
Ora pro nobis.
Omnes ſancti Apóſtoli & Evangeliſtæ, oráte.
Omnes ſancti Diſcípuli Dómini, oráte.
Omnes ſancti Innocentes, oráte pro nobis.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Clemens, ora.
Sancte Symeon, ora.
Sancte Ignáti, ora.
Sancte Polycarpe, ora.
Sancti Gerváſi & Protáſi, oráte pro nobis.
Sancte Pothíne cum sóciis tuis, ora.
Sancte Irenæe cum sóciis tuis, ora.
Sancti Fabiáne & Sebaſtiáne, oráte.
Sancti Cornéli & Cypriáne, oráte pro nobis.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Mauríti cum sóciis tuis, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancti Coſma & Damiáne, oráte pro nobis.
Sancti Joannes & Paule, oráte pro nobis.
Sancte Fulgenti, ora.
Sancte Plácide cum sóciis tuis, ora.
Omnes ſancti Mártyres & Cōfeſſóres Chriſti, oráte.
Sancte Sylveſter, ora.
Sancte Nicoláe, ora.
Sancte Athánaſi, ora.
Sancte Báſili, ora.
Sancte Ambróſi, ora.
Sancte Martíne, ora.
Sancte Joannes Chrysóſtome, ora.
Sancte Hierónyme, ora.
Sancte Auguſtíne, ora.
Sancte Germáne, ora.
Sancte Leo, ora.
Sancte Rémigi, ora.
Sancte Grégori, ora.
Sancte Vitóne, ora.
Sancte Cárole, ora.
Omnes ſancti Pontífices & Doctóres, oráte.

Sancte Lázare cum soróribus tuis, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Antóni, ora.
Sancte Pater Benedicte, ora.
Sancte Maure, ora.
Sancte Bruno, ora.
Sancte Domínice, ora.
Sancte Francísce, ora.
Sancte Bernarde, ora.
Sancte Ludovíce, ora.
Omnes sancti Sacerdótes & Levítæ, oráte.
Omnes sancti Mónachi & Eremítæ, oráte.
Sancta María Magdaléne, ora pro nobis.
Sanctæ Perpétua & Felícitas, oráte.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Cæcília, ora.
Sancta Anastásia, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Mónica, ora.
Sancta Scholástica, ora.
Omnes sanctæ Vírgines, oráte pro nobis.
Omnes sanctæ Mulíeres & Víduæ, oráte.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, Intercédite pro nobis.
Propítius esto, Parce nobis, Dómine.
Propítius esto, Exaudi nos, Dómine.
Ab omni malo, Líbera nos, Dómine.
Ab omni peccáto, líbera.
Ab irâ tuâ, líbera.
A subitáneâ & improvísâ morte, líbera.
Ab insídiis diáboli, líbera.
Ab immúndis cogitatiónibus,
A spíritu fornicatiónis,
Ab irâ, & ódio, & omni malâ voluntáte,
A fúlgure & tempestáte,
A morte perpétuâ,
Per mystérium sanctæ Incarnatiónis tuæ,
Per Adventum tuum,
Per Nativitátem tuam,
Per Baptismum & sanctum Jejúnium tuum,
Per Crucem & Passiónem tuam,
Per Mortem & Sepultúram tuam,
Per sanctam Resurrectiónem tuam,
Per admirábilem Ascensiónem tuam,
Per adventum Spíritûs Sancti Parácleti,
In die judícii,

Líbera nos, Dómine.

Peccatóres, Te rogámus, audi nos.
Ut ad veram pœniténtiam nos perdúcere dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut remissiónem peccatórum nostrórum nobis dones, te.
Ut compunctiónem cordis, fontemque lacrymárum nobis dones, te.
Ut fidem, spem, & caritátem nobis dones, te.
Ut Ecclésiam tuam sanctam régere & conserváre dignéris, te.
Ut Domnum Apostólicum & omnes gradus Ecclésiæ in sanctâ Religióne conserváre dignéris, te.

Ut inimícos sanctæ Ecclésiæ humiliáre dignéris, te.
Ut Regem nostrum custodíre dignéris, te.
Ut Régibus & Princípibus Christiánis pacem & veram concórdiam donáre dignéris, te.
Ut cuncto Pópulo Christiáno pacem & unitátem largíri dignéris, te.
Ut nosmetipsos in tuo sancto servítio confortáre & conserváre dignéris, te.
Ut mentes nostras ad cœléstia desidéria érigas, te.
Ut ómnibus Benefactóribus nostris sempitérna bona retríbuas, te.
Ut ánimas nostras, fratrum, propinquórum, & benefactórũ nostrórum ab ætérnâ damnatióne erípias, te.
Ut fructus terræ dare & conserváre dignéris, te.
Ut ómnibus Fidélibus defunctis, réquiem ætérnam donáre dignéris, te.
Ut nos exaudíre dignéris, te.
Fili Dei, te rogámus, audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Parce nobis, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Exaudi nos, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Miserére nobis.
Christe, audi nos; Christe, exaudi nos.
Kyrie, eléëson: Christe, eléëson: Kyrie, eléëson.

Pater noster, *secretò usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem: ℟. Sed líbera nos à malo.

Ps. 69. Deus, in adjutórium. *pag.* 118.

℣. Dómine, non secundùm peccáta nostra fácias nobis; ℟. Neque secundùm iniquitátes nostras retríbuas nobis. *Ps.* 102.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

COLLECTÆ. *Sacr. Leon. Gelas. Greg. & Alcuin.*

DEus, cui próprium est miseréri semper & párcere; súscipe deprecatiónem nostram, ut nos & omnes fámulos tuos, quos delictórum caténa constringit, miserátio tuæ pietátis cleménter absolvat.

EXaudi, quæsumus, Dómine, súpplicum preces, & confiténtium tibi parce peccátis; ut páriter nobis indulgéntiam tríbuas benígnus & pacem.

INeffábilem nobis, Dómine, misericórdiam tuam cleménter osténde; ut simul nos & à peccátis ómnibus éxuas, & à pœnis quas pro his merémur, erípias.

DEus, qui culpâ offénderis, pœniténtiâ placáris; preces pópuli tui supplicantis propitius réspice, & flagella tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis nostris merémur, averte.

OMnípotens, sempiterne Deus, miserére fámulo tuo Pontifici nostro *N.* & dírige eum secundùm tuam cleméntiam in viam salútis ætemæ; ut, te donante, tibi plácita cúpiat, & totâ virtúte perficiat.

OMnípotens, sempiterne Deus, cujus Spíritu totum corpus Ecclésiæ sanctificátur & régitur: exaudi nos pro universis Ordínibus supplicantes; ut grátiæ tuæ múnere, ab ómnibus tibi grádibus fidéliter serviátur.

QUæsumus, omnípotens Deus, ut fámulus tuus Rex noster *N.* qui tuâ miseratióne suscépit regni gubernácula, virtútum étiam ómnium percípiat incrementa; quibus decenter ornátus, vitiórum monstra devitáre, hostes superáre; & ad te, qui via, véritas & vita es, gratiósus válcat pervenire.

DEus, à quo sancta desidéria, recta consília, & justa sunt ópera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; ut & corda nostra mandátis tuis dédita, & hóstium sublátâ formídine, témpora sint tuâ protectióne tranquilla.

URe igne sancti Spíritûs renes nostros & cor nostrum, Dómine; ut tibi casto córpore serviámus, & mundo corde placeámus.

ACtiónes nostras, quæsumus, Dómine, adspirando præveni, & adjuvando proséquere; ut cuncta nostra orátio & operátio à te semper incípiat, & per te semper finiátur.

FIdélium Deus ómnium Cónditor & Redemptor, animábus famulórum famularumque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequantur.

OMnipotens, sempiterne Deus, qui vivórum domináris simul & mortuórum, omniumque miseréris, quos tuos fide & ópere futúros esse prænoscis; te súpplices exorámus, ut pro quibus effúndere preces decrévimus, quosque vel præsens séculum adhuc in carne rétinet, vel futúrum jam exútos córpore suscépit, intercedéntibus ómnibus Sanctis tuis, pietátis tuæ cleméntiâ, ómnium delictórum suórum véniam consequántur: Per Dóminum.

BENEDICTIO MENSÆ.

ANTE PRANDIUM, *Superior incipit;* Benedícite, *Respondent alii:* Dóminus. *Deinde dicit* ℣. Oculi ómnium, *Alii prosequuntur:* In te sperant, Dómine; & tu das escam illórum in témpore opportúno. Aperis tu manum tuam, & imples omne ánimal benedictióne. *Ps.* 144. ℣. Glória. ℟. Sicut erat, &c. Kyrie, eleéson: Christe, eleéson: Kyrie, eleéson. Pater noster. *secretò.* Et ne nos, &c.

Posteà Superior dicit: Orémus. *Sacr. Gelas.*

Benedic, Dómine, dona ✠ tua quæ de tuâ largitáte sumus sumptúri: Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Lector: Jube, Domne, benedícere. *Benedictio.* Mensæ cœlestis partícipes fáciat nos Rex ætérnæ glóriæ. ℟. Amen.

ANTE CŒNAM, *Superior benedicturus mensam, dicit,* Benedícite; *Respondent alii:* Dóminus. *Deinde Superior incipit*

℣. Edent páuperes, & saturabuntur; *Alii prosequuntur:* Et laudábunt Dóminum, qui requírunt eum; vivent corda eórum in séculum séculi. *Ps.* 21. ℣. Glória Patri. ℟. Sicut erat. Kyrie, eleéson. &c. Pater noster. *secretò.* ℣. Et ne nos. ℟. Sed líbera nos. Orémus. Bénedic, Dómine, *ut suprà ad Prandium.* ℣. Jube, Domne, benedícere. *Benedictio.* Ad cœnam vitæ ætérnæ perdúcat nos Rex ætérnæ glóriæ. ℟. Amen.

GRATIARUM ACTIO.

POST PRANDIUM. *Ad signum Superioris omnes surgunt. Superior incipit:*

℣. Memóriam fecit mirabílium suórum, ℟. Miséricors & miserátor Dóminus; escam dedit timéntibus se. *Ps.* 110. ℣. Glória Patri. ℣. Sicut erat, &c.

Posteà Superior absolutè dicit:

Agimus tibi grátias, omnípotens Deus, pro universis benefíciis tuis; Qui vivis & regnas in sécula seculórum. ℟. Amen.

Deinde Psalm. 50. Miserére. *pag.* 149. *Temp. Pasch. Ps.* 117. Confitémini Dómino quóniam bonus... dicat. *cum suâ divisione, pag.* 17. ℣. Glória Patri, &c. Kyrie, eleéson: Christe, eleéson: Kyrie, eleéson. *Sacerdos dicit:* Pater noster. *secretò.* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

Deinde sine Orémus.

RETribúere, dignáre, Dómine, ómnibus nobis bona faciéntibus propter nomen tuum, vitam ætérnam. ℟. Amen.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

POST CŒNAM. *Superior dicit:* Memóriam fecit mirabílium suórum, ℟. Miséricors & miserátor Dóminus: escam dedit timéntibus se. *Ps.* 110. ℣. Glória Patri. ℣. Sicut erat. &c.

Superior dicit: Benedíctus Deus in donis suis, & sanctus in ómnibus opéribus suis; qui vivit & regnat in sécula seculórum. ℟. Amen.

Deinde dicitur Ps. 116. Laudáte Dóminum, omnes gentes. *pag.* 141. *Reliqua ut suprà.*

In Jejuniis, AD REFECTIONEM., *fit Benedictio mensæ & gratiarum actio, ut notatum est pro Cœnâ, excepto quòd loco Psalmi* Laudáte. *dicatur Psalm.* 50. Miserére.

Fer. IV. V. & VI. majoris Hebdomadæ ad utramque refectionem.

BENEDICTIO.

Christus factus est ℟. Pro nobis obédiens usque ad mortem. *Philip.* 2.

Pater. *totum secretò. Deinde nihil dicendo, signo crucis benedicitur mensa. Ad lectionem ante non datur benedictio, nec in fine dicitur*, Tu autem.

GRATIARUM ACTIO.

Christus factus est ℟. Pro nobis obédiens usque ad mortem, mortem autem Crucis.

Ps. Miserére. *sine* Glória. Pater. *totum secretò.*

ITINERARIUM.

Viator, in ipso itineris ingressu, si solus fuerit, dicat quæ sequuntur in singulari; si cum sociis, in plurali ut sequitur.

Canticum, Benedíctus Dóminus Deus Israel. *pag.* 16.

Ant. In viam pacis & prosperitátis dírigat nos omnípotens & miséricors Dóminus; & Angelus Ráphael comitétur nobíscum in viâ, ut cum pace, salúte & gáudio revertámur ad própria.

Kyrie, eléëson: Christe, eléëson: Kyrie, eléëson. Pater noster. *secretò usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Salvos fac servos tuos, ℟. Deus meus, sperantes in te.

℣. Mitte nobis, Dómine, auxílium de sancto; ℟. Et de Sion tuére nos.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Orémus.

COLLECTÆ. *Sacr. Gelas. &c.*

DEus, qui filios Israel per maris médium sicco vestígio ire fecisti, quique Magis, iter ad te, stellâ duce, pandisti: tríbue nobis, quæsumus, iter prósperum, tempusque tranquillum; ut, Angelo tuo sancto cómite, ad eum quò pergimus, ac demùm ad ætern æ salútis portum perveníre felíciter valeámus.

DEus, qui Abraham púerum tuum de Ur Chaldæórum eductum, per omnes suæ peregrinatiónis vias illæsum custodisti; quæsumus, ut nos fámulos tuos custodíre dignéris: esto nobis, Dómine, in procinctu suffrágium, in viâ solátium, in æstu umbráculum, in plúviâ & frígore tegumentum, in lassitúdine vehículum, in adversitáte præsídium, in lúbrico báculus, in naufrágio portus; ut, te duce, quò téndimus, prósperè perveniámus, & demùm incólumes ad própria redeámus.

ADesto, quæsumus, Dómine, supplicatiónibus nostris; & viam famulórum tuórum in salútis tuæ prosperitáte dispóne: ut inter omnes viæ & vitæ hujus varietátes, tuo semper protegámur auxílio.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut família tua per viam salútis incédat; & beáti Joannis præcursóris hortamenta sectando, ad eum quem prædixit, secúra pervéniat, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. ℟. Amen.

℣. Procedámus in pace, ℟. In nómine Dómini. Amen.

PRÆPARATIO AD MISSAM.

Ad libitum Sacerdotis.

Ps. 83. Quàm dilecta. *pag.* 105.

Ps. 84. Benedixisti. *pag.* 61.

Ps. 85. Inclina, Dómine. *pag.* 150.

Ps. 115. Crédidi. *pag.* 109.

Ps. 129. De profundis. *pag.* 88.

Ant. Dómine, memor esto meî; & ne vindictam súmas de peccátis meis, neque reminiscáris delicta mea. *Tob.* 3.

Kyrie, eleéson: Christe, eleéson: Kyrie, eleéson.

Pater noster, &c. Et ne nos inducas, &c.

℣. Ego dixi: Dómine, miserére meî; ℟. Sana áni-

mam meam, quia peccávi tibi. *Ps.* 48.

℣. Convértere, Dómine; úsquequò? ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos. *Ps.* 89.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos; ℟. Quemádmodùm sperávimus in te. *Ps.* 32.

℣. Sacerdótes tui induantur justítiam, ℟. & Sancti tui exsultent. *Ps.* 131.

℣. Ab occultis meis munda me, Dómine; ℟. Et ab aliénis parce servo tuo. *Ps.* 18.

℣. Dómine, exaudi, &c. ℟. Et clamor, &c.

Orémus.

COLLECTA. *Sacr. Leon. &c.*

AUres tuæ pietátis, mitíssime Deus, inclína précibus nostris, & grátiâ Sancti Spíritûs illúmina cor nostrum; ut tuis mystériis dignè ministráre, teque ætérnâ caritáte dilígere mereámur.

DEus, cui omne cor patet, & omnis voluntas lóquitur, & quem nullum latet secrétum; purífica per infusiónem Sancti Spíritûs cogitatiónes cordis nostri, ut te perfectè dilígere, & dignè laudáre mereámur.

URe igne Sancti Spíritûs renes nostros, & cor nostrum, Dómine; ut tibi casto córpore serviámus, & mundo corde placeámus.

MEntes nostras, quæsumus, Dómine, Paraclétus qui à te procédit, illúminet; & indúcat in omnem, sicut tuus promisit Fílius, veritátem.

ADsit nobis, quæsumus, Dómine, virtus Spíritûs Sancti; quæ & corda nostra clementer expurget, & ab ómnibus tueátur advérsis.

DEus, qui corda fidélium Sancti Spíritûs illustratióne docuísti; da nobis in eódem Spíritu recta sápere, & de ejus semper consolatióne gaudére.

COnsciéntias nostras, quæsumus, Dómine, visitando purífica; ut véniens Dóminus noster Jesus Christus Fílius tuus, parátam sibi in nobis invéniat mansiónem: Qui tecum vivit & regnat &c. ℟. Amen.

GRATIARUM ACTIO POST MISSAM.

Ps. 22. Dóminus regit me. *pag.* 106.

Ps. 33. Benedícam Dóminum. *pag.* 145.

Ps. 102. Bénedic, ánima mea, Dómino, & ómnia. *pag.* 108.

Ant. O quàm suávis est, Dómine, Spíritus tuus! qui ut dulcédinem tuam in

filios demonstráres, pane suavíssimo de cœlo præstito esurientes reples bonis, dívites dimittens inánes.

Kyrie, eleéson: Christe, eleéson: Kyrie, eleéson.

℣. Memóriam fecit mirabílium suórum miséricors & miserátor Dóminus: ℟. Escam dedit timéntibus se. *Ps.* 110.

℣. Quid est homo, quòd memor es ejus? ℟. Aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum? *Ps.* 8.

℣. Sicut ádipe & pinguédine repleátur ánima mea; ℟. Et lábiis exsultatiónis laudábit os meum. *Ps.* 62.

℣. Non nóbis, Dómine, non nobis; ℟. Sed nómini tuo da glóriam. *Ps.* 113.

℣. Nunc dimittis servum tuum, Dómine, secundùm verbum tuum in pace; ℟. Quia vidérunt óculi mei salutáre tuum. *Luc.* 2.

℣. Dómine, exaudi, &c. ℟. Et clamor, &c.

Orémus.

COLLECTÆ. *Sacr. Gelas. &c.*

VIsita, quæsumus, Dómine, famíliam tuam; & corda sacris dicáta mystériis pervígili tuére pietáte: ut remédia salútis ætérnæ, quæ, te miserante, percípiunt, te protegente custódiant.

MEnsa tua nos, Deus, à delectatiónibus terrénis expédiat; & cœléstibus semper ínstruat alimentis.

COgnóscimus, Dómine, tuæ circa nos cleméntiæ largitátem; & ídeo fiduciálius implorámus, ut quos páscere non desistis imméritos, & dignè tibi servíre perfícias, & donis uberióribus prosequáris.

TUa nos, Dómine, medicinális operátio & à nostris perversitátibus expédiat; & tuis semper fáciat hærére mandátis.

MAjestátem tuam, Dómine, supplíciter exorámus, ne períre patiáris quibus tanta remédia providísti; sed cum divíni frequentatióne mystérii crescat nostræ salútis effectus.

ACtiónes nostras, quæsumus, Dómine, adspirando præveni, & adjuvando proséquere; ut cuncta nostra orátio & operátio à te semper incípiat, & per te semper finiátur.

ADjuvet nos grátia tua, omnípotens Deus; ut qui officium Sacerdotále suscépimus, dignè ac devótè tibi in omni puritáte, & consciéntiâ bonâ famulári valeámus: & si non póssumus in tantâ innocéntiâ vitæ conversári, ut debémus; concéde nobis ta-

men dignè flere mala quæ géssimus; & in spíritu humilitátis, ac bono voluntátis propósito, tibi ferventiùs de cætero deservíre: Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

ORDO ABSOLUTIONIS *in Sacramento Pœnitentiæ tenendus.*

Dicto à Pœnitente, Bénedic mihi, Pater; quia peccávi; *Sacerdos subjungit:* Dóminus sit in corde tuo, & in lábiis tuis; ut váleas confitéri ómnia peccáta tua: In nómine Patris, ✠ & Fílii, & Spíritûs Sancti. Amen.

Deinde Pœnitens dicit, Confiteor, &c. *usque ad* meâ culpâ.

Et post Confessionem reliqua prosequitur. Tum Sacerdos, injunctâ ei priùs, & ab eo acceptatâ salutari pœnitentiâ, primò dicit: Misereátur tuî omnípotens Deus, & dimissis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam æternam. Amen.

Indulgéntiam, absolutiónem, ✠ & remissiónem peccatórum tuórum tríbuat tibi omnípotens & miséricors Dóminus. Amen.

Deinde dexterâ versùs Pœnitentem elevatâ, dicit:

DOminus noster Jesus Christus, qui est summus Póntifex, te absolvat; & ego autoritáte ipsius te absolvo ab omni vínculo excommunicatiónis, (suspensiónis,) & interdicti, in quantùm possum & tu índiges. *Deinde.* Ego te absolvo à peccátis tuis, in nómine Patris, ✠ & Fílii, & Spíritûs Sancti. Amen.

Si Pœnitens sit laicus, omittitur verbum (suspensiónis.)

Deinde manum removens, subdit:

PAssio Dómini nostri Jesu Christi, mérita beátæ Maríæ Vírginis, & ómnium Sanctórum, quidquid boni féceris, & mali sustinúeris, sint tibi in remissiónem peccatórum, augmentum grátiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.

Urgente verò gravi necessitate, aut in periculo mortis, satis erit dicere: Ego te absolvo ab ómnibus censúris & peccátis, in nómine Patris, ✠ & Fílii, & Spíritûs Sancti. Amen.



LITANIÆ DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Dominicâ, Fer. III. V. & VI. & in omnibus Solemnitatibus Domini, pridie & die.

KYrie, eleéson.
Christe, eleéson.
Kyrie, eleéson.
Jesu, audi nos.
Jesu, exaudi nos.
Pater de cœlis, Deus, Miserére nobis.
Fili Redemptor mundi, Deus,
Spíritus Sancte, Deus,
Sancta Trínitas, unus Deus,
Jesu Christe, Fili Dei vivi,
Jesu, Virtus & Sapiéntia Dei,
Jesu, spéculum sine máculâ majestátis Dei,
Jesu, cui data est omnis potestas in cœlo & in terrâ,
Jesu, in quo sunt omnes thesauri sapiéntiæ & sciéntiæ Dei abscónditi,
Jesu, qui es super ómnia Deus benedictus in sécula,
Jesu, quem adórant Angeli,
Jesu, cui omnes Prophétæ testimónium pérhibent,

Miserére nobis.

Jesu, Princeps regum terræ,
Jesu, exspectátio géntium,
Jesu, Verbum caro factum,
Jesu, qui venisti ad nos justus, mansuétus & pauper,
Jesu, Mediátor Dei & hóminum,
Jesu, melióris testamenti sponsor,
Jesu, Oblátio munda, quæ in omni loco sacrificátur & offertur,
Jesu, Sacerdos in ætérnùm,
Jesu, Póntifex futurórum bonórum,
Jesu, Rex & Salvátor noster,
Jesu, quem Advocátum habémus apud Patrem,
Jesu, causa salútis ætérnæ,
Jesu, auctor & consummátor fidei,
Jesu, petra & fundamentum Ecclésiæ,
Jesu, Princeps pastórum,
Jesu, qui es Pastor & Epíscopus animárum nostrárum,
Jesu, bone Pastor, dans ánimam tuam pro óvibus tuis,
Jesu, Via, Véritas & Vita,
Jesu, lux vera illúminans omnem hóminem,
Jesu, Légifer noster,
Jesu, exemplar nostrum,
Jesu, thesaurus noster,

Miserére nobis.

Jesu, sapiéntia & justítia nostra,
Jesu, sanctificátio & redémptio nostra,
Jesu, qui fecisti nos regnum & sacerdótes Deo & Patri tuo,
Jesu, quem nosse, vívere est,
Jesu, cui servíre, regnáre est,
Jesu, cui glória & impérium,

Miserére nobis.

Propítius esto, Parce nobis, Jesu.
Propítius esto; Exaudi nos, Jesu.
Peccatóres, Te rogámus, audi nos.
Ut des servis tuis cor dócile,
Ut scribas legem tuam in córdibus nostris,
Ut casta elóquia tua sint castæ delíciæ nostræ,
Ut faciámus voluntátem tuam corde magno & ánimo volenti,
Ut primùm quærámus regnum Dei, & justítiam ejus,
Ut jugum tuum suáve super nos libenter tollámus,
Ut arctam viam quæ ducit ad vitam ingrediámur & persequámur,
Ut thesaurizémus nobis thesauros in cœlo,
Ut effundas super nos spíritum grátiæ & precum,
Ut mites simus & húmiles corde,
Ut secundùm vires nostras demus páuperi,
Ut diligámus inimícos & benefaciámus his qui odérunt nos,
Ut orémus pro persequéntibus & calumniántibus nos,
Ut in timóre Dómini declinémus ab omni malo,
Ut horæ mortis néscii, semper vígiles & paráti simus,
Ut custódias in æternùm hanc voluntátem cordis nostri,

Te rogámus audi nos.

Ut quod cœpisti in nobis, opus bonum perfícias,
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi; Parce nobis, Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi; Exaudi nos, Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi; Miserére nobis, Jesu.
Jesu, audi nos.
Jesu, exaudi nos.

℣. Ego in Dómino gaudébo: ℟. Et exsultábo in Deo Jesu meo. *Hab.* 3.

Orémus.

DOmine Jesu Christe, qui dixisti: Pétite, & accipiétis; quærite, & inveniétis; pulsáte, & aperiétur vobis; da quæsumus, nobis peténtibus diviníssimi tui amóris affectum; ut te toto corde, ore & ópere diligámus, & à tuâ nunquam laude cessémus: Qui vivis & regnas.

LITANIÆ BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Fer. II. IV. & Sabbato; & in omnibus Festivitatibus beatæ Mariæ, pridie & die.

Kyrie, eleéson; Christe, eleéson; Kyrie, eleéson.
Christe, audi nos. Christe, exaudi nos.
Pater de cœlis, Deus, Miserére nobis.
Fili Redemptor mundi, Deus, Miserére nobis.
Spíritus Sancte, Deus, Miserére nobis.
Sancta Trínitas, unus Deus, Miserére nobis.
Sancta María, Ora pro nobis.
Fília David,
Lætítia Israel,
Glória Jerúsalem,
Honorificéntia pópuli tui,
Pátribus promíssa,
Prophétis nunciáta,
Quæ caput serpentis Fílii tui virtúte contrivisti,
Justo Joseph desponsáta,
Virgo perpétua,
Quæ grátiam apud Deũ invenisti,
Ad quam Gábriel Angelus à Deo missus est,
Grátiâ plena,
Inter mulíeres benedicta,
Quæ te ancillam Dómini professa es,
Cujus humilitátem Deus respexit,
Ora pro nobis.

In quam Spíritus Sanctus supervénit,
Cui virtus Altíssimi obumbrávit,
Quæ cognátam tuam Elísabeth visitasti,
Cujus Fílius Joannem in sinu matris ejus sanctificávit,
Mater Dei, quæ Cæsaris edicto obtemperasti,
Quæ peregrína & pauper Fílium tuum primogénitum peperisti,
De quâ Jesus Altíssimi Fílius natus est,
Quæ Fílium tuum in præsépio reclinasti,
Quæ Pastóres & Magos venientes adoráre Dóminum vidisti,
Mater Dei, quæ legi purificatiónis te sponte subjecisti,
Quæ Jesum in Jerúsalem, ut sisteres eum Dómino, tulisti,
Quæ cum Fílio in Ægyptum fugisti,
Quæ dolens Jesum tríduo quæsisti,
Quæ gaudens Jesum in templo invenisti,
Cui Jesus infans súbditus erat,
Quæ super deficiente vino in Canâ miserta es,
Quæ perfectam super cunctis Fílii tui verbis obediéntiam commendasti,
Quæ juxta crucem Fílii tui stetisti,
Ora pro nobis.

Cujus ánimam dolóris gládius pertransívit,

Quam Jesus in cruce, discípuli quem diligébat matrem constítuit,

Cui Jesus móriens, Joannem in fílium commendávit,

Quæ post ascensiónem Fílii tui cum Apóstolis unanímiter in oratióne perseverasti,

Cui fecit magna, qui potens est,

Quam beátam omnes generatiónes dicent,

Ora pro nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi; Parce nobis, Dómine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi; Exaudi nos, Dómine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi; Miserére nobis.

Christe, audi nos.

Christe, exaudi nos.

℣. Beáta es, María, quæ credidisti: ℞. Perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Dómino. *Luc.* 1.

Orémus.

Cordibus nostris, quæsumus, Dómine, grátiam tuam, benignus infunde; & intercedente sanctíssimâ Dei Genitríce Maríâ, córpora nostra castitáte, nostrasque mentes humilitáte & caritáte sanctífica: Per eumdem Christum Dóminum nostrum. ℞. Amen.

FINIS.

ORDO
COMMENDATIONIS ANIMÆ
ANTE DECESSUM.

Primùm dicuntur Litaniæ breves in hunc modum.

KYrie, eleéſon. Christe, eleéſon. Kyrie, eleéſon.
Pater de cœlis, Deus; Miſerére ei.
Fili Redemptor mundi, Deus; miſerére ei.
Spíritus Sancte, Deus; miſerére ei.
Sancta Trínitas, unus Deus; miſerére ei.
Sancta María, Ora pro eo (*vel* ea.)
Omnes ſancti Angeli, oráte pro eo (*vel* ea.)
Sancte Abel, ora.
Omnis chorus Juſtórum, ora pro eo (*vel* ea.)
Sancte Abraham, ora.
Sancte Joannes Baptiſta, ora pro eo (*vel* ea.)
Omnes ſancti Patriarchæ & Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Sancte Joannes, ora.
Omnes ſancti Apóſtoli & Evangeliſtæ, oráte.
Omnes ſancti Diſcípuli Dómini, oráte.
Omnes ſancti Innocentes, oráte pro eo (*vel* ea.)
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Diónyſi cum sóciis tuis, ora.
Omnes ſancti Mártyres, oráte pro eo (*vel* ea.)
Sancte Auguſtíne, ora.
Sancte Pater Benedicte, ora.
Sancte Maure, ora.
Sancte Franciſce, ora.
Omnes ſancti Mónachi & Eremítæ, oráte.
Sancta María Magdaléne, ora pro eo (*vel* ea.)
Sancta Thecla, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Sancta Scholáſtica, ora.
Omnes ſanctæ Vírgines, oráte pro eo (*vel* ea.)
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, intercédite pro eo (*vel* ea.)
Propítius eſto, Parce ei, Dómine.
Propítius eſto, Adjuva eum, (*vel* eam) Dómine.
Propítius eſto, Líbera eum, (*vel* eam,) Dómine.
Ab ira tua, líbera.
A mala morte, líbera.
A poteſtáte diáboli, líbera.
A pœnis inferni, líbera.
Per nativitátem tuam, líbera eum, (*vel* eam,) Dómine.

Per crucem & paſſiónem tuam, líbera.
Per Labóres tuos, líbera.
Per ſanctam Agóniam tuã, líbera eum, (*vel* eam,) Dómine.
Per Angúſtias cordis tui in Cruce, cùm te à Patre derelictum clamaſti, líb.
Per mortem & ſepultúram tuam, líbera.
Per glorióſam Reſurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem Aſcenſiónem tuam, líbera.
Per grátiam Spíritûs Sancti paracléti, líbera.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, te rogámus, audi nos.
Ut ei parcas, te.
Ut moriátur morte Juſtórum, te.
Ut, deſtructâ terreſtri hujus habitatiónis domo, domum non manufactam hábeat in cœlis, te.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miſerére ei.
Kyrie, eleéſon. Chriſte, eleéſon. Kyrie eleéſon.

Deinde, cùm in agone ſui exitûs anxiatur anima, dicitur:

PRoficíſcere, ánima chriſtiána, de hoc mundo, In nómine Dei Patris omnipoténtis, qui te creávit; In nómine Jeſu Chriſti Fílii Dei vivi, qui pro te paſſus eſt; In nómine Spíritûs ſancti, qui in te effúſus eſt. Egredienti de córpore áditus tibi páteat ad Sion montem, civitátem Dei viventis, Jerúſalem cœleſtem, & multórum Angelórum frequéntiam, & Eccléſiam primitivórum qui conſcripti ſunt in cœlis. Exurgat Deus, & diſſipentur omnes poteſtátes tenebrárum; fúgiant cuncta ſpirituália nequítiæ in cœléſtibus, & ovem pretióſo Chriſti ſánguine redemptam violáre non áudeant. Líberet te à cruciátu Chriſtus, qui pro te crucifixus eſt. Líberet te ab æternâ morte Chriſtus, qui pro te mori dignátus eſt: ovem ſuam te bonus paſtor agnoſcat, atque in electórum ſuórum grege conſtítuat. Redemptórem tuum fácie ad fáciem vídeas; & præſens ſemper aſſiſtens maniſeſtíſſimam beátis óculis aſpícias Veritátem in ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

COmmendámus tibi, Dómine, ánimam fámuli tui [*vel* fámulæ tuæ]; precamurque te, Dómine Jeſu Chriſte, Salvátor mundi, ut, propter quam ad terram miſericórditer deſcendiſti, eam in pace ſuſcípias, & in ſinu Abrahæ per manus ſanctórum Angelórum collocáre dignéris. Agnoſce, Dómine Jeſu, creatúram tuam, per te renátam ex aquâ & Spíritu ſancto, conſecrátam ſigno crucis tuæ, nutrítam

córpore & sánguine tuo, & in Ecclésiæ tuæ sinu verbo veritátis instructam. Ne péreat prétium quod pro ejus æternâ redemptióne persolvisti. Delícta juventútis ejus & ignorántias clementer indulge. Ne memíneris iniquitátum ejus antiquárum, quas suscitávit furor mali desidérii: sed memento miseratiónum tuárum, & glóriæ nóminis tui. Licèt enim peccáverit, tamen in te sperávit & crédidit, teque Deũ & Salvatórem suum unà cum Patre & Spíritu sancto fidéliter adorávit.

℟. Amen.

Ps. 3. Dómine, quid multiplicáti sunt, *pag.* 1.

Kyrie, eleéson. Christe, eleéson. Kyrie, eleéson.

Pater. ℣. Et ne nos, &c. ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Salvum me fac, Deus; ℟. Quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam. *Ps.* 68.

℣. In multitúdine misericórdiæ tuæ exaudi me, ℟. In veritáte salútis tuæ. *Ps.* 68.

℣. Eripe me de luto, ut non infigar: ℟. Líbera me ab iis qui odérunt me, & de profundis aquárum. *Ps.* 68.

℣. Non me demergat tempestas aquæ, neque absórbeat me profundum: ℟. Neque úrgeat super me púteus os suum. *Ps.* 68.

℣. Exurge in adjutórium mihi: ℟. Dic ánimæ meæ, Salus tua ego sum. *Ps.* 34.

℣. Fac mecum signum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, & confundantur; ℟. Quóniam tu, Dómine, adjuvisti me, & consolátus es me. *Ps.* 85.

Orémus.

UNigénite & dilecte Fili Dei vivi, qui pro redemptióne mundi voluisti in præsépio nasci, à Judæis reprobári, à Juda proditóre ósculo tradi, vínculis alligári, sicut agnus ad víctimam duci, flagellis & cólaphis cædi, sputis fœdári, spinis coronári, cruci affigi, cum sceleràtis deputári, & inter acerbíssimos dolóres expiráre: quæsumus, ut per has sanctíssimas pœnas tuas, & per crucem ac mortem tuam, liberáre dignéris fámulum tuum *N.* [*vel* fámulam tuam *N.*] à pœnis inferni, & perdúcere quò perduxisti latrónem tecum crucifixum; Qui cum Patre & Spíritu sancto vivis & regnas Deus. ℟. Amen.

Posteà legitur de Passione Domini nostri Jesu Christi. (Ex Matth. Marc. Luc.)

ASsúmit Jesus Petrum, & Jacóbum, & Joannem secum; & cœpit pavére, & tædére, contristári, & mœstus esse. Tunc ait illis: Tristis est ánima mea

usque ad mortem; sustinéte hîc, & vigiláte mecum. Et progressus pusillùm, pósitis génibus, orábat dicens: Pater, si vis, transfer cálicem istum à me: verùmtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Appáruit autem illi Angelus de cœlo, confortans eum. Et prócidit super terram in fáciem suam, orans; & factus in agóniâ, prolíxiùs orábat, ut si fieri posset, transíret ab eo hora. Et dixit: Abba, Pater, si possíbile est, tránseat à me calix iste: ómnia tibi possibília sunt; transfer cálicem hunc à me: sed non quod ego volo, sed quod tu. Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sánguinis decurrentis in terram.

Ps. 69. Deus, in adjutórium meum intende. *pag.* 118.

℣. Exaudi, Deus, oratiónem meam, & ne despéxeris deprecatiónem meã: ℟. Intende mihi, & exaudi me. *Ps.* 54.

℣. Cor meum conturbátum est in me: ℟. Et formído mortis cécidit super me. *Ps.* 54.

℣. Timor & tremor venérunt super me: ℟. Et contexérunt me ténebræ. *Ps.* 54.

℣. Ego autem in te sperávi, Dómine; ℟. Dixi: Deus meus es tu; in mánibus tuis sortes meæ. *Ps.* 30.

℣. Illúmina óculos meos, ne unquam obdórmiam in morte; ℟. Nequando dicat inimícus meus: Præválui advérsus eum. *Ps.* 12.

℣. Custódi ánimam meam, & érue me: ℟. Non erubescam; quóniam sperávi in te. *Ps.* 24.

Orémus.

Domine Jesu Christe, cleméntiam tuam humíliter implorámus, per illam ánimæ tuæ tristítiam usque ad mortem, & per agóniam quam, instante passióne, pertulisti, quando factus est sudor tuus sicut guttæ sánguinis decurrentis in terram: succurre fámulo tuo, [*vel* fámulæ tuæ] in agóne mortis constitúto [*vel* constitútæ]: tuére eum [*vel* eam] in hac hora contra diabólicos incursus: líbera eum [*vel* eam] à mortis imminentis terróribus, & de peccatórum suórum consciéntiâ formidantem, fac eum [*vel* eam] de misericórdiæ tuæ immensâ largitáte secúrum [*vel* secúram]: Qui vivis & regnas Deus. ℟. Amen.

Ps. 141. Voce meâ ad Dóminum clamávi, voce meâ. *pag.* 90.

℣. Vide, Dómine, humilitátem meam & labórem meum: ℟. Et dimitte univérsa delicta mea. *Ps.* 24.

℣. Dómine Deus miserátor & misericors, pátiens, & multæ misericórdiæ, & verax; ℟. Réspice in me, & miserére meî. *Ps.* 85.

℣. Ne derelinquas me, Dómine Deus meus: ℟. Ne discésseris à me. *Ps.* 37.

℣. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? ℟. Et volábo, & requiescam. *Ps.* 54.

℣. Moriátur ánima mea morte Justórum: ℟. Et fiant novíssima mea horum símília. *Num.* 23.

Orémus.

DOmine Jesu Christe, qui per os Prophétæ dixisti: In caritáte perpétuâ dilexi te; ídeò attraxi te, míserans: te súpplices deprecámur, per istam caritátem quâ dilexisti nos, ut omnes amaritúdines passiónum tuárum, quas pro nobis peccatóribus sustinuisti in cruce, offerre & osténdere dignéris Deo Patri pro ánimâ fámuli tui [*vel* fámulæ tuæ] in hac horâ éxitûs ejus; quátenùs cum ipsâ misericórdiùs agátur, quàm ejus peccáta meruérunt: Qui cum eódem Deo Patre & Spíritu sancto vivis & regnas Deus.

℟. Amen.

Finitis Psalmis & Orationibus (vel etiam antequam finiantur,) si instet momentum exitûs animæ de corpore, legitur super moribundum quod sequitur de Passione Domini nostri Jesu Christi. (Ex Matth. Luc. Joann.)

TEnebræ factæ sunt in universam terram usque in horam nonam, & obscurátus est sol. Et circa horam nonam clamávit Jesus voce magnâ, dicens: Eli, Eli, lamma sabacthánì? hoc est: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Pósteà, sciens Jesus quia ómnia consummáta sunt, ut consummarétur Scriptúra, dixit: Sitio. Vas ergo erat pósitum acéto plenum. Et continuò currens unus ex eis, acceptam spóngiam implévit acéto, & impósuit arúndini; & dabat ei bíbere. Cùm ergo accepisset Jesus acétum, dixit: Consummátum est. Et íterùm clamans voce magnâ, ait: Pater, in manus tuas commendo spíritum meũ. Et hæc dicens, inclináto cápite, trádidit spíritum.

Orémus.

MEmor esto, piíssime Dómine Jesu, illíus horæ in quâ de cruce pendens, clamasti voce magnâ: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? & íterùm: Pater in manus tuas commendo spíritum meum; & hæc dicens expirasti. Per istam ergo pretiosíssimam mortem quæ vita nostra fuit, obse-

orámus cleméntiam tuam, ut non derelinquas in hâc horâ fámulum tuum [*vel* fámulam tuam] cujus præter te nullus est auxiliátor álius; sed suscípere dignéris, spíritum ejus, & introdúcere in regnum tuum, ubi te, cum Deo Patre & Spíritu sancto, perpétuâ caritáte díligat, & cum sanctis & electis in ætérnum cantet misericórdias tuas. ℟. Amen.

[*Finitâ præcedenti Oratione, & egressâ animâ, statim dicitur* ℟. In te, Dómine, sperávi. *cum versibus & Oratione, ut infrà.*]

Si autem adhuc anxiatur anima, recitantur sequentes Psalmi, vel eorum pars, prout necesse erit.

Ps. 21. Deus, Deus meus, réspice in me. *pag.* 126.

Ps. 34. Júdica, Dómine, nocentes me. *pag.* 71.

Ps. 53. Deus, in nómine tuo. *pag.* 65.

Ps. 56. Miserére meî, Deus. . . . . quóniam in te confídit. *pag.* 88.

Ps. 70. In te, Dómine, sperávi. *pag.* 119.

Ps. 85. Inclína, Dómine, aurem tuam. *pag.* 150.

Ps. 87. Dómine Deus salútis. *pag.* 142.

Ps. 90. Qui hábitat in adjutório. *pag.* 29.

Ps. 138. Dómine, probasti me. *pag.* 128.

Egressâ autem animâ, dicitur : ℟. In te, Dómine, sperávi; non confundar in ætérnum : accélera ut éruas me : in manus tuas commendo spíritum meum : * Redemisti me, Dómine Deus veritátis : illustra fáciem tuam super servum tuum [*vel* ancillam tuam] ; salvum [*vel* salvam] me fac in misericórdiâ tuâ. ℣. Dómine Jesu, súscipe spíritum meum : * Redemisti me. *Ps.* 30. *Act.* 7.

Kyrie, eleéson. Christe, eleéson. Kyrie, eleéson. *Secretò*, Pater. *Altâ voce*, ℣. Et ne nos, &c. ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Non intres in judícium cum servo tuo [*vel* ancillâ tuâ,] Dómine; ℟. Quia non justificábitur in conspectu tuo omnis vivens. *Ps.* 142.

℣. Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi : ℟. Et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem. *Ps.* 73.

℣. Dómine, exáudi, &c.

℣. Dóminus vobiscum, &c.

Orémus.

TIbi, Dómine, commendámus ánimam fámuli tui [*vel* fámulæ tuæ] *N.* ut defunctus

[*vel* defuncta] século, tibi vivat: & quæ per fragilitátem humánæ conversatiónis peccáta commísit, tu, véniâ misericordíssimæ pietátis absterge; Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

HYMNI ALII.

Ad I. Vesperas, pag. lxxij.

HYMNUS. *Brev. Clun.*

QUisquis, ô! sacram properas ad ædem,
Dirigat gressus pietas, fidesque;
Regis hæc regum Domus, & Tonantis
Altera sedes.

Cujus in cœlo thronus est perennis,
Parva vult terris habitáre tecta:
Incapax claudi, latet hospes arcto
Clausus in orbe.

Non malos ultor venit inter ignes,
Non nigrâ nimbi tonat è procellâ;
Nec minùs credas placido verenda
Númine templa.

Quid vetus fluxit cruor hostiárum?
Prístinæ cessent holocausta Legis,
Ipse libámen Deus & Sacerdos,
Se litat aris.

Quid venis audax? procul hinc profánus;
Sancta nî fletûs lavet unda crimen.
Munda quàm multis jubet esse mundum
Vócibus ædes!

Quæ tibi fumant, Deus alme, templis,
Thura, jucundo placeant odóre;
Et pluant pingues resolúta lætis
Núbibus imbres.
Amen.

Ad Horas, & per Octavam Dedicationis, sequens dicitur.

DOXOLOGIA.

Qui templa Sancti Spíritûs,
Christi redemptos sánguine,
Nos éfficit, Deo Patri
Sit laus per omne séculum.
Amen.

Ad I. & II. Vesperas diei Octavæ Dedicationis, pag. cj & cix.

HYMNUS.

Brev. San-Viton.

URbs beáta, vera pacis
Vísio, Jerúsalem,
Quanta surgit! celsa saxis

Cónditur vivéntibus:
Quæ polívit, hæc coaptat
Sédibus suis Deus.
Síngulis ex margarítis
Síngulæ portæ nitent;
Murus omnis fulget auro
Fulget uniónibus;
Anguláris petra Christus
Fundat urbis mœnia.
Ejus est sol cæsus Agnus;
Ejus est templum Deus:
Æmulantes hic beáti
Purióres spíritus
Laude jugi Numen unum,
Terque Sanctum cóncinunt.
Undequâque sunt aperta
Civitátis óstia:
Quisquis ambit huc veníre,
Inseríque mœnibus,
Antè, duris hìc probári
Débuit labóribus.
Sit perennis laus Parenti,
Sit perennis Fílio:
Laus tibi, qui nectis ambos,
Sit perennis, Spíritus,
Chrisma cujus nos inungens,
Viva templa cónsecrat.
Amen.



INDEX

PSALMORUM.

INDEX CANTICORUM PSALTERII.

FINIS.



